





Ars
7
39










V
SCHEGK

PERFECTA ET ABSOLVTA DEFINIENDI ARS, AB ARISTOTELE TRACTATA ET EXPOsita sexto Topicorum, qui est de Definitione, & septimo, qui est de Eodem & Alio, libris: summa & accurata ijdem diligentia commentarijs declarati & illustrati, per Iacobum Schegkium Schorndorffensem: ac nunc primum in lucem editi.

I. S.

Discitur hoc, quæ cunctarum finitio rerum,
(Quo nihil est maius) Lector amice libro.

ADIECIMVS in extremo libri interpretationem Græcarum Sententiarum sparsim introductarum, cum præcipuarum rerum Indice.

TVBINGAE.
APVD VIDVAM VLRICI MORHARDI.
ANNO. M. D. LVI.



M. IACOBVS OETEVS LECTORI.

Qui cupit egregias mentem expoliisse per artes,
Doctrinae sectans solidioris opes.
Et timet ambigui dispendia deuia cursus,
In dubium implicitus neue trahatur iter.
Huic sit monstratrix ueri Dialectica curae.
Hanc magna studeat sedulitate sequi.
Scilicet ut Theseus ducentia fila sequutus,
Vicit Dedaleae tecta recurua domus.
Sic quem praeclaras dialectica ducit in artes.
Is uacat à tricis uane Sophista tuis.
Ergo quisquis eris, Sophiae non segnis amator,
Cuiq; placet studijs gloria parta bonis.
Accipe quae praesens dialectica fila libellus
Exhibet, in dubio fila sequenda gradu.
Schegkius haec prompsit monumentis eruta priscis,
Tu bene tam merito fausta precare uiro.

IACOBVS SCHEGKIVS D. IOACHIMO, ET IOANNI GEORGIO A FREIBERG, FRATRIbus Germanis, genere & uirtute Nobilibus Iuuenibus, suis amicißimis.

S.



LAGRANTISSIMIS his diebus, quibus propter æstum Caniculæ vacare mihi licuit à publicis prælectionibus, contuli me ad id peragendum, quod sœpe me facturum promiseram quidem, sed propter occupationes alias quasdam, quò minus id præstarem, impediebar. Meministis profecto superiore anno, cum vitandæ pestilentis luis gratia Tubingã relinquẽtes, Vracum concessissemus, ac interpretantem Topica Aristotelis illic audiretis, quid mihi cum de omnibus, tum præsertim duobus, sexto scilicet & septimo libris videretur, & quo nomine duos hos libros (quia naturam definitionis rationibus locorum omnis generis explicarent) reliquis præferendos putarem. Tum vero pollicebar, quàm primum Dei nutu nos domum remigrare contigisset, daturum operam, vt accurate conscripti à me, & commentarijs expositi hi libri duo, propter summam utilitatem studiosorum, quam inde possent percipere, in publicum

 ederen=

ederentur. Nactus igitur hanc occasionem, quod constitueram atq; promiseram, hac editione mihi præstitisse videor. Separatim Topicos hos libros duos tractandos explicandosq; suscepi: quorum Sextus complectitur omnia maxima pronunciata quibus vera cognoscitur, & falsa reprehenditur finitio. Septimus rationes cõtinet omnes, quibus simpliciter, id est, propter definitiones Idem aut Aliud quidpiam esse probare uel improbare solemus. At vero his libris non tam usum & finem eorum, qui in disputationibus & conflictibus dialecticis maxime appareat, mihi considerandum putaui, quàm naturam ipsam & doctrinam præcipuæ partis Dialecticæ, qua dicitur ipsa esse magistra definiendi, quod tamen ipsum Magisterium, neq; veterum post Aristotelem, neq; recentiorum ullis scriptis explanatum, aut tractatum adhuc reperissem vspiam: quanquam sibi multa sumunt hoc in genere pleriq; potius quàm re ipsa præstant, proponendis præceptis, quibus doceant, perfecta & absoluta methodo, vel colligere definitiones, vel constitutas iudicare. Cogitabam ipse mecum, tantam artem tam paucis tamq; minutis & puerilibus Regulis non compræhendi, quales vulgo Dialectici libri continerent, vt ferè præter titulum de definiendo in his, nihil quod magnopere prosit, inueniamus. At summam & præstantissimã quandam definiendi artem, eamq; multis & grauibus præceptis refertam esse dubitare

tare diutius me non sunt passi libri isti ab Aristo=
tele cōscripti, quos magnis laboribus à vobis dum
peregrinaremur, expositos, non minoribus nunc
retractatos & quasi limatos, vt exirent in publi=
cum curaui, non tam vt vobis priuatim, quàm
vt pubiclè studiosis omnibus prodessem atque
consulerem. Multis equidem de causis veram
& solidam Dialecticam nostro seculo cognitam
esse cupio, cùm propter omnis generis studia,
quibus tanquam instrumentum indagandi ve=
ri Ars hæc famulatur, tum præsertim propter
Religionis nostræ graues controuersias, qui=
bus arte Dialectica non expositis & compositis
scindi consensum Ecclesiæ Catholicæ, quæ est
Euangelica & Apostolica Ecclesia, videmus. Vt
nihil dicam quàm vtilis, quàm necessaria sit hæc
Ars tractandis sœpenumero Iuris quæstioni=
bus, quo vel vno nomine Topica Aristotelis
Marcus Cicero suo Trebatio non modo com=
mendauit, sed etiam roganti libellum eum qui
extat, Topicorum scriptum reliquit. Nihil de
Philosophia dicam vniuersa, nihil de Medicina,
ac reliquis honestis Artibus, quas tam certum
est non bene disci, aut doceri sine Dialectica,
vt qui aliter sentiat: is nihil scire videatur. Esto
sanè, dixerit fortasse quispiam, Artem hanc vti=
lem & necessariam omnibus esse, Veruntamen
exquisitione & accuratione eius tanta & tam
 subtili,

ſubtili, quanta eam docuit Ariſtoteles, non vi=
deri opus. Iſtud equidem ſcio, vos non dictu=
ros, ſed eos, quibus perfecta Artis ratio & de=
ſcriptio eſt incognita, quibus quàm poſſum,
breuiſſimè reſpondebo. Si iudicium eſt ali=
quod certum, quod ſequentes vera poſſumus
internoſſe & diſcernere à falſis, tum ego id re=
quirendum cenſeo magis ab Arte quadam &
Regulis, definitum, quàm cuiusque ingenio
& opinionibus committendum. Veritas qui=
dem vna eſt iudicij, falſitas multiplex, illa con=
ſentanea ſunt omnia, in hac non modo falſa à ve=
ris, ſed ipſa quoque inter ſe diſſentiunt & diſ=
crepant falſa. Sunt hodie quidam, qui abſurdiſ=
ſima doceant, ac illi quidem rationibus ſcripturæ
conſentaneis cum Dogma ſuum defendere non
poſſunt, à Dialectica prouocant ad ἔλλαμψιν, quaſi
vero eius ope & inſtinctu intelligantur, quæ non
ſunt inter ſe conſentientia, tanquam ſi inter ſe eſ=
ſent conſentanea, cùm quiduis potius cauſa ſit &
origo à veritate abhorrentium opinionum, quàm
ea, quæ in ſacris eſt celebrata, diuinitus in nos per=
ueniens ἔλλαμψις. Quid igitur fit? opinioſiſſimæ ſunt
fere Diſciplinæ omnes, quod ſi in multis non ni=
ſi vna poteſt eſſe vera, cauſam ſubeſſe oportet,
quare hæc ſit vera, reliquæ falſæ. Ea vero non po=
teſt eſſe ἔλλαμψις, quàm eodem errore diſſentienti=
um quiſque arrogat ſibi, quo ſubinde in expli=
candis

candis ſcripturis hallucinantur, & in omnibus, cauſa erroris non ἔλλαμψις, ſed ambitio, ignorantia, aut alia quædam vitia, quibus occœcata mens vera & conſentanea videre non poteſt. Nec ſine cauſa peruerſam ambitionem repræhendo, quæ tam monſtroſas opiniones gignit, vt nulla videatur Hydra fuiſſe tam multiceps, & quæ Herculem veritatis propugnatorem, magis deſideret. Reſtat igitur nihil aliud, quàm vt primum ſummo ſtudio ipſam per ſe veritatem colamus, eamque maximi faciamus, eius cognitionem ardentiſſimis precibus efflagitemus, à Deo petentes, vt ipſe Spiritu ſuo nos omnem doceat veritatem. Alterum deinde eſt, ut medijs adminiculis vtamur rationis noſtræ, quæ nimirum continentur Prȩceptis Dialecticæ Artis, qua docemur dubias & fluctuantes inter verum & falſum rationes ad ſcopum veritatis, quaſi dirigere & collimare. Ridiculos & importunos ſciolos non libet hoc loco reprȩhendere, qui putant, vt aliarum artium ſit vtilitas quȩdam, qua neceſſitati Hominum conſulatur diuinitus, ita inuentam, & per tot ſæcula conſeruatam Artem nihilominus illam Ariſtotelicam Dialecticæ perfectam & abſolutam, tot Libris pereuntibus alijs, ad noſtra tempora vſque multis ſeculis diuinitus per manus traditam, fruſtra perueniſſe opinantur. Quod vel vnicum inuitare ſtudioſos

deberet ad discendum, & ad gratiarum actio=
nem pro tanto Dei beneficio, qui nostram im=
becillem ratiunculam tam præclaræ Artis inuen=
tis & præceptis, tanquam præsidijs quibusdam
munire voluerit, ne falsitas opinionum animos
nostros caperet, & vt veritatem in omnibus
rebus propugnare contra occurrentes passim er=
rores possemus. Solem igitur e Mundo tolle=
re videntur, qui tollunt è Scholis solidam &
Germanam Dialecticæ Artis cognitionem, quæ
si vspiam est excellens & præclara, ea maxime
pars, quæ Topice dicitur, præponenda erit. In=
strumentum igitur illud nobis largitus est O=
pifex, captus & ingenij nostri Deus, quo ni=
mirum fluctuantem rationem nostram opini=
onibus vagis & incertis, gubernaret, & qua=
si ad veritatis portum gubernaculis communi=
um rationum, in quibus consentiunt om=
nes veritates, deduceret. Impedita & dif=
ficilia quæ sunt, expedienda sunt minimè im=
peditis nullamque habentibus, quod ad verita=
tem attinet, ambiguitatem, & controuersiam.
Sunt autem hæc communia Pronunciata quæ=
dam (quæ Aristoteles vocat Locos) tanquam
Aphorismi Disputationum omnium, à quibus
qui dissentiat, non habere rationem, ne=
dum concludere aut colligere ratione quid=
piam sit dicendus. His disputando si quid
con=

consentaneum esse fuerit probatum, vera esse quę dicuntur, constat, sin dissentientia, falsa & erroris nomine damnanda. Quòd si hæc non sit perue=niendi ad consentientem sibi ipsi in omnibus re=bus veritatem, via, aliam mihi indicent, ita ta=men, vt inscitiæ suæ ac ruditatis patrocinium, cō=temptu scientiarum, non quærant. Illorum nec authoritas me mouet (quia veritate nititur au=thoritas) nec consensus imperiti vulgi, quo se=cundo facile Philosophiam vniuersam quispiam contempserit. Necꝗ ignoramus quantum pos=sint, & quàm multa turbent πρὸς ὄχλον ῥυεῖσαι γλῶτται, vt Hippocratis verbo vtar, & vt inquit Euripides plerunque ἀμαθεῖς ἄτοι παρ᾽ ὄχλῳ μουσικώτατοι εἰσὶ λέγειν, non ob id tamen quid in precio sit, sed quid esse debeat: a=pud Philosophos quæritur. Sua igitur illi quan=tumuis volent, mirentur, ament, exosculen=tur: quoniam (vt ait Pindarus) καλὸς ἐν παισὶν πήθικος, mo=do ne sint tam impudentes, vt damnent & con=temnant, quod non intelligunt, quod faciunt no=stro tempore κεκράκται quidam, & nonnulli πολιτικὸν φύ=σημα φυσῶντες, vt Platonis vtar verbo, satis inuerecun=dè, quo non parum equidem solida veritatis stu=dia periclitari videmus. Illi vero sunt maximi So=phistæ, & si Platoni credimus σοφισταὶ σοφιστῶν, qui te=nuioris fortunæ studiosos Philosophastros vo=cant, ac subinde suum ipsis obijciunt splendorem & dignitatem, existimantes τὸν σοφὸν αὐτὸν αὐτῷ μάλιστα δεῖν σοφὸν εἶναι. αὐτοῦ δὲ ὅρον εἶναι, ὃς ἂν πλεῖστον ἀργύριον ἐργάσηται. Sed plura de

his

his non dicam, & verè aureas illorum ἐπιδίξεις non refellam, qui veritatem ſtudiorum propter ſe non colendam cenſent, & facile patior illos pecu=nię & honoris quàm dialecticę & veritatis ſtudi=oſos eſſe magis, tantum hoc ab ipſis impetrare li=ceat, ne contemnant aut aſpernent̃, quod non in=telligunt. Fateor ſane nullum magis ſophiſticæ infamia laborare, quàm Dialecticum ſtudium ſed vitio id fit abutentium, & pleriq; etiam ſemidiale=ctici, cum ſe ipſos, tum alios implicare magis abſur dis rationib usquàm expedire: poſſunt. Repræ=hendit illud Galenus in Methodicis, qui cum nec dogmatici, id eſt, veri Dialectici, nec empirici ſint, vtriſq; deteriores eſſe, & vituperandos, ꝙ nec re=cte inuentis rationib. uti poſſint, nec vſu cognitis experimẽtis ſolis acquieſcere velint. Quib. ſimiles ſunt Dialectici, ꝗ præter communia pręcepta ni=hil intelligunt, et rudis profecto hæc artis atq; in=choata tantum tractatio plerunq; degenerat quaſi in ſophiſticen, quã & ipſam norit Dialecticus o=portet, non ut ea utatur, ſed ut ne fallatur, cauere poſſit. Sed omitto nunc repręhenſores illos, qui=bus aliàs reſpõdebo, & ad vos optimi iuuenes me refero, quibus ſemper fui hortator, ut artẽ hanc & diligentiſſimè diſceretis, & eã uſu et exercitatione ad ſtudium iuris Ciuilis accom̃odaretis. Hac enim excepta, nulla eſt q̃ difficultates profeſſionis huius vincere, & qua citius in eo ſtudio ꝓficere quiſpiã poſſit. Nam uel Cicerone autore, hęc nimirum ars eſt, ꝑ quam reliquæ omnes artes dicuntur eſſe, &

materies

materies est copiosissima, in iuris studio, q̃ tractationi huius artis poterit subijci. Ego quidem in plerisq; usus exẽplis sum, uel ex philosophia, vel Medica arte petitis, uos vestrę professionis exẽpla subijcietis, quod exercitatione facile fiet, quã nisi prę=ceptis dialecticis aliquis adhibuerit: frustra scilicet didicerit. Videbor tñ nõnullis obscurius hęc tradere, et multa esse, q̃ nõ nisi à perfecto Philosopho intelligantur. Quod ad tractationẽ attinet, operã sane dedi, vt q; planissimis exẽplis & disertissima oratione, quod uidelicet postularet res, docerem, quod vero ad res ipsas spectat, fateor ꝑfecto nõnulla esse, q̃ Pręceptorem, & eum quidẽ bene gnarum Philosophię, desideret. Idẽ vero sentio, quod Cicero, qui de arte hac ipsa ad Trebatium scribẽs, inqt, Nullã artẽ literis sine interp̃te, & sine aliqua exercitatiõe ꝑcipi posse: sed quos deterret difficultas, eos inuitet rursus utilitas, ut ꝙ suo Marte (q̃m=admodum dicitur) assequi nequnt, id auxilio p̃ceptoris alicuius cõseq studeãt. Plurimum etiã uobis ornatissimi iuuenes, studiosi reliqui debebunt, si q meis laborib. aliquid ꝑfecerint, propterea ꝙ studium uestrum me ad docendum et scribendum excitauit, ꝙ aliàs in hoc quasi publico Philosophiæ verę, & bonarum artium cõtemptu, aggressus nõ fuissem, quum paucos uideam, qui pluris ueritatem quàm vanitatem vitæ istius faciant. Quod reliquum est, à rudioribus peto, ne temere de nostris scriptis iudicẽt, & ne repræhendant ea, quę
non

non nisi ab vsu peritissimis, qualia sint, cognosci possunt. Istud à vobis optimi & nobilissimi Iuuenes nō exigo, quippe nota hæc sunt vobis, quę scribimus me interprete. Quod superest, & quod vestrum est, Præceptis his vsum à vobis adiungetis, vt quæ definiendi ratio & modus sit, in omnibus perspectum & exploratum habere possitis, quod vt faciatis, non mea vox, sed vestra vtilitas hortatrix esse debebit. Quanquam facturos id uos esse, quæ vestra est industria, minime dubito. Valete.

Tubingæ 9. Calen. Septem.

¶ TYPOGRAPHOS moneo, ne alieni laboris primitias sibi uendicent, alioqui daturus operam, vt nostræ semper appareant meliores quàm ipsorum merces: nec patiar (quantum in me est) Typographum meum dispendio aliquo grauari.

PRÆFATIO IACOBI SCHEGKII SCHORNDORFfensis in Topicorum Aristotelis Librum sextum.



NVENIENDIS PROBANdisq; ueris, & falsis improbandis, apud Dialecticos artem quandam proponi, & Regulas quasdam accommodatas ad disputandū, & iudicandum, nemo ferè nescit. At quemadmodū earum regularum principatus certe in Analytico genere penes ἀποδείξεως est, sic in parte hac, quæ complexa est Topicen, facile principem locum sibi uendicat definitio. Duo hæc quasi fastigia partis utriusq; Dialecticæ, Topicæ scilicet & Analyticæ (in quas malo eam more Aristotelis diuidere, quàm ut uulgò solent, quando totam artem partiuntur in iuditium & inuentionem) sic inter se consociata & nexa sunt, ut ferè demonstrari sine definitione nihil poßit, ac interim plurimæ sint etiam definitiones, quæ nulla re differant, quàm positu & figura orationis, à complexu Syllogismi demonstrantis. Neq; uero præcurrit aut prior est inuentio artifitiosa, iuditio, ut ipsum ad Syllogismum duntaxat & analysin, non etiam ad Topicen pertinere uideatur, atq; id ipsum profecto iam alteram partem Dialecticæ non recte quispiam dixerit esse, quippe cum utriusq; partis sit commune iuditium. Artis enim uim & nomen amitti necesse est, si aut simplex argumentum inueniatur nullo adhibito iuditio, aut compositum nulla regula Analyseως sub iuditium artis Dialecticæ reuocetur. Siquidem iudicare nihil aliud est, quàm consentanea à non consentaneis ratione & methodo quadam discernere, quod primum quale sit, inueniendis, deinde collocandis argumentis perspicitur. Quo sanè modo simplicis inuentionem esse dicimus, cuius præcepta tradat topice, compositi analysin, quò pertineant reliqui istius artis apud Aristotelem libri titulo ἀναλυτικῶν inscripti. Proinde quemadmo-

Duæ sunt partes Dialecticæ, Topica scilicet & Analytica.

Iuditium nō est pars dialecticæ.

ἀπόδειξις principatū habet in analytica parte.

dum in analyticis facile reliquis omnibus præstat ἀπόδειξις, sic eorum quæ in dubiū uocantur, et controuersiam habent: ac disputationibus uentilantur Dialecticis, argumenta præcipua sunt, quæ pro: & contra Definitionē asseri solēt. Nā his tota uel astruitur, uel destruitur rei propositæ natura, non autē, ut in alijs problematibus (in quibus contentio est aut de Accidente quopiam, aut de Genere, aut de Proprio) pars duntaxat quædam eius refellitur, cum horum quiduis aut pars sit definitionis rei, aut ei inhærens quiddam. Ipsa autē totū & perfectum quiddam uidetur esse Definitio, qua uidelicet per se noscitur, & quid sit, intelligitur res quæuis, & per eam deinde reliqua omnia, quæ ad definitam rem propriè pertinent, cognosci possunt & demonstrari.

Vsus definitionum.

Prima quidem & antiquißima rei per suā definitionem est notitia, quæ contemplandis & demonstrandis uerè & scienter omnib. ipsius proprietatibus, præluceat necesse est. Quamobrē quæcūq; de re aliqua instituitur disputatio, in ea de eius Definitione prius constare, ꝙ cætera explicentur, debet. Ridiculum certe nihil æquè est ac ullius rei scientiā profiteri, cuius definitionem, id est quæ natura ipsius sit, ignores. Ignorantiā hanc multis Socrates exprobat apud Platonē, qui cū præstare alijs sapientia uiderentur: inscitiæ eos definiendi coarguens, plane ignaros earū rerū, quarum scientiā iactabant, ostendit: Pleni sunt harū disputationū Socraticarū libri Platonis, ut manifestò depræhēdi poßit, Socratē (ut quodā in loco de ipso scriptum reliquit Arist.) primum fuisse, qui artem definiendi aliquā esse putarit, eamq; docendo, disserendoq; usurparit: Eius quidē inscitiam plerisq; sui Seculi sophistis obijcit, artis uero

Definiendi ars ab Aristotele tradita.

præcepta eius nulla posteris, quod sciam, reliquit. Aristoteli certè summo Philosopho, ut uniuersæ Philosophiæ perfectori et antistiti, hanc quoq; definiendi artē acceptam ferre debemus elaboratam præceptis et absolutā, quā præsertim duobus his libris, sexto scilicet & septimo Topicorum complexus est. Horū ego interpretationem separatā ab alijs libris, cùm propter summam utilitatem edendam in publicum sum arbitratus: tū quod præcipua hæc pars Dialecticæ à nemine hactenus, eo quo decuit modo, tractata sit, cū nihilominus in præstantißimæ artis istius maxima ignorantia, nemo nō acutißimus

sibi uideatur Dialecticus. Veruntamen quanta sit nostro hoc seculo inscitia Topicæ Dialecticæ, aliás ostendã: nunc de definitione quæ restant exequar. Quæ pertinent ad uniuersam definiendi artẽ, nemo plenius & prolixius Aristotele eam docuit, in nullo autore plura & uberiora præcepta reperias, atq; etiã ueriora, cùm in reliquis scriptoribus, aut nulla sint, aut interdum pauca & uitiosa. Quanquã non modo Topicis his duobus libris tractauit omnes formulas & modos finitionum, uerum etiam in Analyticis posterioribus, & in libro quoq; Metaphysicæ ξ. scriptum de definitione aliquid reliquit. Harum tamen tractationum non eadem est & similis ratio, non idem certe propositum autoris fuit. In Analyticis quidem, qua methodo colligendæ sint partes Definitionum, & quam uim item atq; usum in demonstrationibus habeant, docet. In Metaphysicis seu prima Philosophia, quæ sit earum differentia, planum facit, quoad eis, & quo modo, quaue discrepantia rerum essentiæ explanentur. Non autem quemadmodum ueræ aut falsæ discernendæ sint finitiones, præcepta in horum alterutro librorum commemorat, quæ tamẽ omnia (nihil reliqui sibi faciens) persequitur in Topicis, in quibus artem hanc finiendi contineri ego statuo, ut nulla alia, præter hanc compræhensam his libris, requirenda esse ars uideatur. Munus illud præcipuum Dialecticæ artis, quod ex tribus, quasi partibus, alteram numerant, plurimi uix duobus aut tribus paginis sunt complexi, tam latẽ patentem partem, & tot præceptis refertam, angustius & breuius, quàm par sit, tractantes. Inutilia certè hæc compendia sublata è medio, atq; è scholis uelim, his enim contrarium fit, quàm cuius gratia à plærisq; sunt instituta. Aut enim sic describuntur, ut non consentanea sint uniuerso & integro operi (quod suo loco ostendam euenisse etiam in Topicis) aut si uiam parent, & quasi muniant ad perfectæ artis scientiam, tamẽ ignauia discentium, & uana persuasione eruditionis fit, ut qui minuta hæc & rudimenta didicerit, quasi superuacanea minimèq; necessaria, & ut hodie loquntur, sophistica arbitretur, quæ exquisitè & διεξοδικῶς tradi solent absolutæ, & omnibus suis numeris perfectæ artis, cuius plæriq; uideri malunt, quàm reuera esse scientes. Quod ipsum sanê maximè

Ignorãtia Topicæ Dialecticæ reprehenditur.

Aristoteles uarijs locis & libris de Definitionibus scripsit.

Artem definiendi complexus est Aristoteles libro 6. & 7. Topicorũ.

Qui alios adpellant Sophistas, ipsi maximè sunt plærunq; Sophistæ.

Proportione respondet diuisio in simplicibus, analysi in compositis rationibus.

Definitio fundamentũ est omnis sciẽtiæ.

sophisticum est. Nequaquam autem sophistices ignominia reprehendendum: subtilibus & ad tenue limatis rationibus in omnibus rebus persequi & indagare uerum. Diuisionis equidem præceptis docemur quonam iuditio singula à singulis sint discernenda, ut quæ in simplicibus ratio sit diuisionis, eadem sit ἀναλύσεως in compositis & syllogismis. Sed de his aliàs plura, redeo nunc ad definitionem. Huius, propositis his libris duobus, tradita est, ut dixi, perfecta doctrina: & ualdè accurata, ut nihil sit ullo in genere rerum: cuius formula definiendi non isthic contineatur. Prius autem & potius nihil esse debet: quàm ut, quid res quæq; sit, habeamus exploratißimum. Quod quidem certe principium & quasi fundamentum ueri est in omni: quæ ratione aliqua suscipitur, institutione, idipsum uero est cuiusq; definitionis notitia. Firmamenta porro rationum quanta esse debeant in principijs, uel unice docent labes eorum, quæ caducis definitionibus superstruuntur, quibus præcipitatis, etiam ipsa fundamenta euertantur & coarguantur falsitatis. Quamobrem præclare (ut omnia) Aristoteles, principia tametsi minuta & pauca numero uideantur, nihilominus δυνάμει esse maxima & efficacißima, inquit. Eadem cum sint, ut alio quodam loco inquit, plus totius dimidio, mea quidem sententia, tantũ non totum scilicet ipsum erunt. Etenim ex his reliqua omnia sunt nexa, quæ si falsa sint, definitionem quoq; necesse sit esse falsam, aut si uera sit definitio, omnino quæ inde proficiscuntur, & ipsa inter se, & cum definitione esse consentanea oportet. Itaq; principiorum in primis habendam rationem præcipit Plato in Cratylo: sic scribens. Δεῖ δὴ περὶ τῆς ἀρχῆς παντὸς πράγματος παντὶ ἀνδρὶ τὸν πολὺν λόγον εἶναι, καὶ τὴν πολλὴν σκέψιν εἴτε ὀρθῶς, εἴτε μὴ ὑπόκειται. ἐκείνης δὲ ἐξετασθείσης, ἱκανῶς τὰ λοιπὰ φαίνεσθαι, ἐκείνῃ ἑπόμενα. Id est, Cuiq; sanè homini de principio cuiusq; rei copiosè ante omnia disserendum est, & considerandum diligenter: rectè an secus, in disputatione sit positum. Quo ritè excusso, ut ei deinde quæ consequuntur satis accommodata et cõsectaria appareant: operã dare debet. Proinde in rationum & disputationum primordijs: facile principem locum obtinet Definitio, qua quid ipsa per se sit res intelligitur, à qua arceßit secundum naturam notitia omnium eorum

Ratio habenda in primis principiorum.

rum quæ rebus propriè demonstrantur inesse. Libet rursum ad id confirmandum Platonem: tanquam locupletißimum testem: adducere, qui sic in Phædro scriptum reliquit. Περὶ παντὸς ὦ παῖ μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύεσθαι, εἰδέναι δεῖ περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλὴ, ἢ ἅπαντος ἁμαρτάνειν ἀνάγκη. τοὺς δὲ πολλοὺς λέληθεν ὅτι οὐκ ἴσασι τὴν οὐσίαν ἑκάστου. ὡς οὖν εἰδότες οὐ διομολογοῦνται ἐν ἀρχῇ τῆς σκέψεως. προελθόντες δὲ τὸ εἰκὸς ἀποδιδόασι. οὔτε γὰρ αὑτοῖς, οὔτε ἀλλήλοις ὁμολογοῦσι. Id est. Qui uolunt quacunq; de re recte consultare O adolescens, hi norint ante omnia oportet quid sit id de quo deliberatio instituitur, quod unum est disputationis cuiusq; principium. Alioqui hallucinari eos in toto necesse erit, ob ignorantiam nimirum principij. Quod sanè plurimos latuit, nec deprehendere errorem suum: aut animaduertere potuerunt, quòd nimirum ignorabant quæ rei ipsius esset substantia & natura: de qua disserebant. Itaq; tanquam minimè dubia re, & quid esset: omnino cognita: nõ transigunt inter se qua nã ratione sit explicanda et definienda disputationum initio, progreßis deinde, id quod par est, accidit, ut nimirum nec sibi ipsis, nec alijs consentanea dicant. Hactenus liquet quàm sit necessarium & utile: ueras, certas, perspicuas definitiones in disputationibus proponi, quarum artem & methodum nunc deinceps tractabimus, simul ut de instituto nostro pauca quædam dixero. Aristotelis quidem hi topici libri summa & incredibili eruditione Dialecticæ artis referti, uel propter difficultatem, uel ob ignauiam interpretum ac præceptorum, tanquam nõ magnopere utiles, multis sæculis fuerunt neglecti, & à plerisq; pro nihilo quodammodo habiti. Et me hercle, ut uerum fatear, multorum consensus hic erroris, propemodum mihi etiam imposuisset (& profecto non ita pridem in diuersa fui sententia) nisi primatorum quorundam studiosorum commodis consulens illos suscepissem enarrandos, atq; iam docendo ueram Dialecticam: mihi propè necesse esset discere eam, quam antehac talem nõ putabam esse usquam, qualem eam inter prælegendum & docendum depræhendi. In Topicis libellis de definitione quàm pauca essent præcepta tradita sciebam, et hæc ipsa puerilia sanè, falsa etiam quædam, ac nonnulla inutilia, quib. nec pro definitione, nec contra eam, quicquam solerter disputari posset.

Plato præcipit ante omnia cognosceudam rei definitionem.

Laus Topicorum librorũ Aristotelis.

Repræhẽſio arrogãtiæ noſtri ſeculi.

Non dico iam quàm ſint pauci, qui ne uocabulum quidem ipſum LOCI, quomodo à Philoſophis, et præſertim Ariſtotele ſit uſurpatum, intelligant, Defunctos enim ſe probandi onere cenſent: dum autoritate ſe formulæ iſtius communis tuentur, quando quod in buccam, ut dicitur, uenerit, argumentum: id ex loco definitionis (non ſine ſupercilio) depromptum allegarint, cum nec quid LOCVS ſit, nec argumentum propoſitum quo pacto à loco ſit nexum, intelligant.

Quid ſit locus.

Certè: ut paucis moneam quod uolo, LOCVS non eſt definitio, ſed παράγγελμα, quod ipſum quoq; non niſi ὁμωνύμως & ambigua ſignificatione locus nominari ſoleat. Etenim Accidẽti, Generi, Proprio, Definitioni, uel ipſo autore Cicerone, ad omne argumẽtum reperiendum: tanquam elementis quibusdam ſignificatio tantũ & demonſtratio datur, quod Græci παράγγελμα loci appellant.

Quæ uulgo dicantur loca, non eſſe, ſed παραγγέλματα locorum.

In quo argumenti uis tota acquieſcit uerè eſt id quo probatur quidpiam, uel refellitur, nempe LOCVS, qui nihil aliud eſt: quàm communis quædam ratio ad multa ſimilia pertinẽs, nulla certa materia aſtricta, pro eo ut ſunt ſcientiarũ quarumuis communia pronunciata ſuis quibusdam materiis determinata. Ampliſsima hæc ſunt, & ut Boëtius nominat, maxima communiũ argumentorum pronunciata,

Dialectica non uerſatur circa genus rerũ certum.

quorum cauſa Ariſtoteles ſcribit τὸν διαλεκτικὸν οὐκ εἶναι περὶ γένος τὶ ὡρισμένον. Id eſt. Dialecticum nequaquam uerſari in genere quodã rerum determinato.

Difficultas explicãdi libros Topicos oſtenditur.

Interpretatio aũt talium locorum, difficilis eſt quòd ſint nimirum cuiusq; παραγγέλματος ualdè multi. Deinde exemplis declarari plærosq; oportet, quæ uel omiſſa ſunt certe ab Ariſtotele, uel ipſa quoq; interdum deſiderant interpretem, ut interim nihil dicam de uſu illorum, quo uel ampliari debeant, uel per ἔνστασιν limitari, quæ quidem in Topicis ut ſcitu ſunt neceſſaria, & mirum in modum utilia, ſic difficultatem longè maximam habent: ut iam pridem: quare tam pauci horum librorũ fuerint interpretes, mirari deſierim.

Alexander Topicorum interpres.

Qui ſanè extent ex Græcis, præter Alexandrum, noui neminem. Ex recentioribus ſcriptis, haud aliud uidi quod plus diligentiæ præ ſe ferat quàm Louanienſis Collegii bonarum artium paraphraſin in Topica: quorum tametſi conatum nõ uituperem, quid præſtiterint, tamen uel alios, uel ipſos etiã iudicare malo (neq; enim dubito eſſe illos ut philoſophos: ita quoq; animo cãdido et ſyncero præditos)

quàm ipse meum de his iuditiū proferre. Quod ipsum de Alexandro quoq; nullo calumniandi studio impulsus: dicere possum qui explicandis his duobus libris, tam nihil praestitit, ut interpretem in interprete possis desiderare. Arroganter hoc à me dictū ne quis existimet: nā causam intelligi uolo, propter quam necessariā et utilem operam meam studiosis fore duxerim, si ipse etiam diuinis his Aristotelis inuentis lucē interpretationis addendā putassem. Noui istius seculi mores, & ut Satyricus ait, scribēdi κακοήθες quum uidelicet nonnulli ab aliis scripta & edita: ipsi denuo scribant, aut describant potius, nihil nec noui inuenientes, nec ab aliis inuenta aut obscura & difficilia ueterum scripta interpretantes. Ac quod iniquissimū est, quidam aliorum etiam scripta & inuenta expilantes, ac ea pro suis usurpantes: tanquam Plagii cuiusdam sese obstringunt, quo equidem non se doctos, sed ambitiosos, uanos, & inanis gloriolae cupidos esse potius declarant. Nec ferè aliud est, quod magis optimos autores doctrinarū omnium excutiat è manib. studiosorum, quàm à quouis, & quouis modo scripti nostra tempestate libri, quib. quò certe minus ardua docentur & difficilia ad intelligendū, eò magis imperitorū stomacho satisfaciunt, & in tabernis sunt uendibiliores, quàm hi quibus ueteris Philosophiae doctrina explanatur. Hanc propter odiū ueritatis (quam exquirere multo labore nolunt) multi nomine Sophistices damnant, cum ipsi sint potius Sophistae appellandi, ut qui pro Philosophis se gerūt: cum tamen nequaquam sint Philosophi, quod ipsum proprium est Sophistarum, non ut sint, sed ut uideantur intelligentes rerum. Prima est haec ars et quasi instrumentum Philosophiae, quae ueri uias omnes patefacit & perlustrat, Dialectica nimirum, cuius particulam hanc à me tractatam & expositam si quando studiosis placere sensero, dabo operā ut nō modo reliquos etiam Topicos libros habeant explanatos sed praeterea alios quoq; sic interpretabor: ut me facturum operae quoddam pretium existimem. Quia uero magna est autoritas (ut certe esse debet) contextus uerborum Aristotelis, iccirco bona fide ex Graeco sententias praesentium locorum latinè reddam, quibus deinde subiungam interpretationem meam, ita ut sua cuiq; loco explicatio adiungatur, ordine & numero locorum digesto, quod iam nunc facere aggrediar.

Commentaria Louaniensium in Topicam, non magni pretii.

Scribendi κακοήθες reprehenditur.

Ordo tractationis futurae explanatur.

I

ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER SEXTVS.

Commune pronunciatum pertinens ad refellendas finitiones.

IN Tractatione autem locorum definitionis, quinque ad reprehendendum nobis proponere debemus. Primum si ostendamus omnino non posse illud verè vsurpari, vt, De quo nomen profertur, de eodem enũtiari quoque rationem & definitionem nominis. Hominis enim definitionem de quouis verè enunciari oportet homine. Alterum, si definiti sit genus, in quo tamen non sit definiendo collocatum. Tertium, aut si in genere quidem sit positum, sed non suo & accommodato. Nam qui definit rem, debet ad genus, positum ritè, adiungere differentias. Quippe quæ in definitione insunt, omnium maximè genus videtur definiti substantiam significare. Quartum, si non propriè quadret definitio: propriam enim & reciprocam definitionem esse oportet, vt aliàs dictum fuit. Quintum, aut si omnia hæc obseruans, definierit, nihil ominus non definiat, aut quid sit res apposité explanet. Præterea nulla est reliqua reprehensio, nisi hæc, qua non benè (etiam si nõ sit nulla definitio) quidpiam arguitur definitum. Si porro talis sit definitio, vt verè non possit dici, De quocunque nomen, de eodem definitio quoque & ratio effertur. Huius generis confutationum argumenta, loca Accidentis suppeditant. Quoniam in his quoque consideratur, num aliquid de aliquo verè enuntietur, an falsò, in quo omnis probatio duntaxat Accidentis subsistit. Etenim si disputando probatum sit Accidens, esse, confirmatur ipsius veritas, aut si non esse ostendamus, satis id erit ad falsitatem eius conuincendam. Præterea si non suo in genere collocetur, aut si ratio non fuerit reciproca, locis & argumentis, quæ sunt commemorata in Genere & Proprio, refelli definitiones

definitiones poterunt. Restat vt hoc Libro argumenta promantur, quibus aut nullam definitionem esse, aut non scite & aptè constitutam, probemus.

Expositis præcedentium librorum locis Problematum, Accidentis uidelicet, Generis & Proprij, hoc sexto tandem libro tractare locos Definitionis aggreditur Aristoteles conueniente & legitimo ordine. Vt enim Definitionis quæstio reliquis est difficilior, ita ad tractandam ipsam superiorum notitia opus est. Quoniam composita omnis est Definitio, quin etiam confirmandi, ac multò magis refellendi eam multiplex est ratio, uarijq; modi. Totam rei declarat substantiam, partium (quibus ipsa intelligitur) complicatione. Eas omnes, & quòd sint, cognosci oportet, & quòd præterea ipsius per se definiti partes sint, reiq; definitæ essentia. Præterea etiam quòd ijs separetur notitia cuiusq; rei à quauis alia, ita ut nihil desit, nihilq; redundet. Itaq; ut primum illud ostendatur, locis Accidentis utendum erit, quibus duntaxat esse, aut non esse, absq; determinatione modi cuiusdã, probari consueuit. Vt alterum (cum nihil prius sit Genere, quo rei essentia intelligatur) locis Generis utemur. Et ut tertium, nempe reciprocam esse, aut non, finitionem locis proprij propugnabimus, aut oppugnabimus. Vt autẽ tota, & ipsa per se finitio probetur, uel infirmetur, Argumentis & Locis erit opus, quibus separata à cæteris proprietas Definitionis consideratur, nempe illa, qua constat eam in QVID, ac reciprocè efferri de Definito, quorum Loca & Definitiones præsente hoc libro tractabit Aristoteles. Locis porro Accidentium, quibus utimur in Problematibus Definitionum, hoc ferè uno maximo pronunciato, quæcunq; refelluntur, comprehendi possunt (quo Definitio nimirum alicuius non ritè posita arguitur) siquidem nomen & definitionem non eidem, sed discrepantibus conuenire, probatum sit. Quod ipsum nihil aliud est, quàm ostendere, definitionem non uerè enuntiari de eo cuius esse dicitur, definito. Vt si quis affluentiam opum, & omnium fortunæ bonorum abundantiam, fœlicitatem esse definiat, Conueniet nimirum (siquidem Euripidi credimus) non eidem ratio & no-

problematæ definitionũ omniũ maxime ad disputandum copiosam suppeditãt materiam.

Quales sint loci sexti libri & septimi, pertinẽtes ad finitionem.

men. Horum enim nullum fœlicem sed fortunatum duntaxat censet appellandum Euripides, ita ut alij nomen, alij ratio εὐδαιμονίας congruat, quippe eam aliter uulgus, & secus Philosophi definiunt, quibus dissentientibus, non semper eisdem nomen scilicet et Definitio nominis tribuitur. Enimuero si hæc definitio sit Fœlicis, de omni nimirum uerè enunciabitur, cum tamẽ quidam sint opulenti non Fœlices. Propter opulentiam ergo censet Euripides alium non esse alio fœliciorem sed fortunatiorem appellandum, imò ne fœlicem quidem.

Medea.

θνητῶν γὰρ οὐδείς ἐστιν εὐδαίμων ἀνήρ
ὄλβου δ' ἐπιῤῥυέντος, εὐτυχέστερος
ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ. Id est.
Dicendus haud erit beatus usquam,
Nam prosperis in rebus, est alius magis
Alio secundæ sortis: haud fœlix tamen.

Quæ sit ratio quòd interdum nomen et Definitio non congruant eidem.

Fit autem, ut si secundũ accidens quiddã finiatur (ut quando definitur fœlicitas opulẽtia et secundis rebus, quippe accidit fœlicibus ut rebus ad uitã necessarijs abundent) non eidem conueniat interdum nomen & Definitio. Ita si hominem finieris accidente quopiam, uocabulum hominis de quodam dicetur, de quo tamẽ Definitio dici non poßit. Pronunciatum itaq; hoc præsertim locis tractatur, ut dictũ est, Accidentis. Etenim nomina cùm sint, ut Plato inquit, tanquam radij textorum, quibus rerum notitiæ discernantur, confundi Definitionibus per Accidentia constitutis solent, ut aliud ratio, aliud nomẽ significare uideatur interdũ. Sed de hoc dictũ satis.

Repræhẽsio Definitionis si genus non sit positum.

Secundo, ut probetur cuiuspiam non ritè positã definitionẽ, ad Genus respicientib. suppetet argumentũ. Nam aut non esse positum Genus (siquidẽ ex eorũ numero sit quæ definiantur Genere) aut si positum fuerit, non tamẽ rei definitæ congruens id esse, repræhendemus: loca nimirũ et argumenta Generis, quarto lib. tractata, erunt adhibenda.

Generis cognitio in quibusdam difficilis.

Difficilis est in quibusdã Generis descriptio, quæ difficultas est in causa, ut aut omittatur, aut nõ legitimũ aßignetur Genus. Quid locus sit, quid tempus, quid motus ipse, propter ignorantiam Generis, ueteres Physicos non rectè definiisse ostendit Arist. in physicis. In ethicis ambigitur, Genus ne Virtutis sit scientia, ut arbitratus est Socra-

tes, uoluptatis ne motus, ut Platoni est uisum, an aliud quoddam sit Genus, quæritur. Ita si quispiam pleuritida Febris genere definiat, nō iniuria repræhendetur, ut qui symptoma pro genere morbi, cuius est symptoma, ponat. Sed de his dictum satis in locis Generis. Veruntamen nō omnes Definitiones conflantur ex Genere et Differentia, sed ratio quorundam explicatur Subiecto & Accidente, uel tanquam totum, partibus suis describitur, quibus non per se res, sed πάθος per se existentium rerum definitur. At propriè Definitio est, qua, quid ipsa per se sit res intelligitur, qua dūtaxat Substantias rerū finiri autor est Aristoteles in Metaphysicis. Huius ex necessitate partes sunt Genus & Differentia. His enim absolutè quid res sit, intelligitur, non quatenus est πάθος, aut pars alterius. Idcirco autore Aristotele. οὐκ ἔσαι οὐδενὶ τῶν μὴ γένους εἰδῶν ὑπάρχειν τὸ τί ἦν εἶναι. Id est. Nulla species, quid sit, explanari absq; Genere potest. Aliæ Definitiones explanant quid sit aliquid in aliquo. Quā ob causam Aristoteles eas ἐκ προσθέσεως, id est, ex adiunctione seu appositione Definitiones appellat. Exquisitio hæc & subtilitas huius discriminis inter Definitiones, non ad Dialecticum, sed ad Metaphysicum spectat, quare nos pro Definitionibus illas quoq; numeramus, quantumuis ἐκ προσθέσεως res definiant. Ad ueritatem enim indagandam in Disputationibus nihil interest, uniuersum hoc Genus complecti absoluto definitionis uocabulo, quantumuis pro rerum natura uariæ sint definitiones, de quibus omnibus suis disseremus locis. Ergo exceptionis gratia non frustra dixit Aristoteles hoc loco. Si Definiti sit Genus. ὅτι ὄντος γένους, οὐκ ἔθηκεν εἰς γένος. Quoniam ἐκ προσθέσεως Definitiones, Genus non desiderant, sed subiectum, & ob hanc causam locis Generū refelli aut infirmari non poterunt. De his aliàs plura, cūm eò fuerit peruentum, dicemus. Quamobrē ex locis Generis, ut Genus cuiusdam probatur esse, aut positū infirmatur, & refellitur, sic argumenta hæc adhibita ad Definitiones, eas necessariò refellunt, quatenus earum aut esse Genus aliquod, aut perperam aßignatum Genus ostendunt. Sed quid est (cum Definitionis duæ sint partes, Genus scilicet & Differentia) quòd Generis locis separatim utamur, & non item Differentiæ, cuius non sunt

Definitionū discrepantiæ.

Sola Substantia uerè definitur.

Definitiones eorum, quæ accidunt ἐκ προσθέσεως.

Quomodo loci Generum adhibeātur ad refellendā definitionē.

Quam ob causam separatim locos differentiæ non scripserit Aristoteles.

Meta. §. Aristo. li. 4. Topicorum.

loci extra definitionem ab Aristotele traditi? Enimuero quid res sit perfectè, intelligitur definitione, quæ nihil aliud est quàm differentia addita generi, quo nomine dicitur quoque εἶδος, & ὁρισμὸς, ab Aristotele: ultima differentia. Separatis autem partibus, magis quid res sit genere: quam differentia intelligitur. Vocabulo enim generis, & speciei item duntaxat: quid ipsa res, id est, absoluta rerum intelligentia percipitur, cum cœteris prædicatorum uoculis qualitas quædam: & non absoluta essentia, proferatur, in quorum numero etiam est differentia, ὁ γὰρ ζῶον εἰπὼν, (inquit Aristoteles) τὸν ἄνθρωπον μᾶλλον δηλοῖ τί ἐστιν ἄνθρωπος, ἢ ὁ πεζὸν εἰπών. Id est, qui hominem animal dicit esse, magis ipsum quid sit declarat, quàm qui dixerit pedatum, Quo ergo res primum absolute differt, sed non quo omnino separatur à quouis: genus est, annexarum differentiarum quasi fundamentū. Nec est quo absoluta Definiti natura, quæ per se noscitur, magis declaretur, cùm differentiæ non per se sint, sed qualitates quædam generum, nec quid res sit iis: absque genere potest intelligi, ut meritò, si partes conferantur inter se definitionis: principatus sit penes genus, quippe cum præter genus et speciem nihil sit & absolutum, & quo: quid sit res: planê intelligatur, adeoque sine genere etiam uis differentiarum sit nulla. Quocirca cum & differentiæ definitionis sine genere nullæ queant esse, & quia absolutè magis: quid res sit: genus, declarat quàm differentia, non potest fieri quin maximi momenti in definitione habendum sit genus: quòd sine differentiis esse queat, differentiæ autem, sine hoc: ad definiendum nullam habeant uim aut facultatem, cum ne differentiæ quidem sint appellandæ, quippe sine genere cum sint accidentia speciei quædam. Definitio quidem rei esset genus: si non latius se proferret quàm species, sed addita differentia fit, ut species, id est finitio nihil habeat cum quoquam coniunctum, quoad uidelicet species est generis pars & sub intelligentiam cadit, non quatenus materiæ est species, & sensu percipitur, cùm his nimirum: quæ rebus concretis accidunt formis: penitus hæc sit confusa species materiata. Veruntamen legitimè genus descriptum, non ob id quid res sit, definit, cum reciproca scilicet etiam sit definitio. At non reciprocum

Genus absolutam rei naturam declarat magis, quā differētia, quæ est qualitas quædam generis.

Separatim genus magis τί ἐστιν, quàm differentia declarat.

quidpiam

quidpiam esse, maximè locis Proprij ostenditur, ut inde etiam infirmandis definitionibus argumenta possunt peti. Quòd si genus rite sit positum, & oratio præterea fuerit reciproca, adhuc restat quo possis ostendere propositam orationem, aut non esse omnino pro definitione habendam, aut non bene & scite constitutam. Huius generis loci proprij erunt definitionum, quos his libris tractabimus. Et quoniam difficilius est apte, bene, & scite definire, quàm definire tantum, nimirum cum quod difficilius astruitur, id ipsum destruatur facilius, à locis incipiemus, quibus non erudite & apte posita definitio infirmatur. Inchoantibus nobis à facilioribus, ad operosiora minore impedimento deinceps progrediemur scilicet.

Locis proprij quomodo possimus uti in problemate definitionis.

Loci Proprij qui sint finitionum.

Duo capita locorum definitionis.

LOCVS I.

PRimûm quidem, an minus aptè res definita sit uidendum est. Quandoquidem facilius est facere aliquid, quàm rectè facere. Ex quo perspicuum est crebrius in hoc peccari, quandoquidem sit difficilius. Quare argumenta facilius in hoc quàm in illo genere, suppetent. Sunt autem duæ partes eius rei quæ non apte definita est. Vna, si dubia & obscura interpretatione vtamur. Debet enim is, qui rem definit quàm potest, apertissima interpretatione uti, quoniam cognoscendæ rei causa traditur definitio. Altera est, si pluribus quàm opus sit definitio sit exaggerata. Istud enim omne tanquam superuacaneum erit & inutile. Vtrunque istorum in plures distributum est partes.

In tradendis locis huius παραγγέλματος, nempe definitionis, ordinem, & eius causam, initio proponit Aristoteles, quem paulo ante satis plane à me expositum reor. Primus itaque refellendis propositis definitionibus locus hic accommodatus est, quo non bene definitum aliquid probatur, quia sit nimirum obscura definitio. Ratio argumenti est, quia sit à definitione alienum, ea rem propositam non

Locus.

Ratio loci. intelligi: quum definiendo nihil aliud ſpectemus, quàm ut ex obſcuro fiat perſpicuum, ex ignoto notum, ex ambiguo & perplexo, certum et indubitatum. Repræhenditur hoc nomine definitio VNIVS,

Obſcura Definitio. qua Heraclitus apud Platonem in conuiuio dicit ipſum διαφερόμενον αὐτὸ αὐτῷ ξυμφέρεσθαι ὥσπερ ἁρμονίαν τόξου καὶ λύρας, Id eſt. Ipſum Vnum eſſe: quod ipſum ſibi diſsidens nihilominus ſibi conſentiat, tanquam harmonia quædam arcus & lyræ. Obſcuritatis qui uolet ſcire repræhenſionem, legat in Platone, nolo enim multus eſſe in explanandis omnibus, ne magnitudo libri nimium excreſcat, quod fieret certè ſi nimius eſſem in exemplis. Obſcurarum definitionum ſatis multa ſunt exempla, quæ deinde plura & planiora, cum ad ſpecies deſcendetur obſcuritatis, proponemus. Vitium eſt alterum, redundantia non neceſſariorum, quod ipſum, etiam in ſuas quaſdam diſtribuitur ſpecies. Detractis ſuperuacaneis, quod reliquum erit: pro definitione eſt habendum.

Redundantia inutilis. Nam non neceſſaria additamenta: nihil ſeparant. Sed in definitione nihil debet ineſſe, quod ἰδίαν rei non ſeparet.

ἀπορία. Querat forſan quiſpiam hoc loco: quonam pacto conſentanea ſibi dicat Ariſtoteles, qui in Metaphyſicis definitiones comparans numeris, eis nihil dicat nec addi, nec detrahi poſſe, quin tota mutetur ſpecies. Pro eo ut in numeris quoq; uno uel addito: uel dempto, ſpecies mutatur. Ex quo concludendum, his additamentis, non uitioſam & ineptam (quam locus hic ſententiam præ ſe fert) ſed nullam definitionem prorſus conſtitui rei propoſitæ.

λύσις. Certe acceſsiones illæ non neceſſariæ: accidentia ſint neceſſe eſt. Alioqui ſi differentiæ propriæ generis exiſtant, ijs non uitioſa, ut dictum eſt, ſed nulla: conſtituetur Definitio. Nunc ad Species harum ineptiarum accedamus.

LOCVS II.

VNus quidem locus ad probandum, Definitionem eſſe obſcuram, erit, cum aliquod uerbum quod in Definitione continetur, ambiguum eſt. Vt ſi quis definiat ortum

ortum, deductionem ad naturam. Aut sanitatem esse temperationem caloris & frigoris. Est enim ut deductio: sic temperationis ambiguum uocabulum. Quare dubium erit qua significatione ambigui rem propositam intelligi uelit.

Parit obscuritatem ut alijs in omnibus: ita quoque in definitionibus, Homonymia, quæ est diuersis rationibus, multa significans uocula. Hæc non satis latinè æquiuocum nomen dicitur, nos ambiguum interpretari maluimus. Commoditas enim in loquendo, si fieri potest, non est negligenda. Sunt distinguenda omnia ambigua, quæ Duplicia in definiendo occurrunt. Aut enim ipsa est propter Homonymiam ambigua finitio, aut definitũ uocabulum multiplici usurpatur significatione. Definitionem problematis ambiguam: iccirco uitij coarguimus, quia rem propositam non dilucidè explanat, in quo, ut supra est dictum, maxime peccatur contra leges finiendi. Vt uerbi gratia: Deductio ad Substantiam, quæ ponitur Definitio esse Ortus seu γενέσεως, non unum quid significat, Etenim ἀγωγή: uel ratione loci permutationem quandam significat, uel motionis, deniq; etiam mutationis, qua intelligimus ex non Substantia fieri Substantiam, quæ propria sanè esset: hac Definitione, ἀγωγῆς interpretatio. Quoniam autore Aristotele in Physicis, Ortus, non motus est, Ortus quid. *multo minus in loco progreßio quædam ad Substantiam, sed mutatio: qua omnino & simpliciter fit quidpiam, cum prius non esset. Cœterum μεταβολὴν omnem esse momentaneam (cum motus sit in tempore & mensuratum quoddam) nouerunt Physici, quæ nimirum Genus est Ortus minimè ambiguum, & ἀγωγῆς uocabulo permutandum. In altero exemplo similis ferè est perplexitas uocis συμμετρίας, id est contemperationis. Habent etiam morbi suam certarum Qualitatum συμμετρίαν qua constituantur, non modo sanitas. Fiunt enim omnia certis quibusdam temperationibus,*

Apud physicos multa sunt Homonyma, quę tamē Dialecticis uidentur Synonyma.

At in sanitate est συμμετρία secundum naturam, humorum, & hac ratione nimirum sanitas differt à morbo. Tametsi uocabulum συμμετρίας commune uideatur esse ut Genus, & non ut Homonymū, nihilominus multa sunt generum uocabula apud Dialecticos quidē Synonima, quæ tamen in physicis definitionibus usurpantur ὁμωνύμως, siquidem in genere Logico reconditæ sunt physicæ Homonymiæ. Non enim separatim rationes Generum considerat Physicus, sed cum materia & subiecto mobili concretas, quo nimirum discrepat à Dialectico. Et eò fit, ut re ipsa naturis & subiectis diuersa, propter uoculam generis: φυσικὰ specierum πάθη esse uideantur idem. Vt sanitas eadem & symmetria in Homine & Boue, cum tamen non sit eadem, quamuis uocabulo Generis idem significari uideatur,

Aristo. li. 1. de anima.

ὅτι ὁ φυσικὸς περὶ ἅπανθ' ὅσα τοιουδὶ σώματος, καὶ τῆς τοιαύτης ὕλης ἔργα καὶ πάθη. Sed de his Homonymijs aliás plura dicemus. Si quis ad uiuum, ut dicitur, resecare definitionem hanc uelit, pro Genere scilicet is, in sanitate definienda, non ponet συμμετρίαν, sed ἕξιν. Est enim sanitas, habitus corporis animati, quo secundum naturam actiones uitæ potest præstare. Ex eius causis numeratur quoq; συμμετρία qualitatū, quæ sunt causæ præterea, in præsentia eas commemorare nihil opus est. Obuijs & non magno studio conquisitis exemplis aliás quoq; utitur Aristoteles, quare non est opus, ut nimis anxiè hæc excutiamus.

Reprehēsio definitionis Iustitiæ.

Non carebit reprehensione etiam istius loci, definitio Iustitiæ, quæ extat apud Iurisconsultos, quando nimirum dicitur constans & perpetua uoluntas. Cum enim uel essentia sua sit perpetua uoluntas, ut diuina, uel habitu, ut humana, non satis intelligitur quonam modo sit uox hæc accipienda, cū non significet unum. Deinde non modo Homonymia uidetur laborare, sed etiam Synonymia redundare, cum significent idem, constans & perpetuum.

Reprehēsio definitionis ignis apud Galenum.

Ignem definit Galenus, ut sit Elementum calidißimum & siccißimum. Vocabula hæc usurpari ὁμωνύμως docet Aristoteles, quorum significata recensere, ne sim longior, supersedebo. Est autem calidißimus ignis, non quia maximè urat, aut alijs quibusdam de causis, sed quia omnium reliquorum calidorum causa existit, & quasi principium. Etenim autore Aristotele, ἕκαστον δὲ μάλιστα αὐτὸ τῶν ἄλλων, καθ' ὃ καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει τὸ συνώνυμον.

θυμον οἷον τὸ πῦρ θερμότατον, καὶ γὰρ τοῖς ἄλλοις τὸ αἴτιον τοῦ το τῆς θερμότητος. *Id eſt. Quiduis maximè ipſum eſſe dicitur reſpectu aliorum, in quibus etiam participatur aliquid eiuſdem appellationis, Vt ignis calidiſsimus dicitur, quia cæteris ipſe cauſa ſit caloris.*

LOCVS III.

QVod idem continget, quoties res quæ definitur, multis modis dicitur, atq; id diſtinguendo non indicet. Sic enim incertum erit, utrius definitionem explicarit. Inciduntq; tum cauillationes, quaſi non ad omnia definita accommodetur Definitio. Idq; tum incidet maximè, cum obſcura eſt & latens ambiguitas. Poteſt etiam fieri, vt aliquis omnia ſignificata diſtinguens, eius quod Definitione eſt expreſſum, Syllogiſmum conficiat. Nam ſi nulli modorum ſatis quadret propoſita finitio, cõcludendũ certe eum non recte quod propoſitum ſit definijſſe.

Inſtruit Locus ille Diſputatorem, quonam pacto dimicare contra Problema Definitionis debeat, ſi definitum uocabulum poſitum ſit multa ſignificans, & non certa re quapiam ſignificata limitatum. Primum præceptum utile eſt in latentibus Homonymijs, quæ non facile animaduertuntur. Tum enim licet ſignificata duntaxat proferre, quibus non congruat propoſita Definitio, ut interim ſilentio prætereas ſignificatum, cui maximè quadret, quod equidem ſubdolum eſt, & admodum ſophiſticum. Non enim quod nulli, ſed quibuſdam non ſit accommodata Definitio, probabitur, eritq; Elẽchus ille non uerus, ſed apparens. Vero autem & perfecto Syllogiſmo tum redarguetur, ſi rebus ſignificatis omnibus enumeratis, doceat nulli earum poſſe accommodari Definitionem, aut quia nulla. Vitium, quod præſertim hoc repræhenditur loco, eſt, quia non aptè Definitio una adhibeatur uocabulo ambiguè, & multa ſignificanti. Deinde grauius repræhenditur, ſi ſit oſtenſum, nulli ſignificato congruere, quæ duplex eſt repræhenſio, ut diximus, uel

Locus.

Iusti uocabulum multa significat.

Sycophantias sophisticas fugere debet dialecticus.

Contactus multa significat πρὸς ἕν, uel ἀφ' ἑνός.

sophistica, uel aperta & Dialectica. Prioris exemplum est, Vt si quis Iustum definiat, quo compos quispiam efficiatur uitæ æternæ. Postea disputans ostendat, nec habitum, nec actum, nec legem (quæ quidem omnia dicuntur iusta) hac explicari definitione. Aut igitur ignorans, aut per calumniam omisit fidei iustitiam, cui maxime quadrat hæc definitio. Huiusmodi συκοφαντίαν, quoad eius fieri potest, uitare debet Dialecticus. Sunt præterea uocabula, quibus significantur multa, sed ordine quodam, ita ut prius quiddam principale eo significetur, alia posterius & respectu quodam prioris. Græci πρὸς ἕν aut ἀφ' ἑνὸς significantia appellant. Quorum significata diligenter sunt distinguenda disputaturis. Contactus uocula istius est generis, cuius principale significatum sic definitur, ut sit affectio corporum, quorum extremis simul iunctis, hac natura sunt, ut moueri & mouere possint. Si quæ præterea tactū habent, his definitio non nisi quadam ex parte congruit, ut est Mathematicus contactus, et is quo tangi dicitur cuiuspiā animus. Definienda uocabula ante omnia ratione significatorū sunt distinguenda, quod in omnib. disputationib. facere Aristotelē animaduertimus. Loco illo reprehendi potest definitio Iustitiæ, quæ est apud Platonem, qua definit eam, ut sit uirtus, qua quisq; ad se pertinentia agat et curet. Id enim est apud Platonem, οἰκειοπραγεῖν & οἰκεῖα πράττειν. Secus Arist. qui alterius boni, & non sui procuratricem eam definit. Quare si Platonis nec conueniat διαλλακτικῇ, nec διανεμητικῇ, duabus significatis Iustitiæ uocabulo partibus, nec totius eam esse definitionem consentaneum est. Nam generis quoq; significatum in specie eluceat necesse est. Aristoteles in Ethicis rationem communis Boni, nulli significato conuenire ostendit. Quare Ideā quoq;, id est definitum ipsum nullū esse demonstrat, quod ab his participetur. Itē, animā non esse (ut uisum est Xenocrati) numerū se ipsum mouentē, ex eo liquet, quia nulli significato à uocabulo Animæ cōueniat. Præterea licet distinguentem modos illos, quibus multa significat uocabulū, eaq; significata omnia considerantem, ostēdere, nulli posse accommodari definitionem propositā. Vt ὑγιεινὸν si quis dicat definiens, esse id, quo sit optimè affectum animal. Atqui δεκτικὸν illud est. Hanc uero non esse definitionē ὑγιεινοῦ

Arist. lib. 1. Ethico.

quia

quia ei nõ conueniat: nec quatenus efficiens significat, nec quatenus instrumentũ, nec quoad motũ, uel habitũ, uel hominẽ, probabimus. Interdũ fit, ut non omnes significatæ res communi et homonymo uocabulo intelligãtur. Vt Democritus quando unũ οὐσίᾳ, id est, omnino & simpliciter unũ, insecabili in quantitate, nempe atomo definit. Nã tametsi nec continuũ uerè sit unũ, neq; illa, quæ subiecti gratia pro uno habẽtur, nõ ob id ἄτομος erat, cui hæc substãtiæ conueniret prima & præcipua unitatis ratio. Hinc adeo factũ est, ut atomos, rerum οὐσίας esse diceret, quæ substantia tamen reuera non essent unum, sed multæ atomi. ἐλλιπὴς igitur διαιρέσεως significatarum rerum uocabulo unius: in causa fuit, ut hæc, quamuis uera definitio, tanquàm falsa possit repræhendi, quia significatæ rei cuidam falsò sit adhibita scilicet, & quæ alij possit accommodari uerè. Ea uero est species Essentiæ cuiusq; rei naturalis, quam ignorans Democritus, definitionem unitatis ueræ & primæ, transtulit ad materiam, cùm tamen propter formam & speciem maximè & simpliciter, quiduis sit & dicatur unum. Atq; istud quidem eò monendum esse duxi, ut Definitionibus existentibus ueris, si multiplex fuerit uocabulum, cui significato adhibenda sit, consideremus ante omnia, ne per oscitantiam, non diuiso & distributo perfectè uocabulo, alienæ rei cuipiam definitionem applicemus. Definitio μεθέξεως Idearum, contra Platonem disputans Aristoteles, ostendit quòd sit nulla, quia scilicet nulli modo per μέθεξιν significato quadret τίς ὁ τρόπος, inquit ὅταν εἴπῃ τις τὸ ζῶον ἐν αὐτῷ δίπουν ἢ πεζὸν κατὰ μέθεξιν ἀλλ' ἴσως σύγκειται, ἢ ἅπτεται, ἢ μέμικται. Quin etiam ut definitum multiplex, ita quoq; Definitio interdum est ὁμώνυμος, uel ἀφ' ἑνὸς multa significans, ut sciens & scientia, & utriusq; item Definitio, usurpantur, prout significant actum uel habitum. Item quoad sunt rerum uel καθόλου, uel καθ' ἕκαστα existentium, Quibus significatis uariè distributis, potest fieri ut scientia et ignorantia simul queant in aliquo inesse. Sed de hoc loco dictũ satis. Attamen considerandum ampliasse locum illum Aristotelem non modo ad repræhensionem ineptarum Definitionum sed etiam nullarum propter homonymiam.

Ignorãtia interdum peccatur signficatarum rerum uocabulo homonymo.

Meta. li. 5.

Quid sit uerè VNVM.

Meta. li. 1.

LOCVS IIII.

Locus.

PRoximus locus est, quando per translationem Definitio explicatur. Vt si quis scientiam definiens dixerit eam esse notitiam inflexibilem. Et terram, nutriculam. Et temperantiam, Harmoniam seu συμφωνίαν. Est enim obscurum quicquid per translationem dicitur. Potest fieri ut calumniemur eum qui usus sit Metaphora, dum non commoda interpretatione, alienum ipsum dixisse cauillamur. Definitio enim eius: quo aliquis non propriè usus est, non quadrabit Definito, ut Symphonia, quæ proprie est sonorum, non conueniet temperantiæ. Aut si tanquam genus usurpetur, communitas hæc tali profligabitur argumento: quo liquet: idem sub duobus Generibus esse non posse: quorum alterum non contineatur altero. At nec Symphonia uirtutem, nec uirtus Symphoniam continet.

Ratio loci.

Locus.

Syncera, & omnibus puræ rationis cancellis circumscriptæ Definitio: nihil alieni admixtum habere potest. Excluditur ergo Metaphora quoq;, qua res non propriè significatur, sed similitudine alterius adumbratur quodammodo. A similibus abstinendum propter facilem lapsum ad errores: Plato præcipit in Phædro, & in Sophista sic hortatur hospes disputator Theætetum, τὸν δὲ ἀσφαλῆ δεῖ πάντων μάλιστα περὶ τὰς ὁμοιότητας ἀεὶ ποιεῖσθαι τὴν φυλακὴν ἐλισθηρότατον γὰρ τὸ γένος. *Id est. Cautum in primis se præstare in similibus oportet. Genus enim hoc rationum in primis est lubricum. Constat itaq; ratio, propter quam à definitionibus remouenda sit Metaphora. Quocirca damnat hoc nomine rationem* μεθέξεως *Aristoteles, qua participari Plato à rebus singulis Ideas, scribit. Hanc, quia ratione propria nulla posit definiri, Aristoteles* κενολογίαν, καὶ μεταφορὰν ποιητικὴν *nominat in Metaphysicis. Similitudines Metaphora adumbrari, autor est Aristoteles, in libro de Poëtica: sic scribens.* τὸ εὖ μεταφέρειν, τὸ ὅμοιον θεωρεῖν ἐστίν. *Et quanquam abstinendum est, definiendis rebus, à Metaphoris, nihilominus eorum notitia commodè per Metaphoram explanatur, quæ non seipsis, sed*

Metaphora reiicienda in finitionibus.

Abstinendum à similibus.

Metap. κ.

Analogia

Analogia quadam declarantur, ut sunt, quæ genere nihil idem obtinent, ut iam non λόγῳ sed Analogia noscenda ac percipienda uideantur. Nam ut inquit Aristoteles, οὐ δεῖ πάντων ὅρον ζητεῖν, ἀλλὰ τὸ ἀνάλογον συνορᾷν. Sed ut idem scribit in Poëtica. Τὸ δὲ μεταφέρειν: τὸ ὅμοιον θεωρεῖν ἐστί. Et in tertio Rhetoricorum τῶν μεταφορῶν εὐδοκιμοῦσι μάλιστα αἱ κατὰ ἀναλογίαν. Hanc quadruplicem Aristoteles in libro de Poëtica esse scribit. Est enim alieni nominis translatio, uel quando Genere pro Specie utimur, ut pro, appulisse nauim, eam constitisse, si dixeris, aut Specie pro Genere, ut si pro multis quispiam dixerit, sexcenta, aut Speciem pro Specie, ut si uiriditatem dicat quis iuuentam. Vigoris enim Species est uiriditas in his quæ terra nascuntur, cui similis est ἀκμή in iuuenta. Quarta Species, maximè usitata est, Metaphora. Hæc tractatur per Analogian. Vt quemadmodum secundum primi est proprium, ita quartum, tertij. Et aut quartum primo accommodatur, aut secundum tertio. Vt quod est Vespera respectu Diei, id est senectus ratione ætatis. Quare per Metaphoram, uespera, Senectus diei, & senectus ætatis uespera nominabitur. Tales sunt plurimæ paßim finitiones: ut hæc Alcidamantis: quando Philosophiam definit ἐπιτείχισμα τῶν νόμων. Et Odisseam qui definiens dixit: humanæ uitæ speculum. Et ἀμετάπτωτον quiddam dicitur scientia, per Metaphoram. Nam permansio in eadem sententia propter Demonstrationem, sic propria est mentis propter causas cognitas, ut proprium est corporis, non impelli, aut concidere, propter robur neruorum, & firmitatem uiriũ. Nerui enim scientiæ sunt demonstrationes, & earum principia, quibus quia maior fides habetur quàm contrarijs, quibus oppositum concluditur, iccirco propter principia (inquit Aristoteles δεῖ ἁπλῶς ἀμετάπτωτον εἶναι τὸν ἐπιστάμενον, Terra, quod nutriat & sustentet animalia, nutrix, per Metaphoram definitur. Materia uero prima non habet aliam quàm Analogiæ notionem, id est νόθον λογισμόν, quo eam Timæus, sic definit τὰν ὕλαν ἐκμαγεῖον, καὶ ματέρα, τιθάναν τε καὶ γεννατικὰν ἦμεν τὸν τρίτης οὐσίας. Haud longe secus Aristoteles, Analogia rerum naturalium (partes mentis humanæ finit, nec enim aliter hæc possunt explicari, cum sint, ut dictum est, principia. Sed quid est quòd

In quibusdam adhibenda Analogia. Translatio seu Metaphora quadruplex.

ἀπορία. λύσις.

Aristoteles Metaphora non manifestò & apertè declarari quidpiam hoc loco dicit (quod nequaquam Proprium sit Definitionis) cum tamen tribus modis his omnia obscura explicari doceat in Rhetoricis? Primũ, uoculis his quibus res propriè significentur, ut quæ sunt ab ipso appellata κύρια, deinde iis etiam, quibus ad significandum aliquid usu non proprietate accommodatis: utamur, quæ οἰκεῖα nuncupat. Tertium Genus, quod similitudine quadam ab alia re translatũ significet quid, quod nominetur Metaphora. Quam suauiorem, & apertiorem cæteris esse censet. Proinde Synonymiam Poëtis, Homonymiam Sophistis, Metaphoram autem ἀρετὴν ῥητορικοῦ λόγου esse testatur. Vno enim uocabulo, loco alterius Metaphora utitur: idem similitudinis gratia significante, in quo (ut ipse loquitur) tanquam abusu uocabuli: inest τὸ σαφὲς, καὶ τὸ ἡδὺ καὶ τὸ ξενικόν. Metaphora igitur tria hæc simul per se obtinet, sed κύρια & οἰκεῖα asciscunt sibi eadem: sed per Metaphoram, quoad uidelicet inseruiunt translationibus: Quocirca ei quidem τὸ σαφὲς tribuitur, quia rem declarat proprietate, quam similitudine quadam exprimit. Suauitas uero inest, quia delectamur discendo quidpiam facile, quod accidit translationi, cum significata Propriorum per se nota sint. Infrequentia quoq; & raritas (ξενικὸν ipse appellat) pluris eò fit, quia non sit usu tritum μεταφορικὸν & admodum uulgare. Alieno itaq; uocabulo, id est, rei alterius specie cum adumbretur quidpiam Metaphora, eo non declaratur scilicet per se quidpiam: sed secundum Accidens, Id est, similitudine, res alioqui nota, euidentius exprimitur, quæ similitudo alioqui sine Metaphora in plerisq; tam fallit & claudicat, quàm aliquando uera & consentanea potest esse. Itaq; rem ignotam per se, quid sit: non explicat & definit, sed aliquo modo notam, tanquam imago quædam propter similitudinem scilicet: efficit notiorem. Hinc est quod ad probandum non ad definiendum eam adhibent Rhetores, eiusq; gratia probationis manifesta & σαφέστι esse dicitur. Quod si definiatur quidpiam in disputationibus Dialecticis (quippe per se res incognitæ, similitudine comparari nequeunt aut sine errore: aut sine obscuritate) non iniuria ἀσαφὲς quiddam Metaphora, si adhibeatur ad definiendum,

Metaphora quomodo res declaretur.

hoc

hoc loco dicitur ab Aristotele. Exempla sunt, Vt si quis bonum uirum definiens, dicat esse Tetragonum, quæ est Simonidis apud Platonem Definitio. Et Esaias, quando carnem esse fœnum, & gloriam hominis, florem definit. Plato libro quarto de Republica Temperantiæ Genus ponit συμφωνίαν. Et idem in sexto de Legibus libro: senectam definiens, dicit eam esse δυσμὰς τοῦ βίου, imitans Empedoclem. Item in Politico, Cardinem seu Polum quo uersatur cœlum sic depingit obscura quidem, sed eleganti Metaphora de cælesti Orbe loquens, quoad Polis rotatur ipsum, ἐπὶ σμικροτάτου βαίνοντα ποδὸς ἰέναι. Haud multo rectius definierunt hi acetum, quorum meminit alicubi Galenus, qui διορίζοντες τὸ ὄξος, λέγουσι τεθνεῶτα καὶ νεκρὸν οἶνον. Id est, finientes acetum, dicunt ipsum esse mortuum & cadauerosum uinum. Prius igitur ignotis Definitione incognita & obscuris simpliciter rebus, cum adhibeatur Metaphora, fieri nequit ut ea simpliciter quidpiam declaretur: id est finiatur ullius rei essentia, cum similitudo non sit ἰδία rei, sed rebus antea notis necesse est ut accommodetur, Hæc ferè ratio est Maximi istius pronunciati: quo reijcitur à Definitione Metaphora, παραγγέλματος præsentis admonitione. Sunt proinde nonnulli, qui tametsi intelligunt quid translato Vocabulo significetur, nihilominus per calumniam & cauillationem Sophisticam, tanquam si propriè positum esset Vocabulum, Definitione eius proposita: falsò ipsum usurpatum esse ostendunt: perinde ac si nihil per similitudinem significare poßit uox. Hac curiositate Prodicum Sophistam in distinguendis Vocabulis fuisse, memoriæ proditum est. Constat ex Platonicis scriptis, illum fuisse tam ineptè & Sophisticè morosum interpretandis uerbis, eorundemq; proprio & uernaculo usu, ut uix esset: quem ipse tanquam abutentem Vocabulis, non repræhenderet. De illo in Charmide sic scriptum reliquit Plato. καὶ γὰρ Προδίκου μυρία τινὰ ἀκήκοα περὶ ὀνομάτων διαιροῦντος. ἀλλ' ἐγώ σοι τίθεσθαι μὲν τῶν ὀνομάτων δίδωμι ὅπη ἂν βούλῃ ἕκαστον, δήλου δὲ μόνον ἐφ' ὅ, τι ἂν φέροις τ' οὔνομα ὅ, τι ἂν λέγοις. Et in Lachete, loquens de Pro-

Definitiones Metaphoricæ.

Polus quid

Acetũ q̃d

Sophisticæ calumniæ exemplum.

dico, ſic ſcribit, ὃ δὴ δοκεῖ τῶν σοφιςῶν κάλλιςα τὰ τοιαῦτα ὀνόματα διαιρεῖν. *Id eſt. Multas ſœpe Myriadas uocabulorum diſtinguentem audiui Prodicum. At ego permitto tibi, ut quocunq; uelis modo uocabulis utare quibuſuis, modo indices cui rei ſignificandæ ipſum accommodare uelis. Et in Lachete. Accuratiſsime is mihi ex omnibus Sophiſtis uiſus eſt uoculas diſcernere. Quamobrem ſi quis ita fuerit animatus, hanc habebit anſam reprœhendendi finitiones Metaphoris expoſitas, quæ non minus uitanda eſt, quàm reprœhenſio obſcuritatis. Vt non impropriè quibuſdam ſe uocula uſos neceſſe ſit fateri, translatum uocabulum ad rationem & communitatem Generis ſolet reuocari. Vt uerbi gratia. Symphoniam dicunt Genus eſſe, non Metaphoram, in Definitione temperantiæ, ut quædam nimirum ſit uirtutis, alia ſit ſonorum. Voculam hanc Metaphoræ, & non Generis habere rationem hac in definitione, loco illo Generis perſpicitur, quo conſtat: duo, unius Genera eſſe non poſſe, niſi unum altero iucludatur. Sed nec uirtus Symphoniam complectitur, nec Symphonia uirtutem. Quare ſi Virtus temperantiæ eſt genus, Symphonia eiuſdem Genus eſſe non poterit. Locus hic ualet etiam in reliquis Exemplis.*

Locus à Genere.

LOCVS V.

Locus.

DEinceps Locus ſequitur, quando aliquis in definiendo uerbis inuſitatis utitur, Id quod Plato fecit, qui oculum ὀφρυόσκιον ciliumbram, id eſt, habentem vmbram à cilio. Et araneam σηψιδακὴς, id eſt, putrimordacem, aut ſi quis medullam oſſigenam dicat. Etenim quicquid inuſitatum, id obſcurum eſt. Sunt etiam nonnulla, quæ nec per ambiguitatem nec per translationem, nec propriè dicuntur. Vt ſi Lex definiatur eſſe menſura, vel effigies eorum, quæ natura ſunt iuſta. Quæ omnia, translatione deteriora ſunt. Translatio enim illuſtrat, declaratq; quodammodo per ſimilitudinem id quod ſignificatur. Quippe cum omnes qui transferunt verba, ea, propter quandam ſimilitudinem

Ratio.

litudinem transferant. At vero quod sic proponitur, nullo modo illustrat, quandoquidem similitudo nulla reperitur, propter quam lex mensura aut effigies dicatur, neq; id etiam propriè dici solet. Itaq; si mensuram propriè, aut effigiem, legem dicant esse, iisq; definiant, hallucinantur. Est enim effigies id, cuius origo ab imitatione profecta est, quod ipsum in Lege non reperitur. Quòd si impropriè id dicant, certe obscurè loquuntur, atq; deterius, quàm ea quæ per translationem exprimi solent.

Repræhenditur etiam hoc loco inepta definitio. Tametsi enim, ut paßim præcipit Plato, in uerborum usu faciles esse debemus: in Definitionibus summa tamen accuratio requiritur, ut non minus certorum uerborum, quàm rerum significatarum complexu circumscribatur, nihilq; in ea ambiguum, nihil obscurum insit. Argumento præsentis Loci repræhenditur obscuritas, quando in Definitionibus insueta adhibentur & inusitata uocabula. Pariunt illa quoq; perplexam rei & obscuram intelligentiam: quare usitatis finiendum, quibus cuiusq; scilicet significatæ rei notitia ultrò occurrit, nec quæ definiunt uocabula, finitionem aliam desiderant. Abstinendum ergo à peregrinis, ab absoletis et antiquatis, à poeticis, et contra morē cōpositis, quæ Dythyramborum propria dicit esse Aristoteles. Refertum est Lycophronis totum poema huiusmodi αἰνιγματώδεσι uoculis, ut quando πολυ πρόσωπον οὐρανὸν, τῆς πολυκορύφου γῆς, ac similia quasi uaticinans sonat: poetica sunt, autore Aristotele διπλᾶ ὀνόματα. Ποιητικὰ γὰρ διὰ τὴν διπλασιν φαίνεται. Tale est Paccuuianum illud, cuius meminit Cicero in secundo de Diuinatione. Vt si quis Medicus ægroto imperet, ut sumat Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguinecassam, potius quàm more hominum, cochleam diceret. Nam Paccuuianus Amphion.

In finitione abstinendum ab obscuris, quorum ratio abhorret à re definita.

Quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite breui, ceruice anguina, aspectu truci,
Euiscerata, inanima, cum animali sono.
Huic similis recepta est (ut uulgo medici uocant) apud Galenum

E libro

libro 1. de compositione medicament. κατὰ τόπους, in capite, cuius inscri-
ptio. Medicamentum eorum, qui præter ætatem caluescunt. Hu-
ius generis paßim multa sunt in Aristophanis & Plauti Comœ-
dijs, qui uolet inde conquirat. Tantum in præsentia admonemus, ut
Definituri his abstineāt, ne pœnas suæ petulantiæ hoc loco dare co-
gantur. Et hæc quidem, quia ipsa per se non satis intelliguntur, isti-
us loci pronunciato refelluntur. Sunt alia, quæ sunt per se nota uo-
cabula, sed alieno loco usurpata: quid significent, commoda interpre-
tatione nulla possunt declarari. In his nec ambiguitas repræhendi-
tur, nec Metaphora, sed utrisq; deterius quiddam, nempe proprij uo-
cabuli in re proposita alienißimus abusus uituperatur. Aristoteles
quando hæret, & exitū non reperit interpretando istius generis ob-
scuritatē in scriptis ueterū, hoc ferè nomine à se reijcit explicationē,
ut dicat οὐ συνετὸν εἶναι, aut ὑπὲρ ἡμᾶς εἶναι τὸ λεγόμενον, cuiusmodi sunt non-
nulla Empedoclis & Democriti. Quale est Democriti hoc, red-
dentis finitionem solidi & duri, quando coagmentationem esse di-
cit, qua committantur sibi mutuo caua & densa corpuscula. Hac
ratione ex mollibus fieri dura, ut ex ære & stanno si quid miscea-
Aristoteles de procreatione animal. lib. 2.
tur. Nullam caui in aqua & uino mixtis intelligentiam occurre-
re, quocunq; respiciamus, inquit Aristoteles. Πῶς δεῖ, inquiens λαβεῖν
τὰ κοῖλα τοῦ οἴνου καὶ τοῦ ὕδατος, λίαν ἐστὶν παρὰ τὴν αἴσθησιν. Id est, Quonam
pacto interpretari caua in uino & aqua debeamus, dici facile ne-
quit, cum his sensus ualde repugnet. Sed huiusmodi λόγοι plerunq;
Meta. μ.
sunt πλασματώδεις, id est, πρὸς ὑπόθεσιν βεβιασμένοι, quales ferè sunt om-
nium finitiones, qui falsis utuntur rerum principijs. His enim ne-
cesse est (ut non uideantur nihil dicere) & obscura, & non consenti-
entia inter se fingere. Fucum illum, atq; ineptum hoc erroris pa-
trocinium, Seruorum excusationibus garrulis & loquacibus compa-
rat Aristoteles, quando depræhensi unum ex alio fingunt men-
dacium, ut loquacitate, non ueritate, se innocentes probent, quod
assequi tamen nullo modo queant. Talia sunt fictarum quoq; ratio-
ὁ μακρὸς λόγος τοῦ Σιμωνίδου.
num τερετίσματα, ἐν οἷς πάντα ἄλογα, καὶ μάχεται καὶ αὐτὰ ἑαυτοῖς, καὶ τοῖς εὐλό-
γοις καὶ ἔοικεν ἐν αὐτοῖς εἶναι ὁ Σιμωνίδου μακρὸς λόγος. Γίνεται γὰρ ὁ μακρὸς λόγος
ὥσπερ ὁ τῶν δούλων, ὅταν μηδὲν ὑγιὲς λέγωσι. Quapropter res & uocabula
ipsa

ipsa in talibus Finitionibus, ut more Aristotelis loquar, βοχῶς ἑλκόμενα. Hactenus quasi signa & notas descripsimus, quibus deprahendi possunt futiles definitiones, quibus omnino nihil certi declarari, nulla definitæ rei ne adumbrari quidẽ poßit notitia. Nunc ostendemus causas, quibus impulsi quidam hoc inepto & absurdo genere definiendi delectentur. Vt non consueta orationis forma quidpiam efferatur, duplici fit de causa. Aut enim studio quodam obscurant Orationes, quo uideantur plus habere exquisitionis & Philosophiæ. Neq; enim eruditum aut pretij alicuius esse putant, quod sit usu tritum aut populare: Aut ignorantia hallucinantur rerum, quando nimirum non consentaneis, sed alienis rebus aliquid explanant. Methodi inscitia (quam Græci uocant ἀπαιδευσίαν) utroq; in genere peccatur. Eruditi enim est & Philosophi, uidere quonam modo quæq; res sit tractanda rationibus, & quibus uerbis ac sententijs sit explananda. Sed ne sim longior, uerba Aristotelis apponam, quæ sic habent. ἐσὶ γὰρ τινὲς οἱ διὰ τὸ δοκεῖν φιλοσόφου εἶναι μηθὲν λέγειν ἢ μετὰ τρόπου. πολλάκις λανθάνουσι λέγοντες ἀλλοτρίους λόγους τῆς πραγματείας καὶ κενοὺς, τοῦτο δ' ἐποίουσι ὅτε μὲν δι' ἄγνοιαν, ὅτε δὲ δι' ἀλαζονίαν, πάσχουσι δὲ τοῦτο δι' ἀπαιδευσίαν. ἀπαιδευσία γὰρ ἐσὶ περὶ ἕκαστον πρᾶγμα τὸ μὴ δύνασθαι κρίνειν τούστε οἰκείους λόγους τῆς πραγματείας καὶ τοὺς κενούς. Id est. Sunt nonnulli, qui censent Philosophi esse, nihil simpliciter & absq; figura dicere. Quapropter non animaduertunt sæpenumero se alienis & futilibus rationibus explanare res propositas. Atq; id aliâs propter ignorantiam faciunt, aliâs propter arrogantiam. In utrisq; peccatur ignorantia Methodi, quæ nihil aliud est in quauis tractatione, quàm non posse uernacula & propria discernere, à non consentaneis & alienis. Multæ sunt istius generis & loci Definitionum reprahensiones paßim apud Aristotelem, quibus planum facit, nec propria significata uocabulorum rebus definitis, nec per Metaphoram translata, posse conuenire. Talis est confutatio in primo libro de anima, Timæi finitionis, qua circulum esse dicit animam. Quippe cum nec propria, nec similia πάθη circuli reperiantur in Anima: Ipsius scilicet Definitio non poterit esse circulus, quam ei Timæus

Quæ causæ sit, ut quidam libenter obscuris utantur.

Aristo. ad Eudemũ Ethi. li. 1.

perperam affingit. Eodem refelluntur modo et apud Aristotelem, & Platonem, qui harmonia definiunt Animam. Sed his omnibus explanandis, ne sim longior, supersedendum arbitror. Monere enim duntaxat de his rebus, non docere, Dialectica tractanti satis est. Exemplum propositum ab Aristotele, sensum huius Loci satis declarat: qui ut sit perspicuus magis, etiam exempli enarrationem addam. Legem quidam finiunt, ut sit mensura aut effigies natura iustorum. Primum quæ natura sint iusta dicendum: deinde, quæ sint legũ Sanctionibus iusta. Natura sunt iusta, quæ semper et ubiq; rationem habent æquitatis, οὐ γάρ τι νῦν τε κ. ἀχθὲς, ἀλλ' ἀεὶ ποτε ζῆ τοῦτο κ' οὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φανέιη. Lex est, quæ opinione & autoritate hominum ius describit, qua etiam est sacra & sancta: cum alioqui (si non sit approbata) nihil intersit, illo an diuerso modo quidpiam fiat. Quamobrem ut illud φύσει: sic certè hoc συνθήκῃ δίκαιον appellari solet. Callicles in Gorgia Platonis φύσιν opponit νόμῳ, & Aristoteles mutabilia hæc iura dicit esse, illa uero immutabilia. Et Politicum certè ius interdum tantopere repugnat naturali iusto, ut non simpliciter, sed ex Hypothesi tantum rationem uideatur habere iuris. Quæ præterea restant, requirenda ex Ethicis, Politicis & Rhetoricis libris erunt: ad id quod instituimus satis hæc nobis faciunt. Naturalis itaq; Iusti non rectè dicitur mensura esse lex. Tametsi enim Lex regula sit et mẽsura æquitatis et iuris, quod spectatur in dictis & factis hominum iudicandis, atq; distribuendo cuiq; quod suum est: ob id tamen natura iustorum mensura non est, siue id propriè, siue per Metaphoram interpretari uelis. Nam si natura Iustum, differt à lege, tum potius φύσει δίκαιον mensura erit legis, quàm contra, lex eius, quod suapte natura iustum est. Sin ut quibusdam est uisum (ut Aristoteles scribit libro quinto Ethicorum) omnia iura ualent συνθήκῃ, falsò nimirum dicetur mensura Lex, cum mensuratum nullum sit scilicet: φύσει δίκαιον. Quomodo igitur mensuræ uocabulum accipi debeat, non potest commodè explanari: quoad usurpatur hac Definitione Legis proposita. Ei nõ est dissimilis ratio refellendi uocabulum effigiei: Nam si Lex est ratio quæ dispensatur conditione loci, temporis: personarum, & mutabilis

Lex quid sit secundũ quosdam.

Natura iusta.

est,

est, ac non necessaria æquitas: eius, ut simulachrum & Paradigma naturalis iusti nullum est (id enim nec loco, nec tempore definitum est) ita nec εἰκὼν & effigies erit ipsius imitatione expressa. Aut si iustum sit æternum illud & naturale, lex scilicet mentibus hominum impressa: ea quidem effigies nequaquam erit, sed Idea, & ipsum per se φύσει δίκαιον erit appellandum. Quare igitur dicatur Lex effigies iusti naturalis, causa & ratio non reperietur: ut non immerito hæc ab Aristotele repræhensa uideatur legis Definitio. Plato in Politico leges humanas appellat μιμήματα τῶν ἀληθειῶν. Et in sexto de legibus, νομοθεσίαν ζωογραφίᾳ simi- Lex quid
lem esse ostendit. Itaq; si lex est effigies, fieri nequit quin imita- sit secundũ
tione sit factum & adumbratum quiddam. At non est imitatio Platonem.
rectæ rationis, sed ipsa recta ratio præcipiens honesta, & prohibens turpia. Quod sanè ἁπλῶς δίκαιον est, idq; natura unum est, quemadmodum una est etiam & optima Respublica. Legem sic Aristo.
finit Aristoteles, ut sit ratio perfecta in rebus agendis, profecta lib. 10.
& nata á prudentia, uim habens ad cogendum inuitos. Cicero Ethico.
Platonicè eam definit sic. Lex est iustorum, iniustorumq; distin- Lex quid
ctio, ad illam antiquißimam & rerum omnium principem expressa secundum
naturam, ad quam leges hominũ diriguntur, quæ supplicio impro- Ciceronẽ.
bos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos. Non planè cognitis rebus pleriq; sic affingunt aliquid, ut dicere quidpiam uideantur, cùm tamen nihil dicant. Vt uerbi gratia. Socrates cum intelligeret non materiam sed Speciem præcipuam essentiæ rerum esse partem, separatam hanc, et per se subsistentẽ dixit, qua sanè participans Materia, nasci & fieri aliquid diceretur. Igitur quòd Ideas separatas Aristo.
dixit, & quòd participatæ à materia Ideæ nasci dici debeant, id de ortu &
omnino à formarum natura abhorret, eisq; non legitimè affingitur: interitu
quod non ineptè tamẽ in formis artifitiosis posse dici uideatur. Qui- lib. 2.
bus nec proprie, nec causa similitudinis aliquid significatur uocualis, his futiles & κενοὺς λόγους exagitari: repræhensione istius loci par est intelligi.

LOCVS VI.

Locus.
Ratio.
Locus alius.
Ratio.

LOcus alius erit, quando contrarij Definitio: ex ea quæ data est, non intelligetur. Quæ enim rectè Definitiones constituuntur, etiam contrarias significant atq; declarant. Aut quando per se prolata, non perspicuum erit, cuius sit Definitio. Idq; perinde euenit atq; in ueterum picturis, quibus nisi ascriptum esset, cuiusnam rei pictura esset, ignorabatur. His itaq; locis, si quid non dilucidè sit Definitum, argumenta ad refellendum suppetunt.

Contrariorum una est ars, & una disciplina: causa generis, quo communicant: & subiecti, ex quo uicißim inter se ac mutuo dißidentia, profligantur. Si quid ergo sic definitum sit, ut ratio contrarij ex proposita Definitione non sit euidens, datam quoq; & positam obscuritatis uitio laborantem reprehendere licebit. Quod Contrario præsertim probetur aliquid, ac planum fiat: Enthymematum perspicuitate constat, quæ concludunt complexu contrariorum acutißimè, ut alicubi in Topicis scribit Ciceto. Proprium enim est contrariorum: ut unum alterius declaretur notitia, atq; unum, si Definitione diserta & plana quid sit intelligatur, obscurum alterum ac dubium nullo modo esse poßit. Quamobrem si in propositi contrarij Definitione inerit aut ambiguum, aut Metaphoricum, aut si neutrum quidem, non tamẽ proprium & accommodatum rei usurpetur Vocabulum: aliâs ipsum per se uitium, aliâs depræhenditur in contrario. ὅτι τὰ ἐναντία γνωριμώτατα, καὶ παράλληλα μᾶλλον γνώριμα. καὶ ἡ μάθησις διὰ τὸ ἀντικεῖσθαι μᾶλλον *inquit Aristoteles. Definit Plato libro quarto de Republica Iustitiam, ut sit:* τὰ αὑτοῦ πράττειν, καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν. *Ergo contrarij erit, id est Iniustitiæ finitio,* τὰ ἀλλότρια πράττειν καὶ πολυπραγμονεῖν. *Sed illud perquàm ambiguè contrarij naturam explanat, ut propemodum cum hac Aristotelis Definitione Iustitiæ, quæ extat in Rhetoricis, stare poße uideatur: cùm Iustitia dicitur Virtus* δι' ἣν τὰ αὑτῶν ἕκαστοι ἔχουσι, καὶ ὡς ὁ νόμος. *Et hac ratione (qua se negotijs alienis implicat)*

Contrariorum magna uis est ad probandum.

Aristo. li. 3 Rhetori.

implicat) πολυπραγμονεῖν, & ἀλλότριον ἀγαθὸν, id eſt non ſua, ſed aliena curans & adminiſtrans Virtus uideri poſſet Iuſtitia. Item, ſi Virtus definitur. ſcientia rerum agendarum. Vitium, ignorantia erit. At ſæpe, deprecando, quando uitium excuſamus, ignorantiã ſolemus prætendere, tantum abeſt ut culpæ & criminis opinionem ignorantia habeat. Vt igitur ipſa per ſe non eſt ignorantia, uitium, ſic ſcientia uirtus non erit. Eſt enim Virtus habitus cum ſcientia, non ſcientia, ut cenſuit Socrates.

Ariſto. li. 6 Ethico. in extremo.

Morbus ſecundum Hippocratem, eſt ſolutio unitatis naturæ in corpore animato. Finitionem hanc Hippocrates complexus eſt Vocabulo ἕλκους, ut nihil aliud ſit morbus quiuis quàm ἕλκος. Quòd ſi morbus (quid ſit) ἕλκος intelligitur planè & perſpicuè, ſi quis oſtendat contraria finitione non intelligi ſanitatem perſpicuè & planè, propoſitam quoq; morbi finitionem obſcuritatis coarguet huius loci argumento.

Hippo. in libro de fracturis.

Definitiones quidem hæ ſunt ueræ, ſed τρόπος facit eas obſcuriores, ut quadrare non uideantur rebus definitis. Solutio unitatis, perinde ut unitas, eſt multiplex. Illa, in morbo, quos τρόπους habeat ſi non conſtiterit, in ſanitate etiam, quam multiplex ſit ratio unitatis, non conſtabit. NON VNVM (quod ἕλκος in Definitione hac morbi interpretamur) quod nimirum contra naturam ſit corporis animati, aut intemperie deſcribitur, pugnante cum naturali habitu, aut non una partium naturæ proportione debita magnitudine, uel figura, uel numero, uel cohærentia, uel deniq; quocunq; alio, quod contra naturam ſubſiſtens, totum atq; uniuerſum corpus ſua unitate ſibi non patitur eſſe conſentiens interuentu cuiuſdam contra naturam affectus. Loci iſtius alterum παράγγελμα eſt, quo præcipitur conſiderandum: an ipſa ſeparatim poſita finitione, rei definitæ nobis ſine ulla dubitatione occurrat notitia. Quod ſi tanquam Cothurnus, alijs quoq; rebus applicari poßit, quia non caret ambiguitate, in numero erit obſcurarum & ineptarum Definitionum. Vt Democriti Definitio eſt, qua Pellucidum definit interuallum eſſe, uacuum corpore. Quod etiam ſi uerum eſſe conceſſerimus ipſius errori ſuffragantes, nihilominus abſurda ſit finitio hæc, quia eadem defini-

Explicatio alterius partis loci.

tur & intelligitur quoq; INANE. Nonnulla sunt Homonyma (inquit Aristoteles) quorum definitiones quoq; sunt homonymiæ multiplices: his tanquam obsoletis & rudibus picturis ascribi debet titulus definitarum rerum, ut intelligatur cuiusnam rei sint definitio. Cum in uarijs & multis rebus sint quædam minima quibus constituantur, Definitio nimirum Elementi anceps erit, si non, cuiusnam generis sit, Definitione est expressum. Definitio enim tanquam pictura esse debet definiti, sic, ut nullius ascriptione tituli, statim cuius sit, deprǽhendi queat. Proposita definitione hac Zenonis Stoici, quæ sic habet. Ignis artifitiosus ad gignendum progrediens uia. Quis est, qui non eam potius igni, quo Fabri aut Coci utuntur, accommodet, quàm omnium rerum naturam continenti (quam Stoici fingũt) causæ? Quare cùm hac definitione non manifesta rei definitæ subijciatur notitia, si proferatur separatim, in ambiguis, istius loci argumento, numeranda scilicet erit.

Arist. li. 7. physico.

LOCVS VII.

Locus.

Considerandum etiam, num in Definitione positum sit, quod ad plura, quàm par sit, pertineat. Istud eò spectat, vt perpendamus, num aliquo sit vsus, quod omnibus inest, vel quoad simpliciter dicuntur esse, uel quoad omnibus inest sub definiti genere positis. Quod enim inest sine exceptione omnibus, id scilicet à nullo potest separari. Et quod omnibus generis eiusdem inest, id nimirum à nullo eiusdem generis separat. Quicquid est tale, frustra appositum erit in definitionibus.

Ratio.

Partium quoq; causa consentaneas uel absurdas dicimus finitiones. Non de nullis adhuc agitur, sed de futilibus & ineptis: quo in genere continetur hæc quoq; formula finiendi, quæ poni pro parte Definitionis interdum solet, quod uim ab alijs separandi nullam habeat. Vt enim definitione sua, tanquam terminis & limitibus, res à quacunq;

cunq; alia distinguitur, ita pars eius nulla esse debet, in qua non sit momentum aliquod discretionis. At communibus separatio nulla intelligitur definitæ rei, sed ijs confunditur magis ipsius notitia, aut cùm ijs, quæ sunt extra genus definiti (ut si in definitione asciscuntur, quæ sunt consectaria omnium generũ) utimur tanq; differentijs, aut quando ijs, q̃ consectaria sunt omniũ, quæ generis positi complexu continentur, propositam rem definierimus. ὅρον uoculam, Aristoteles pro parte, nẽpe pro Differentia, non pro tota Definitione hîc usurpat: Differentia enim est, quæ propriè finit, limitans scilicet & determinans Genus, aut quiddam aliud commune, quòd in Definitione primum sit, & quasi ipsius fundamentum. Et aliâs etiam, ut supra quodã in loco diximus, Differentiam ὁρισμόν nominat Aristoteles, q̃ si rẽ confundat, uel cum ijs, quæ sunt extra Genus, uel cum ijs, q̃ continentur Genere, Differentia: id est Definitio, huius loci argumento nõritè & aptè constituta cognoscetur. Etenim Genus, separare definitum ab omni quod extra ipsum est, debet. Differentia autem separat ab omni eo, quod intra genus est collocatum. Communioribus partibus adiectis, non partes illæ, sed labes quædam & macula erunt definitionis, quas tanquàm frustra & inutiliter positas, hoc loco repræhendimus. Pro Differentijs usurpantur aliquando, uel communißima extra Genus propria, quæ sunt ipsius ENTIS, quatenus ENS, quorum contemplator est Metaphysicus: uel propria generum, quæ nimirum conueniant omnibus sub genere positis, quæ, quia non separant, talibus uti pro differentia non licet. Hæc enim est causa & ratio præsentis Loci. Extra Genus omnino communia sunt, ut, idem esse, unum, multa, diuersum, contrarium, actu uel facultate, & similia: quorum nihil Generi additum, aut differentia, aut pars differentiæ queat esse, quoniam his nihil distinguitur. Vt si hominem finiens, dixeris, ipsum esse animal, diuersum à reliquis, compos rationis. Diuersum esse, extra Genus Differentia est. Aut hoc modo. Homo est Animal uitæ, & intelligentiæ particeps. Vita enim differentia non est, cùm superiore Genere (nempe corpore animato) contentis conueniat omnibus. Aut si sic, Homo est Animal tangendo, sentiens, ac ratiocinans, Sentire enim hominem nõ distinguit

Genus quomodo separet.

Extra Genus communia.

guit ab ulla re Generis eiusdem, cùm nullum sit Animal expers sensus tactus..

LOCVS VIII.

Locus. QVando quod adijcitur propriũ est definiti, quo sublato, nihilominus Definitio, quod restat, rei est propria, declarans eius substantiam. Vt in finitione hominis, particula hęc (capax disciplinę) si adponatur, redũdabit inutiliter. *Ratio.* Ea enim detracta, nihil ominus uernacula rei est definitio, substantiam hominis declarans. De coetero, omne id superuacaneum est & redundans, quo detracto, reliquũ nihil ominus explanat rem definitam. Ex illo genere definitio hęc est animę, qua dicitur numerus ipse, seipsum mouens. Etenim, ipsum sese mouẽs, separatim naturam explanat Animæ, quemadmodum eam Plato finiit. An proprium id quidem est Animæ, & absq; numero substantiam non explicat? Quemadmodum res habeat, explicatu difficile est. Veruntamen prout postularit usus disputationis, de talibus statuendum erit, Qualis est pituitæ definitio hæc: Humor primus ex cibo incoctus. Vnum enim primum est, non multa. Ita redundat illud, incoctus. Quandoquidem sublato eo, peculiaris reliqua futura est definitio. Fieri enim non potest, ut ipsum quid, primum proueniat ex cibo, & præter id aliud quiddam fiat primum. Nisi fortè pituita non est id omnino quod ex cibo primum fit, sed primum est eorum, quæ non sunt concocta, vt illud non concoctum, addendum videatur. Nam si illo modo dicatur, non vera erit definitio, siquidem non est omnium primum.

Non satis est cauere, ne, quod pro differentia usurpatur, propter communitatem nullum exhibeat usum Differentiæ, cum quædam non communia etiam & definitorum propria sic addantur sæpe in Definitionibus, ut sublatis, nihilominus nihil deesse perfectioni earum uideatur, Vt si definiens quis τὸ καθόλε analyticum, dicat ipsum

esse,

esse, quod omni per se, & primo, & quatenus ipsum, insit, Nam illud, quatenus ipsum, synonymum est ei, quod primò sic dicitur affectum per se. Τὸ καθ' αὑτὸ δὲ καὶ ᾗ αὐτό, inquit Aristoteles, ταὐτόν. Item, in Definitione Animæ plerique sine causa addunt ei Definitioni, qua dicitur, Actus corporis physici, organici, particulam hanc, uitam habentis potentia. Quæ nihil aliud est, quàm explicatio, organici, quod in Definitione est positum. Vt Generum, ita Specierum, id est, rerũ definitarum Proprijs, definitiones nõ sunt inutiliter exaggerandæ. Id autẽ tum accidit, quando sublato Proprio, nihilominus perfecta rei constat finitio. Præceptum hoc exempla non desiderat, sunt enim in promptu. Interdum propter synonymiam redundare uidetur particula, quæ tamen non sit superuacanea. Vt in definitione Naturæ, quam proposuit in Physicis Aristoteles. Ei enim, quod in definitione dicitur PER SE, nõ frustra adijcitur. ET NON SECVNDVM ACCIDENS, tametsi uideantur idẽ significare, si respectu dicantur unius & eiusdem. Igitur Natura est principiũ, unde arceßit motus, et causa qua poßit excitari motus in mobili, quoad in eo inest primò. Nihil enim prius est in re naturali & mobili, quàm materia ipsius & forma. Ac per se principiũ est, ut substantiæ, ita quoque motionis. In rebus enim naturalibus alia quoque principia motionis insunt, ut principium, quo res moueat ipsa semetipsam. Natura autem est, qua res non moueatur à semetipsa, sed qua moueri ab alio poßit, quod rei nequaquam secundum accidens insit. Respectu igitur naturæ, alterum principij Genus, quod uidelicet primò mouet, non id quo primo mouetur, hoc loco per accidens dicitur, quod exceptione huius differentiæ determinatur. Alioqui respectu patientis motũ, principiũ per se intelligitur esse agens, et respectu animati, principium motionis anima per se est, quæ tamen natura ipsa non sunt in rebus, quippe sine his natura cùm possit subsistere, & hoc nomine dicantur etiam, naturæ accidere, et per Accidens principia esse motionis. Hæc est genuina & uera Interpretatio definitionis Naturæ apud Aristotelem, quam haud scio, an quisquam ritè sit interpretatus. Ex quo liquet, non usurpari hac in definitione tanquàm Synonyma, uoculas, per se, et non secundũ

Non semper particula redundat in definitionibus, quamuis uideatur redundare.

Accidens: alioqui futili & inepta, propter redundantiam, hac futura Definitione. Illud porro quod primò moueat, non esse naturam, id est, nihil ipsum à semetipso primò moueri, demonstrat Aristoteles libro septimo Physicorum. Sed de hac Definitione dictum satis superq́. Ergo Proprijs, aut idem significantibus Vocabulis rerum à Definitione sublatis, Species significatur nihilominus eadem. Propria enim, quantumuis ab alio quouis separent, perfecta Speciei finitione, nihil eis tamen est opus, tametsi finiendis rebus, suo modo, magnum aliâs uideantur habere momentum. Aliæ sunt adiectæ differentiæ, quibus mutatur Species additis, uel demptis: eisq́ non tanquam ineptæ & redundantes, sed tanquam nullæ repræbenduntur finitiones. Vt Febris finitioni, quæ dicitur Calor contra naturam in corde accensus, si quis adijciat: propter putrescentem humorem, Is iam nimirum pro Genere, Speciem febris definierit. Quòd si differentia hæc, aut Proprietas definiti esset, aut Accidens, Speciem certè non constitueret, sed hoc loco redundantiæ nomine repræhenderetur, tanquam frustra differentia addita. Repræhendit Galenus libro primo de differentijs febrium Medicos, qui superuacaneis & inutilibus differentijs Species febrium describere sint conati, quibus tamen uel additis, uel sublatis, Species nō mutetur. Quod ut in reliquis etiam animaduertamus, operæ pretium existimo, de quo, exemplo febrium moneamur. In Definitionibus rerum per causas, quod per se est, non frustra distinguitur ab eo quod ei accidit. Nec exceptio illa (ut supra diximus in Definitione naturæ) est superuacanea. Non enim respectu eiusdem, PER se, & NON secundum Accidens, usurpantur. Alioqui sine distinctione hac confunderentur causæ diuersarum Specierum, quæ quia eædem sunt genere, omnino pro eisdem solent interdum ab imperitis haberi. Quod in alijs Specie differentibus non perinde usu uenit, Generis & Specierum discrepantia scilicet satis nota: Nec ut causa superior & latius patens, cum inferiore & angustiore: Genere causæ confunditur: ita Species & Genus alio quopiam Genere confusa, pro eodem haberi solent: ut ipsis distinctione quadam sit opus. Quanq́, quod dicimus, exemplo Definitionis Naturæ sit perspicuum,

Quoniam Proprijs ὄντα rerū finimus.

um: nihilominus, ut clariora hæc sint & illustriora, Definitionem Elementi Physici quoq; in medium afferamus. Vt sit Elementum, corpus, ex quo, cùm primo inest, generatur mixta substantia per se, & non secundum Accidens. Mixtionis duæ sunt Species in lacte, atq; adeò duæ Species Elementorum. Vna est, qua mixtum communibus omnium rerum Elementis ipsum dicimus: Altera, quæ proprijs partium naturis, ut Butyro, Caseo, sero, Lac mixtum dicitur. At Definitione hac Elementi, qua prima & communißima uolumus intelligi, quia in nonnullis sunt coniuncta cum altera Specie Elementi, ne scilicet cum ea, prima hæc Species confundatur, non alia ratione differentiæ submoueri potest, quàm ut respectu eius, secunda Species mixtionis accidere dicatur, quippe cum prima absq; secunda esse poßit, sed Species secunda siue prima esse nequeat, Et Lac, non quia Lac, sed quia mixtum corpus, ex Elementis (quæ absolutè sunt, & dicuntur simpliciter Elementa) nasci dicendum, quibus accidit ut propter ipsa Lac diuidatur in partes has ἀνομοιομερεῖς, quæ non simpliciter, sed Lactis dicuntur per se Elementa esse. Ex quo concludendum. Non intelligi idem differentijs his, PER se & NON secundum Accidens, in hoc Genere finitionum. Ad exempla proposita ab Aristotele me conferam. Xenocratis hæc est definitio Animæ, ut sit numerus ipse seipsum mouens. Superuacaneum quiddam posset censeri Vocabulũ Numeri, quia Plato in Phædone finijt Animam, ut sit, quod semetipsum moueat. Quòd si hæc uera est finitio, redundabit in altera Definitione uox Numeri, eritq; frustra apposita. Nõ est autem ut aliquis existimet Definitiones has reuera probari ab Aristotele, quum eas in primo libro de Anima tanquam falsas refellat, & in septimo Physicorum libro demonstret, nullo modo posse fieri, ut aliquid seipsum primo moueat. Occurrit reprehensioni huic Aristoteles eamq; emendat, ut non frustra additum in Definitione NVMERVS, uideatur. Si moueri à seipso, tanquam Proprium quarti modi usurpetur, ut eius interpretatio sit talis: Anima est causa propter quam aliquid à seipso moueri dicatur, Non repudianda erit Definitio hæc; ut quæ proprietate quadam definiat

Elementũ quid.

niat Animam ὅτι ἐστι. Huius proprietatis uel Genus uel Subiectum erit: NVMERVS, quo significatur species partes habens, & nihilominus indiuidua (nam siue addas, siue detrahas ex numero quicquam, species mutari solet) qua ratione uox hæc nequaquam in definitione redundabit. Nam ut libro quinto Topicorum scribit Aristoteles, δεῖ γὰρ τῶν ἰδίων, καθάπερ τῶν ὅρων, τὸ πρῶτον ἀποδιδόσθαι γένος. Id est. Oportet etiam Propriorũ, quemadmodum finitionum, primum aßignare genus. Cœterum difficile est cognitu, nec facile est declarare, qua nam ratione hæc Animæ quadret definitio. Videntur enim hac, substantiam, non proprietatem animæ uoluisse definire, de qua dictum in præsentia satis est. Exemplum alterum ratione tractatur: qua aliquid non simpliciter, sed cum determinatione quadam esse dicitur, quæ aliâs necessaria sit, aliâs superuacanea & inutilis. Istius Generis multæ sunt determinationes communes, quarum explicatio requirenda ex Metaphysicis, ut primum esse, per se esse, uel actu, potentiaue, necessarium, contingens & similia: ad quæ ampliari ratio proposita in hoc exemplo debet, utendumq; omnibus pro eo ut commodum disputanti fuerit uisum.

Pituitæ definitio.

Pituitæ à quibusdam hæc ponitur definitio, ut sit humidum primum ex nutrimento, crudum seu incoctum. Si omnino primum sit phlegma quod fit ex cibo, frustra erit additum: incoctum. Nam unum duntaxat est primum, ut determinatione ad significandum ipsum non opus uideatur.

Primum, distinguit.

Quocirca ineptè determinatur, PRIMVM: quod suapte natura confusum non est, sed potius confusa determinat. Redundat itaq; inutiliter in hac finitione quod additum est in extremo, nempe, incoctum seu ἄπεπτον tanquam determinatio PRIMI. In definitione Loci apud Aristotelem differentia & determinatio ultima est (primum) uocula.

Primum, in definitione loci apud Aristotelem.

Est enim locus, planities corporis continentis, immobilis primum. Et omnino, primum esse, non potest determinari absq; nugatione, cum exceptione omnino multitudinis intelligatur, atq; nullam desideret differentiam, quod multitudinis differentia sit, ipsum autem ratione propria non sit multiplex aut diuiduum. Nam si phlegma simpliciter primum sit quod ex cibo

gignitur

gignitur, præter ipsum certè aliud nihil erit quod nasci queat: & ob hanc causam addita ei differentia nihil est opus. Sin autem simpliciter primum non est, sed incoctorum primum, non frustra scilicet, sed causa determinationis, erit additum ἄπεπτον nimirum, quod significat multa. Quod fit ex nutrimento (nutrituro scilicet, nondum autem actu nutriente) aut elaboratum & perfectum est concoctione, ut humor sanguineus, quo generantur & nutriuntur omnes particulæ corporis. Aut ὑγρὸν ἄπεπτον, qui humor uel crudus est ita ut poßit etiam calore natiuo perfici, & idoneus fieri nutriendo copori, ut phlegma, quod interdum plurimum sanguini admiscetur, & per inediam concoquitur. Quò respiciens dixit Hippocrates τὴν δέ γε ἀσιτίην τὴν παρὰ τὸ ἔθος οἱ φλεγματίαι τὰ ἄνω, εὐφορώτερον φέρουσι τὸ ἐπίπαν. Id est. Præter consuetum, omnium facilimè ferunt inediam, qui in superiore uentre abundant phlegmate. Aut humores quidem sunt ἄπεπτοι & crudi, non hac conditione ut calore natiuo elaborati fiant habiles ad nutriendum corpus, sed iccirco concoqui dicuntur, ut à natura excerni & expelli poßint è corpore tanquam inutiles, & nutriendo corpori inhabiles, ut bilis flaua, succus niger, & melancholia, item serum sanguinis. Humores isti etiam suam quandam habent concoctionem. Nam quo synceriores sunt, eo magis naturam corporis affligunt, quamobrem mixtione & crasi quadam mitigantur, & obedientes naturæ uiribus & facultatibus sese exhibent. More igitur Hippocratis ἀπέπτους χυμούς quosdam ὠμούς appellabimus quosdam ἀκράτους. Illis opposita est πέψις, his autem κρᾶσις aduersatur, habitus naturales utrisq; contra naturam habentibus. Ex crudis, primum est phlegma, sanguis enim ex illo generatur. Ex reliquis sanguis non nascitur, sed eo sunt posteriores, excrementa nimirum cùm sint sanguinis. Aristoteles libro primo de procreatione animalium, primi nutrimenti, & ultimi περίττωμα distinguit in phlegma, & humorem spermaticum, sic scribens. Τῆς μὲν οὖν πρώτης τροφῆς περίττωμα, φλέγμα, καὶ εἴ τι ἄλλο τοιοῦτον. Καὶ τὸ φλέγμα τῆς χρησίμου τροφῆς περίττωμά ἐστι. σημεῖον δὲ ὅτι μιγνύμενον τροφῇ καθαρᾷ τρέφει, καὶ πονοῦσι καταναλίσκεται. Id

Triplex nutrimentum esse docebimus aliâs, secundum Hippocratis mentem.

Hippo. περὶ διαίτης ὀξέων.

Humorũ duplex concoctio.

Hippo. περὶ ἀρχαίης ἰατρικῆς.

Duplex περίττωμα.

est. Primi nutrimenti excrementum est phlegma, aut si quid aliud tale. Etenim phlegma utilis nutrimenti superfluum est. Signũ est, quia admixtum puro nutrimento, ipsum quoq; nutrit corpus, & laborantibus nobis, digeritur & concoquitur. Considerandum igitur quando in Definitionibus posita aliqua particula, posterior poni nõ poßit, aut quia inutiliter redundans scilicet, aut contrarium implicans. Etenim Diesis in musicis interuallis simpliciter primum est. In his causis, quibus generatur animatum, simpliciter primum non est sperma, sed in his, quæ γένει priora sunt, pro primo numeratur. Alioqui φύσει prius est spermate ipsum gignens. Ergo primum esse, Differentia est generis istius non absolutè positi in definitione spermatis, sed determinati: quæ determinatio, si postrema poneretur, prioris positæ contrariam rationem implicaret, ut supra quoq; in definitione Phlegmatis est dictum.

LOCVS IX.

PRoximus est Locus, quoties aliquid eorum quę definitione continentur, nõ omnibus ijs, quę sunt sub eadẽ specie, conuenit. Qualis Definitio deterior et absurdior est his, in quibus aliquid adhibetur, quod in uniuersum omnib; conuenit. Hoc enim modo, si reliquum Definitionis proprium erit, & tota propria erit definitæ rei. Quoniam si ad Proprium, aliquid quod uerum est, additur, omnino tota etiam ratio erit propria. At si quid eorum, quæ in Definitione sunt collocata, non omnibus conueniat ijs, quæ eidem speciei subiiciuntur, tota oratio propria rei definitæ nullo modo esse potest. Neq; enim de re uicissim dicetur. Qualis hæc est Definitio: Animal gradiens, bipes, quatuor cubitorum. Neq; enim de re uicissim dicitur, propterea quòd non omnibus iis, quæ eidem speciei subiiciuntur, magnitudo quatuor cubitorum conuenit.

Locus.

Ratio.

Inutilia Definitionum additamenta hoc reprehenduntur etiam

am loco, istius autem sunt generis hæc, ut aut pertineant ad plura, aut ut sint angustiora, quàm εἶδος definitum. Omne quod per se & separatim definitione sua circumscribitur & noscitur, quamuis alioqui sit genus, ab Aristotele solet appellari εἶδος. Generis enim uocabulo communicatio intelligitur, sed propria quidem notitia, & qua separatam eam ab omnibus alijs cognoscimus, εἶδος est circumscriptum. Sed ut uoculam εἶδος usurpet Aristoteles, diximus aliâs: In additis Differentia hæc est. Si quod εἶδος Definitione sit expressum, in qua præter genuinas partes, & Definitionis proprias, adiecta sit uox pluribus accommodata etiam extra Definitionem positis rebus, ut redundantem, sic nequaquam falsam tamen efficiet Definitionem: Tota enim uerè Definitio enunciatur. Nam si ad Proprium aliquid, quod uerum est, additur, totum etiam, quod his conflatur, uerum esse oportet. At si quid adiectum sit, quod ad pauciora, quàm εἶδος pertineat, ueritas nimirum corrumpetur Definitionis, quoniam ad pauciora, quám natura ipsius postulet, astringitur. Hoc uitio non raro laborant ἴδια, quæ ut Genera communem multorum rationem explicant, & propter finitionem uni duntaxat applicantur Speciei. Hanc ob causam Aristoteles scribit in Analyticis posterioribus, difficilius esse Genus appositè definire, quám Species. Genus enim cùm sit quoddam totum, cognosci eius partes omnes oportet: quippe ipsum per se non est aliquid, sed multarum aut certarum Specierum communis quædam ratio, in quam nihil incurrat, quod alicuius Speciei sit propria Differentia. Hac enim addita, ex toto, id est Genere, fiet definiendo pars seu Species. Quanquàm nihil probibet confusa & rudi notitia rerum, prius à nobis Genus, quàm Speciem percipi, ut idem in primo Physicorum scriptum reliquit: Accurata tamen cognitione & perfecta (quam complectimur finiendo) omnino posterius est Specie, quoniam, ut aliâs inquit Aristoteles, Genus aut nihil est, aut est Specie posterius quiddam. Harmoniam, cùm sit Genus, pleriq; ad Speciem duntaxat significandam transferunt: finiendo eam, proportione sonorum apta, & quæ grata sit auribus. Species hæc est Harmoniæ, quemadmodum etiam altera est, qua partes magnitu-

εἶδος nocula quomodo usurpetur ab Arist.

Quare difficilius sit Genus finire quàm Speciem.

Genus quo pacto sit notius Specie.

dinis compositæ aptè cohærent, & concinnè sunt coagmentatæ. Harum neutra generis est Definitio, quæ est ut sit eorum, quæ positum habent & motum compositorum unitas, ut eiusdem generis quidpiam interuenire nihil poßit. Nam si ita distant, ut eiusdem generis intercedere poßit quidpiam, sine compositione, id est Harmonia, positum habent, & sunt ἀνάρμοστα, Aristotelis hæc est definitio generis Harmoniæ. ἐπειδὰν οὕτω συναρμόζωσι ὥστε μηδὲν συγγενὲς παραδέχεσθαι. Simili errore Finitionis factum est, ut uoluptas, tanquàm corporeus quidam motus, & eiusdem illecebra, contemneretur, quoniam plerisq; uisa fuit nihil aliud quàm motus, ad naturalem habitum incitatior, quæ non Generis, sed Speciei cuiusdam est finitio. Et πέψιν, si quis finiens, dixerit esse concoctionem cibi in uentriculo, cuius quæ sint Species, commemorat Aristoteles in quarto Libro Meteorῶν. Iustitiam cœlestem, seu diuinam, quæ est, qua Deus in nobis est efficax Spiritu suo, ac sui nos participes facit, qui nimirum est iustitia sempiterna, definiendo quidam astringunt ad Speciem istius Generis, nempe ad Iustitiam Christianam, quæ tamen Species non sit, sed Genus Iustitiæ præsentis, quam Christianam appello, & futuræ, quam sempiternam nomino cum Propheta Daniele. Præsens, & ea quæ Christiana nominatur Iustitia, est habitus quidam nobis tributus diuinitus, quo Deus reputat nos idoneos, quibus Spiritum suum sanctum conferat. Cæterum habitus hic in Scripturis nominatur Iustitia Fidei, qua apprehendimus illum, propter quem Deus uult esse nobiscum. Hac Iustitia (quæ, ut scribit D. Paulus, abolebitur) propitium habemus Deum, & adminiculo eius ex inchoata illa transferimur in sempiternam. Non igitur Generum finitiones ad Species sunt transferendæ, nec Genera Specierum finitionibus sunt astringenda, quod hoc loco admonendum duxi.

Generis Harmoniæ finitio.

Voluptatis uitiosa finitio.

Iustitia cœlestis.

LOCVS X.

ILlud etiam uidendum erit, an verbum idem iteratum

tum sit, vt si quis Cupiditatem definiat, iucundi appetitum. Enimuero Cupiditas omnis relata ad iucundum intelligitur, quare idem sunt Cupiditas, & Cupiditas Iucundi. At Finitio hæc constituitur Cupiditatis, vt sit appetitus iucundi. Nihil enim interest, siue Cupiditatem quis dixerit, siue appetitum iucundi. Cum autem in vtroq; includatur iucundum, definiendo vtrunq; illorum, I V C V N D I, dicetur. (Id est, Iucundum positum bis erit). An vero pro absurdo, id non est numerandum? Etenim Homo quoq; bipes dicitur. Idemq; scilicet Homini erit ipsum bipes. At Homo id ipsum est, quod Animal gradiens bipes. Quibus positis, idem absurdum sequeretur, vt nimirum Homo sit Animal gradiens bipes, bipes. Verum isto modo nihil accidit absurdi. Non enim de Animali, quatenus determinatur gradiente, enunciatur bis ipsum bipes. Quod si fieret, bis de eodem bipes diceretur. Sed de Animali gradiente bipede, bipes effertur, quare semel duntaxat bipes dicitur. Eodem modo fit in Definitione Cupiditatis. Non enim de appetitu, Iucundi esse, dicitur, sed de complexu vtriusque. Quapropter hoc etiam Exemplo semel duntaxat quidpiam dicitur. Proinde in absurdis non est numerandum, si nomen idem vsurpetur bis, sed illud pro absurdo est habendum, si de quodam idem prædicetur sæpius. Vt quando Xenocrates Prudentiam Definitricem & Contemplatricem eorum, quæ sunt, inquit esse. Definitrix enim, Contemplatrix quædam est. Quare bis idem erit dictum, dum ei posterius etiam adiungit, Contemplatricem. Similiter peccant, qui finiunt refrigerationem esse priuationem eius, qui secundum naturam inest, caloris. Quippe Priuatio omnis est eius, quod à natura

Locus quo repræbenditur ἀδολεσχία in finitionibus.

Repræbensio ἀδολεσχίας in nõ relatis uocabulis.

tura inest. Itaq; superuacaneum est adiicere, eius quod insitum natura est, cum satis sit dicere: priuationem esse calidi, quandoquidem ipsa priuationis Vocula, à natura quidpiam insitum declaret esse.

Ex inutilibus additamentis, quibus laborant nonnullæ Definitiones ineptæ, est etiam iteratio eiusdem, quod uitium Græci uocant ἀδολεσχίαν, idq; ut alijs in orationibus, ita quoq; repræhenditur in Definitionibus. At repræhensio hæc aliâs Sophistica est & iniusta, aliâs uera & consentanea, & quæ ad Dialecticum pertinere uideatur. Ludunt Sophistæ & fucum faciunt in reprehensione ἀδολεσχίας, quam committi dicunt complexu relatiuorũ, ut si quispiam uim nominis Dupli explanãs, dixerit esse duplum dimidij. Aut complexu subiecti cũ uocabulo, quo significatur proprium πάθος, ut si nasus dicatur simus, aut pes appelletur claudus. In relatis uocabulis falsõ nugationis argumento illudũt Sophistæ, quòd his putant extra cõplexum relationis omnino significari aliquid, & idem significari rentur: quod significetur utrisq; relatis compositis. Nam compositione hac, qua dicitur duplum, dimidij, Duplũ interpretantur tanq; ipsum quoq; significet aliquid separatim: perinde ut absoluta uocabula separatim aliquid significant, et pro nomine illorũ interdum ponitur oratio. Quod ipsum, si fiat interpretatione dupli, id ad quod refertur dimidium, subinde, & infinitè iterandum erit. Explicanda igitur uera ratione relatorum nominum, occurrendum est Sophistis. Ac primum est dicendum, duplum dimidij, unum esse & unius Prædicamenti nomen, cuius partes separatim, aut nihil significent (quod ipsum in absolutis quoq; nominibus usu uenit) aut nõ idem quod antea significarint: ut si duplo significetur quaternarius. Quòd autem mutari subinde significationem uocularum contingat: quoad eis utimur cõplexè, aut separatim, uel ex eo potest perspici: quòd scientiæ uocabulum in definitione Grammaticæ positum, significat habitum & qualitatem. Extra definitionem Scientia in his, quæ referuntur, potest numerari. Præterea quis nescit, aliud ipsum per se significare uiginti, & aliud, si quis compositè pronunciet, duodeuiginti? Ita

Apparens redargutio ἀδολεσχίας.

Proprium implicat suum subiectum, ut relatum: suũ correlatũ.

Relata separatim nihil significant.

Non idem significant uocabula separatim posita, & cùm alijs coniuncta.

quoq;

quoq; in non albo, usurpatur album: & negatio certè sine eo quod affirmatur exprimi nequit, sed non eadem significatione, ut multum intersit, compositè aliquid an separatim enuncietur, At relata, quia relata, separatim certè significant nihil. Quo refellitur fictum illud crimen ἀδολεσχίας nominibus relatis explicandis, quo sibi uidentur admodum arguti esse Sophistæ, Quando dupli dimidium dicitur: duplum ipsum per se ut nihil significat, ita interpretationem hanc excludit: qua necesse esset infinitè dimidium ingeminari. Quinetiam in altero (quod diximus) Genere, perperam reprehendunt ἀδολεσχίαν. Idem enim bis non dicitur, quando nasum simum pronunciamus. Quoniam simum non est nasus, sed πάθος, nempe cauitas quædam depressa nasi. Simum etenim non significat præcipuè nasum, sed cauitatem quandam, ut idem significent nasus simus, & nasus certa quadam cauitate præditus, quæ nimirum determinatur Subiecto certo: non est autem ipsum, ut paulo ante dixi, Subiectum. Ueruntamen in relatis hæc non est prætereunda differentia: quòd nimirum quædam Generis duntaxat referuntur gratia. Ut Grammatica, relatum quiddam, propter scientiam existimari potest. Per se autem, & εἴδει ἀτόμῳ refertur, Duplum. Atq; Genus illud quidem omnino relatorum nihil penitus absq; respectu, ut dictum est, significat, quoniam ipsorum esse, aliud nihil est, quàm referri ad aliud.

Relatorũ differentia

Hactenus de uoculis, nunc de Definitionibus, quæ reuera sint, aut cum non sint, uideantur tamen nugatoriæ, differemus. Quomodo sint definiendæ species relatorum, alio quodam loco planum faciemus. At nunc pro concesso & confesso illud usurpetur, in Definitione relatorum ponendum Genus relati eius quod definitur, pro differentia, oppositum eius, istud nimirum ad quod referatur. Cuiusmodi hæc est finitio Dupli, qua dicitur esse exuperantia dimidij, Et cupiditas, qua dicitur esse appetitus iucundi. Quorum illud est in primo, hoc uero in tertio Genere Relatorum. Sed de his, ut dixi, aliâs plura differemus. Tales Definitiones hoc argumento posset quispiam tanquam nugatorias reprehendere. Cum enim Definitio uerè et sine adoleschia prædicari de Definito debeat, harũ profectò neutra uidetur absq; nugatione dici. Ut exuperantia dimidij de duplo, & de

Quomodo pura relata sint finienda.

cupiditate, appetitus iucundi. Nam si uerè dicatur, Duplum est exuperantia dimidij, & in duplo includatur etiam dimidium, ut id ad quod refertur, geminetur necesse est, quare erit exuperantia dimidij, dimidij. Eadem ualet ratio in definitione cupiditatis, cuius uocula includitur iucundum, ut id nimirum ad quod refertur. Quare cupiditas est appetitus iucundi, iucundi. Aristoteles ostendit has definitiones, quamuis uideantur, non tamen laborare nugatione. Nam si idem aliquid, & eodem modo, bis dicitur, ἀδολεσχία committi solet. At in definitionibus his idem quidem repetitur, sed non eodem modo. Prius enim, IVCVNDI, ponitur tanquam differentia, & cum præcedente genere conficit definitionem. Posterius, partem de toto enunciat, ut significet uel differentiam de toto rectè dici, uel significat id ad quod totum, id est definitum, causa nominis omnino & solum referatur. Perinde istud usu quoque euenit in definitionibus absolutorum. Etenim absque nugatione bipes de homine dicitur, quanquam si pro nomine ponitur oratio, geminatum bipes necesse est poni. Sed aliud est bipes quoad ponitur in complexu totius definitionis, & aliud quatenus separatim prædicatur: quæ satis, ut opinor, perspicuè explanantur textu, ut interpretationem non magnopere desiderent. At sunt definitiones quorundam absolutorum, in quibus uidetur idem repeti sæpius, ut hac in definitione, qua dicitur quidpiam ζῷον ὑπόπουν, δίπουν, σχιζόπουν. Nam habere pedes, his omnibus repetitur differentijs, non sine, ut uidetur, nugatione. Repetito eodem his differentijs opus non esset, si non accidentia essent, & ob id pluribus conuenirent absque determinatione communi illis addita. Sub enim, & binos habere, & fissum esse, ad nullum certum genus determinata uocabula, accidentia potius quàm differentiæ sunt appellandæ. Determinata uero, pedis, adiectione, nullius alterius rei præterquam animalis possunt esse differentiæ. Proinde differentiæ tametsi differentia per se non sit (alioqui enim species constitueretur sine genere) genus tamen propter ipsam subinde fit diuiduum, ita ut ordinis gratia quædam sit ultima differentia, quæ speciem constituat. Alioqui si promiscuè omnes addantur primo generi, atque inferior non diuidat superiorem, eadem ratione, nempe respectu

Aristo. li. 7 Metaphy.

Qua ratione in quibusdam definitionibus idem sæpius oporteat repeti.

Quomodo differentiæ dicatur esse differẽtia.

eiusdem

eiusdem, nugatoria repetitione inculcabitur, pedes habere. Aut si sine ordine, ac præposterè communior postponatur arctiori, ut si dixeris, bipes pedatum, identidem in his depræhendetur differentijs ἀδολεσχία. Legitimo uerè ordine differentijs positis, pedes habere, licet crebrius usurpetur, non tamen eodem modo adhibetur, non eisdem uidelicet distinguendis rebus & generibus, quæ sanè, ut dictum fuit, non est inanis repetitio, & ἀδολεσχίας nequaquam uitio coarguenda. Ergo si ratio sit eadem, quantumuis uoculæ uideantur discrepantes (cuiusmodi est συνωνύμων diuersitas, quibus equidem compluribus eadem res, & eodem modo significatur) nihilominus redundans his & uitiosa iudicanda est Definitio. Vt Xenocratis Definitio hæc Prudentiæ, qua definit eam ὁριστικὴν καὶ θεωρητικὴν τῶν ὄντων. Nam in Definitione ὁριστικῆς continetur θεωρητική. Aut si pars Definitionis una sit nomen, & altera huius nominis ratio. Vt si definiens Refrigerationem dicat ipsam esse priuationem caloris, qui natura sit insitus. Satis enim est dicere. Priuationem esse caloris. Quoniam contra naturam affici, priuationis est ratio. Habitu enim significatur, quod natura insitum est rebus. Vt in his quæ κατὰ φύσιν, & παρὰ φύσιν inesse dicuntur, isto modo φύσει & στερήσει distinguimus. Quocirca frigus in igne στέρησις erit, in aqua στέρησις non erit, sed φύσις, quantumuis aqua actu sit calida. Sic quodam in loco Aristoteles scribit, φανερὸν ὅτι τὸ ψυχρὸν, φύσις τις ἀλλ' οὐ στέρησις ἐστιν, ἐν οἷς τὸ ὑποκείμενον κατὰ πάθος θερμόν ἐστιν. Id est, Manifestum est frigus non priuationem sed naturam esse, in quibuscunque Subiectum per Accidens calidum est. Quare frigus in igne caloris priuatio est, non natura, sed συμβεβηκός, ita calor in aqua φύσις non est, siquidem calet, sed συμβεβηκός est. Priuatio autem frigoris simpliciter eatenus in frigida dicitur inesse, quoad permutabilis est suapte natura in frigidam: nam ut ignis φύσει est calidus, sic aqua frigida est φύσει. Eiusdem generis inepta Definitio est: si Maturatio definiatur esse cõcoctio frugum, qua nimirũ calore natiuo humidum & siccum terminetur. Nomen & ratio ponuntur in eadem Definitione, Est enim concoctio Τελείωσις ὑπὸ τοῦ φυσικοῦ θερμοῦ καὶ οἰκείου ἐκ τῶν ἀντικειμένων παθητικῶν.

In Synonymis quomodo depræhendatur ἀδολεσχία.

Prudentiæ Definitio Xenocratis uitiosa.

Refrigerationis Definitio praua.

Refrigeratio simpliciter usurpata est calidi simpliciter: quod nimirum est φύσει calidum. Arist. li 4. μετεώρων.

 Similis

Definitio sapientiæ apud Ciceronem uitiosa.

Similis est ei definitio sapientiæ, quæ extat apud Ciceronem, qua dicitur rerum diuinarum & humanarum, causarumq́;, quibus hæ res continentur, scientia. Etenim scientiæ ratio includit in se rerum, cum suis causis, notitiam, ut in hac definitione bis idem dictum uideatur. Quare nec ordo peruertendus in Definitionibus, sed semper Differentiæ accipienda est differentia, nec totum aliquid ponendum, cuius partium explicatione iterum repetatur aliquid, rem propositam finiendo. Itaq; posterius in Definitione, neq; Genus, neq; Definitio, nec includens definitionem, prioris, esse debet.

LOCVS XI.

Locus.

RVrsus uidendum est, an si Definitio vniuersi generis (quod Græci vocant καθόλυ) sit proposita, aliquid etiam, quod pars eius sit, adiungatur. Vt si quis æquitatem definiat, imminutionem utilium rerum atq; iustarum. Cum enim quod iustum est, etiam utile sit quiddam, continetur iustum profectò in utilibus. Quare illud, RERVM iustarum, redundat. Itaq; quod dixit ratione vniuersi Generis, ei partem ipsius quandam adiunxit. Quod idem fiet, si Medicinam aliquis definiat, scientiam rerum salubrium animali & homini. Aut Legem, effigiem eorum, quæ natura suapte, honesta sunt & iusta. Quoniam quod iustum est, quædam pars est honesti. Is qui sic definit, sœpe idem dicit.

Ratio.

Pars & Species quando finiuntur, asciscunt uiuiersum Genus, seu καθόλυ quod pars est Definitionis specierum. Et καθόλυ quidem, tametsi partium respectu (quæ nimirum sunt species) suæ definitionis partes colligat, ut Aristoteles docet in Analyticis posterioribus, nequaquàm tamen eas admittunt in Definitiones suas, sed his exclusis separatim definiuntur, quòd nimirum adiuncta specie, necesse est Genus seu καθόλυ repeti inutiliter. Neq; enim sine Genere Species, sed sine Specie Genus esse potest, & debet definiri Exemplis

plis argumentum seu locus ille planius intelligetur. Aequitas si definiatur. Detractio sibi conducentium & iustorum: idem bis dictum erit, propterea quòd iustum species est conducibilis. Inepta igitur Differentia est, quæ ingeminat Genus, quod fieri per speciem necesse est. Pro iustorum poni debet Differentia, iure ad se pertinentium. Differentia enim non est ὅπερ γένος, sed ipsius est qualitas quædam: species autem est ὅπερ γένος, qua posita, Genus quoque necesse est poni. Cæterum ἐπιεικής, id est, æquus & moderatus, in his quæ alijs nocent, aut damnosa sunt, non est ἀκριβοδίκαιος. In commodis communibus & emolumentis, quæ ad ipsum pertinent, non est πλεονέκτης. Idcirco in Ethicis Aristoteles Proprium dicit ἐπιεικοῦς, ut sit in commodis ἐλαττωτικός, καίπερ τὸν νόμον ἔχων βοηθόν. Quod additur autem, id non esse Differentiam, sed partem prioris, particula, ET, declarat, qua non quod præcesßit, determinatur, sed aliquid ei, tanquam pars ipsius, adiungitur. Similis est huic repræhensio hæc definitionis Medicinæ, qua dicitur esse scientia salubrium animali, & homini. Medicina definitur aliâs, ut sit scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum. Sed Galenus non addit, quorum. Quia salubre multa significat, quum sit uocabulum ἀφ' ἑνὸς multa significans. Iu primis autem corpus salubre. Præcipue autem quid homini salubre sit, cognoscit Medicus, sed non quatenus homo est, sed quoad Animal est. Quoad mente præditus, & quatenus homo, alia ipsius est medicina, quæ sub hanc non cadit finitionem. Animal, sensus gratia, item motionis, qua cietur loco, & nutricationis, seu facultatis uegetatricis nomine, particeps est sanitatis & salubrium, quibus homo non differt à cœteris Animantibus. Quòd si Medicina est ars, pertinens duntaxat ad hominem: differentia hominis, non homo poni debet: ut uitemus præsentis loci repræhensionem. Ut nimirum Medicina sit scientia salubrium Animali ratiocinanti. Eodem uitio repræhenditur Definitio hæc Legis, qua dicitur effigies esse natura honestorum & iustorum. Species est iustum honesti, non Differentia, quare idem quod in alijs uitium repetitionis committitur. Καλὸν reddidimus honestum. Non enim omne ἀγαθὸν etiam est καλόν, ac ne uirtus quidem, nisi ipsa per se, ac propter se expetatur: unde dicta quo-

que est perfecta uirtus καλοκἀγαθία. Καλοῦ *definitio hæc est apud Aristotelem in Rhetoricis, ut sit* ὃ ἂν ἀγαθὸν ὂν ἡδὺ ᾖ ὅτι ἀγαθόν. *Et in lib. μ. Metaphy.* ἐπεὶ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ καλὸν ἕτερον, τὸ μὲν γὰρ ἀεὶ ἐν πράξει, τὸ δὲ καλὸν καὶ ἐν τοῖς ἀκινήτοις. *Et in Ethicorum ad Eudemum libro primo.* ἐν τοῖς ἀκινήτοις καλὸν μᾶλλον. *Honestrm & Bonum Stoici utuntur pro eodem, sed Peripatetici differre statuunt. Legem non recte dici effigiem supra est ostensum. Aristoteles libro primo Rhetoricorum Legem sic distribuit, ut sit quædam propria & ciuilis, quædam communis. Propria, quæ descripta & constituta sit singulis, uitæ usu inter se communicantibus, quæ aut scripta est, aut consuetudine usurpata.* *Communis Lex.* *Communis Lex est, quæ natura est omnibus insita, quatenus iuris & iniuriæ discrimen norunt, etiamsi nulla inter ipsos interueniat communio uitæ, aut pactum quoddam. Tale est, de qua loquitur Antigona in Sophocle, & Empedocles hoc carmine eam expreßit* ἀλλὰ τὸ μὲν πάντων νόμιμον διά τ' εὐρυμέδοντος αἰθέρος ἠνεκέως τέταται, διά τ' ἀπλέτου αὐγῆς. *Id est. At Lex communis per cunctas ætheris oras, Permeat, & quâ Sol radios iacit, omnia lustrat. Sed de hoc loco dictum satis.*

Sequuntur Loci, quibus probatur non esse inepta, sed nulla definitio Problematis.

LOCVS XII.

AC vtrum recte nec ne definitio sit explicata, ex his locis, & aliis eiusdem generis, intelligemus. Ad probandum autem naturam rei explicatam esse, aut non esse, definiendo, ex iis, quos deinceps exponemus, argumenta sumentur. Primum videbimus, num prioribus & magis perspicuis verbis exposita sit Definitio. Definitio enim cognoscendæ rei gratia traditur. Et rem quidem cognoscimus

noſcimus non ex rebus & verbis quibuslibet, ſed ex prioribus & magis perſpicuis, quemadmodum in Demonſtrationibus contingit. Ea enim vis eſt omnis doctrinæ, & diſciplinæ. Ex quo perſpicuum eſt, eum non explicare rem definiendo, qui non iſtiuſmodi ratione rem illuſtret & aperiat Definitione. Quòd ſi definiiſſe dicatur, certè multæ erunt eiuſdem rei Finitiones. Quippe perſpicuum eſt, eum, qui rebus magis perſpicuis, & notioribus definierit, aptius & commodius rem definiendo explicaſſe. Itaq; ambas pro Definitionibus haberi orationes oportebit, vnam rem explicantibus, quod nequaquam eſt conſentaneum. Quæq; enim res vnica eſt, & duntaxat id, quod ſuapte natura eſſe dicitur. Itaq; ſi multæ eiuſdem rei Definitiones erunt, id ipſum ESSE, quod geminum duabus declaratur finitionibus, vnum idemq; erit propter Definitum vnum, cui ſunt omnino idem. At idem eſſe nequeunt duabus expreſſa finitionibus, alioqui vna eſſent, & non duæ Definitiones. Ex quo concludendum, eum non definiiſſe rem, qui non magis perſpicuis, neq; notioribus rebus definierit.

Ex prioribus & notioribus aliquid finiendum.

Vnius non est nisi una finitio.

Cognitio omnis, explicatio quædam eſt partium rei. Sed hæ ſunt quibus res ipſa per ſe eſſe dicitur, ſiquidem definitione exprimitur ὅπερ ἐστὶν, non id quo ſecundum Accidens eſt aliquid, quæ Accidentia cùm ſint incerta & indefinita, ratione nulla compræhendi poſſunt, ſiue definire illa, ſiue demonſtrare coneris. οὐ γνωρίζομεν γὰρ (authore Ariſtotele) ἐκ τῶν τυχόντων. Eſt enim συμβεβηκὸς, ut ἀόριστον, ita ἀνεπίστητον. Proinde res quæ cadunt ſub intelligentiam (nec ſunt opinabiles) aut ipſæ ſecundum ſe conſiderantur, aut quoad ſunt coniunctæ cum materia & motu. In illis, quid ſemper ſint, conſideratur, in his uero, quid plerunq;. Impediri enim aliquando motum, propter materiam contingit: alioqui ſemper eodem modo habituris effectibus in natura, ſi nullum, quo interdum impediuntur,

Ex quibus colligenda rerum definitio.

Ariſt. li. 6. Meta.

occurreret Accidens, quod tamen infrequens est & rarum si comparetur reliquis duobus. Partes istæ porro declarantes essentiam, & ὅπερ ἐστὶ rei propositæ, non temerè coaceruantur, sed cùm omnes non modo essentiam quandam rei definitæ significent, sed seiunctionem præterea quandam & secretionem à quacunq; re alia, cùm id pluribus fiat differentijs, necesse erit præcedentem posteriore communiorem esse, id est differentiam esse differentiæ, quoad perueniatur ad ultimam & indiuiduam: qua nihil cum ulla re quicquam commune habeat Species definita. Partes porro illæ suapte natura sic comparatæ erunt, ut priores & notiores sint Specie & Definito: quoad indefinitè & confusè noscitur adhuc adumbratum quibusdam Accidentibus, non essentiæ partibus expressum totum. Ita enim fert natura & modus nostræ intelligentiæ, ut totum, quod est posterius, cognoscamus partibus, quæ sunt priores: & ignota explicemus notioribus. Quæ duo, licet reipsa & subiecto sint idem, ratione tamen differunt. Prius est, quod absq; posteriore esse potest, posterius autem non sine ipso, ut corpus uel Substantia respectu Animalis comparari solet. At prius illud, quemadmodum est communius: ita quoq; notius, quòd nimirum plurium inductione seu ἐπαγωγῇ magis intelligatur, & euidentius id, quod in pluribus est, quàm quod in paucioribus cognoscitur. De modis alijs prioris & posterioris sequente dicemus loco, nunc præsentis usum loci considerabimus. Si proposita in problemate Definitione, aliam proferre poßis: cuius partes sint priores & notiores, non tantū definito, uerumetiam partibus propositæ Definitionis, positam, tanquam nullam coargues, argumento præsentis loci. Primum, ex prioribus & notioribus cuiusq; rei constare notitiam, modis his ambobus, quibus exquisitè noscuntur res, liquet, Definitione nimirum, & Demonstratione, quibus instituimur & erudimur ad ueritatem in omnibus disciplinis. Ergo qui talibus non finierit, is non finiuisse quidpiam dicendus erit. Alterum argumentum, διὰ δυνάτου probat. Nam si non modo hæc sit, sed etiam alia ipsius præterea sit Definitio, ambæ nimirum una, quia sunt unius, erunt Definitio. Sed una esse non possunt: cùm prioribus & notioribus definiens, rectius rem explicet, quàm qui secus. Necesse

Necessaria quæ sint aut cuiusmodi in natura rerum.

Confusiora & magis καθόλου sunt notiora nobis.

Prius & notius quid sit.

Vsus præsentis loci.

Definitio & Demonstratio sunt ex prioribus.

cesse igitur est ut discrepent. At discrepantibus, ὅπερ εἶναι definitæ rei, quod unum & idem est simpliciter, definiri nequit. Quamobrem si una posita sit aut concessa Definitio, altera non poterit esse. Nam si una sit, ipsum definitum (quod Aristoteles ὅπερ αὐτὸ appellat) & item altera Definitio sit ipsum id definitum, omnino easdem ipsas quoq; inter se esse oportebit. At una Definitione ex prioribus partibus & notioribus, altera uero nō: definiente, quomodo poterunt esse ambæ una & eadem finitio?s Aut ergo ὅπερ εἶναι rei geminum esset si unius duæ essent finitiones, aut diuersis finitionibus res expressæ una essent simpliciter res, quorum utrunq; dictu longè absurdißimum est. ὅπερ ὄν, opponitur κατὰ συμβεβηκὸς ὄντι, illud semper unum & idem simpliciter est, hoc multiplex est, & subinde uarium: atq; non idem, pro eo ut Accidentia rerum sunt multa. Aristoteles libro Metaphysicæ ζ. in Definitionibus Propriorum παθῶν, subiecta eorundem, non esse ipsum Definitum, imò definita esse aliquid in ipsis, qua nimirum ratione non ἁπλῶς sed ἐκ προσθέσεως finiantur, hoc argumento, quo paulo ante usus est, ostendit. Nam si album est planities, & leue quoq; est planities, & ambo non sunt quiddam in planitie, sed sunt ὅπερ ἐπιφάνεια, oportebit ipsum quoq; leue esse ipsum album, quod est profecto absurdum.

ὅπερ ὂν κατὰ συμβεβηκὸς ὄν.

LOCVS XIII.

NOn esse explicatam finitionem magis perspicuis rebus, bifariam interpretari possumus. Vel enim quia constituta est ex ignotioribus simpliciter & natura, uel quia ex nobis ignotioribus. Contingit enim utroq; modo dici minus nota & perspicua. Simpliciter quidem et suapte natura prius est notius posteriore, ut punctum linea, & linea planitie, & planities corpore. Quemadmodū etiam unitas numero. Prior enim est & principium omnis numeri. Preterea elementum quoq; syllaba. Sed cognitione nostra diuersum accidit. Maximè enim omnium corpus, seu solidum, sub sensum cadit, ac magis quidem noscitur

Notius & ignotius, usurpatur dupliciter.

superfitie, superfities magis linea, & linea notior est puncto. Multi enim quæ sic comparata sunt, nouerunt. Quędam enim animaduertere cuiusuis est ingenij, nonnulla nō nisi præstanti ingenio & indole præditis nota & percepta esse possunt. Omnino igitur pręstat & melius est id agere, ut ex priorib. noscantur posteriora, propterea quòd uernaculum id magis sit scientiæ. Nihilominus propter hebetiores, qui per talia rerum notitiā nequeunt assequi, necesse est disputationē instituere ac uerba facere, his nimirum, quæ notiora sint ipsis utentes. Sunt istius generis finitiones, puncti scilicet, lineæ & plani. In his enim priora ferè omnes finiunt per posteriora, quippe punctum lineę, lineam plani, planum solidi dicunt esse extremum. Sed tamen illud intelligendum est, eos qui ita definiunt uim & naturam rei, qua definitur, explicare non posse, nisi fortè idem sit & nobis notius, & natura notius. Siquidem qui rectè & perfectè rem finiet: Genere & Differentijs necesse est ut definiat: hæc uero ipsa sunt ex numero simpliciter & prius notorum, quàm sit species. Etenim sublato genere, item differentia, tollitur quoq; Species. Priora ergo hæc sunt Specie, quinetiam sunt notiora. Cognita enim Specie, cognosci etiam Genus & Differentiam oportet. Quippe noscens hominem, animal quoq; noscit, et gradiens. At Genere, uel Differentia nota, Speciem item cognosci non est necesse, quare his ignotior est Species.

Vernacula scientiæ notitia.

Simpliciter priora & notiora Specie, sunt Genus et Differentia.

Si, quemadmodum dixit & sensit Protagoras, nos essemus mensura rerum, & ueritatis, his quæ Aristoteles præsente loco docet, nihil fuisset opus. Sed cum notitiarum sit discrimen, & quædam pro uera habeatur Definitio, quædam pro nulla, quædam etiam suapte natura sint priores, quædam nostri captus gratia priores ipsius partes esse dicantur: omnium illorum cognoscenda scilicet discrimina erunt. Effectus nobis sunt notiores causis, id est, composita simplicibus, posteriora natura, prioribus. In sensibus enim, quibus appræhenduntur effectus propter Accidentia, rudimenta insunt notitiarum

mentis

mentis nostræ. Hæc expoliens & quasi limans, omniaq; ab omnibus mens nostra separans, ipsas per se Species & causas rerum percipit, quod ipsum est τὸ τί ἦν εἶναι, non res (quo ad est cum his: quæ ipsa non est) concretas appræhendere Species cum materia & subiecto definiunt, qui nimirum considerant eas ratione παθῶν, quæ formis accidunt propter Subiectum. Cognitionem hanc & finitionem Dialectici appellant, ὅτι ἐστίν. Alia est, qua ipsa per se, quid sit, cognoscitur, cuius partes omnes sunt priores Specie, nempe Genus & Differentia (de quibus dicemus postea) utrunq; enim, ut ait Aristoteles, in Specie est ὅπερ αὐτό. Sic enim scribit in Metaphysicis, οὐκ ἔσται ἄρα οὐδενὶ τῶν μὴ γένους εἰδῶν ὑπάρχον τὸ τί ἦν εἶναι, ἀλλὰ τούτοις μόνον. Id est. Nullius erit finitio rei, nisi quoad est Species certi generis. Excipit hac descriptione ueram & genuinam formulam finitionum à reliquis, quibus definitur quidpiam κατὰ μετοχήν, uel πάθος, aut συμβεβηκός quoddam, quæ sunt omnia, & intelliguntur non per se sed cum quodam Subiecto. Sunt igitur quæ definiri aliter non possunt, nisi ἐκ προσθέσεως, de quibus suo differemus loco. Alia sunt quæ definiuntur absolutè quidem Genere scilicet & Differentia, sed aliâs Definitionibus explicari solent, quibus notiores quidem nobis res sed posteriores tamen Specie, pro partibus usurpantur earum. Vt anima est Species seu actus informans Physicum & Organicum corpus. Et, animal est Substantia, prædita sensu & motu. Deniq; finitiones omnes, cuius partes sunt posteriores, & definiti ipsius effectus quidam, ut est hæc uirtutis, qua dicitur habitus, quo sumus compotes fœlicitatis. Nam fœlicitas posterius quiddam est, non proueniens à uirtute sed à crebris & multis actionibus uirtutis. Item sensus & motus, non constituunt animal sed eius natura posteriores quædã sunt energiæ. Nec Physicum & Organicum corpus, partes sunt priores, cum Physicum & Organicum in animali propter Animam appellentur. Materia enim non seipsa, sed forma definitur, & materia quidẽ per formã noscitur quid sit sed formæ notitia: ὅτι ἐστί: per materiam colligitur. Non ergo de his in præsentia loquimur, quorum una duntaxat est: & hæc ipsa necessaria: ἐκ προσθέσεως, finitio, quæ Speciem non Genere, sed Subiecto declarat sed de his, quæ notioribus nobis

Plato in Theateto

Cognitio ὅτι ἐστὶ ex proprietatibus.

Meta. l.

Cognitio τί ἐστι ex genere et differentia.

Propria definiuntur ἐκ προσθέσεως.

Definitio ipsius per se formæ.

Definitio rei per ea q… 'oste= r… t sunt definito, qua res noscitur non τί ἐστι, sed ὅτι ἐστι.

 partibus,

partibus, ὅτι ἐστι, & notioribus ac prioribus natura partibus, ὅπερ τὸ διότι, & τὶ ἦν εἶναι definitum simpliciter explicant. Quibus declaratis, ad interpretationem textus accedamus. Notiorum & ignotiorum Definitionum comparatio, quando, & in quibus locum habeat, modo dictum fuit. Priora natura, priorem sibi notitiam quoq; uendicant, quoniam, ut inquit Aristoteles, ἕκαστον ὡς ἔχει τοῦ εἶναι, οὕτω καὶ τῆς ἀληθείας, quod ille de rebus, nos de ordine rerum sub intelligentiam cadentium, dictum uolumus. Priora igitur & notiora natura sunt causæ, Nobis notiora sunt & priora, effectus causarum. Verbi gratia, punctum natura prius est linea: & linea, plano: & planum corpore, quemadmodum etiam unitas numero. Aristoteles in prioribus natura, & causis corporis, hæc numerat, quæ tamen non sint causæ corporis, sed Accidentia duntaxat quædam & διαιρέσεις. Quare duntaxat exempli gratia, tanquam prioribus natura utitur his, pro eo, ut quibusdam uisum, qui corporum substantiam his primordijs sunt architectati, de quibus libro secundo Metaphysicæ sic scribit. ἀλλὰ μὴν τό, τε σῶμα, ἧττον οὐσία τῆς ἐπιφανείας, καὶ αὕτη τῆς γραμμῆς, καὶ αὕτη τῆς μονάδος καὶ στιγμῆς. Τούτοις γὰρ ὥρισται τὸ σῶμα, καὶ τὰ μὲν ἄνευ σώματος ἐνδέχεσθαι δοκεῖ εἶναι, τὸ δὲ σῶμα ἄνευ τούτων εἶναι ἀδύνατον. διὸ ὅπερ οἱ μὲν πολλοὶ, καὶ οἱ πρότερον, τὴν οὐσίαν καὶ τὸ ὂν ᾤοντο σῶμα εἶναι, τ' ἄλλα δὲ τούτου πάθη, ὥστε καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς τῶν σωμάτων, τῶν ὄντων εἶναι ἀρχάς. Mathematicè separantur hæc, & à corpore, & ipsa inter se, quòd nimirū πάθη habeant diuersa. Sed reuera sunt nihil aliud, quàm priuationes et διαιρέσεις quædam continui, quæ plures sunt in corpore quàm plano, & in plano plures, quàm in linea. Prima autē sit διαίρεσις & simplicißima, qua res diuiditur puncto. Idcirco tanquàm Elementum reliquorum ponitur punctum, ex quo linea, deinde ex lineis planum, et ex planis corpus censetur conflatum. Quod autem hæc in principijs non uideantur habenda Aristoteli, ex eo quod in tertio de Anima scriptum reperitur, potest cognosci. ἡ δὲ στιγμὴ καὶ πᾶσα διαίρεσις, καὶ τὸ οὕτως ἀδιαίρετον δηλοῦται ὥσπερ ἡ στέρησις. Ex ἀφαιρέσεως igitur considerata, simplicißimum & primum est punctum, ut in quod nulla cadit diuisio, proxima ei est linea, longitudinis duntaxat ratione diuidua. Eam sequitur planum, quod binis sectionibus, longitudinis scilicet & latitudinis, est diuiduum. Maximè compositum corpus est, &

Priora natura.

Aristot. Meta. α τῷ ἐλάττονι.

Quomodo prius sit punctū linea, & linea plano, & planum corpore.

& omnium sectionum particeps. Hæ sunt Mathematicorum finitiones, quamlibet speciem continuæ quantitatis à subiecto per ἀφαίρεσιν, ut dixi, separantes: quod ipsum non est rudis ingenij, sed exquisitius res intelligentis, & ut hoc loco scribit Aristoteles, ἀκριβοῦς καὶ περιττῆς διανοίας. Qui rudius & impolitius eas definiunt, rationem applicant ad sensum, quo notiora sunt subiecta formarum, quàm forma ipsa, & quò magis est quidpiam compositum, eò est rudi rationi profectò per sensum notius. Vt corpus in hoc genere notißimum est, cuius quia est extremitas & determinatio planities, ratione subiecti sui, nempe corporis, cognoscitur, & linea ratione plani, & punctum ratione lineæ. At ratione alterius consideratum quidpiam, quod ipsum per se tamen poßit intelligi, non syncera mentis, sed cõiunctæ sensibus signum est, Species enim in subiecto, significans priuationem, absq; contrario non intelligitur. At contrarij particeps, uel quoad ipsum per se est, uel quatenus res hoc modo existentes, percipit, simplex & syncerum nihil esse potest. Ex quo par est intelligi, mentem quoq; nostram huiusmodi notitia præditam, non ἀκριβῆ dicendam, ut quæ δυνάμεως magis quàm ἐνεργείας causa ei conueniat, pro eo, ut Aristoteles scribit libro tertio de Anima. Sed quoad ipsa per se mens absq; sensus adminiculo rem considerat, tum ipsius puram & sinceram percipit οὐσίαν, non autem quoad cum subiecto & materia quadam est coniuncta, aut quoad contrario permutari potest: quod ipsum hoc loco Aristoteles ἐπιστημονικώτερον γνωρίζειν appellat. Non enim est ἐπιστημονικὸν, res ab effectibus uel demonstrare uel definire, propterea quòd utrunq; horum rationem habet mancipatam sensui. Tum autem est ἐπιστήμη, & ἐπιστημονικὸν quando per causas syncerè ista contemplans anima αὐτὴ καθ' αὑτὴν πραγματεύηται περὶ τὰ ὄντα, ut Plato inquit in Theæteto. Cœterum ut punctum, ita quoq; unitas, posteriore quodam, cuius ipsa pars est, nempe multitudine, finitur, propterea quòd multitudo sensu notior est quàm unitas. Est enim uulgò unitas, quod diuidi in multa nequit. Ita Aristoteles scribit libro 1. Mttaphy. λέγεται δὲ ἐκ τοῦ ἐναντίου καὶ δηλοῦται τὸ ἓν, ἐκ τοῦ διαιρετοῦ τὸ ἀδιαίρετον, διὰ τὸ μᾶλλον αἰσθητὸν τὸ πλῆθος εἶναι, καὶ τὸ διαιρετὸν, ἢ τὸ ἀδιαίρετον, ὥστε τῷ λόγῳ πρότερον τὸ πλῆθος τοῦ ἀδιαιρέτου διὰ τὴν αἴσθησιν. Quis porro nescit hanc etiam ex posterioribus

Syncera intelligentia quo differat ab ea, quæ est cõiuncta cum sensibus.

Cognitio contrariorum & στερήσεως propria est mentis compositæ, non eius, quæ οὐσία est ἐνέργεια.

Vnitas quomodo sit ignotior multitudine.

Per partes posteriores composito ex materia & forma, quomodo finiatur quidpiam.

sterioribus finitionem esse, qua totum finitur partibus formæ cum materia compositæ posterioribus, ut finiens quis capite, pectore, brachijs, pedibus, ex his constitutum Animal: Harum partium nulla quid sit absq; definito, id est Animali, potest explanari. Dein per propria constitutæ finitiones rerum, οὐσίαν subiectorum notam faciunt per posterius. Propria enim, ut ait Aristoteles, plurimum momenti afferunt (quia sunt sensu notiora) ad cognoscendas substantias, quid sint. De materia, quomodo notitia formæ sit natura posterior, & tamen nobis interdum prior & notior, diximus paulo ante. De reliquis modis uitiosarum Definitionum ex posterioribus, deinceps sumus dicturi, nunc ad præsentem locum reuertamur. Ergo in quibus, simpliciter notius, & nobis notius, discrepant, nobis notiore ratione, essentia definiti uerè nequaquam definietur. Etenim simpliciter notiora, necesse est ut absq; definito, & esse separatim, & intelligi queant. Alioqui quomodo per se & simpliciter definitum explanabunt, si hæc ipsa necesse est declarari per definitum? priorum ergo conditio hæc est, ut ipsis existentibus, species non esse oporteat, sublatis, simul species tolli necesse sit, at sublatis speciebus, ipsa nihilominus esse queāt et intelligi. Hæc ratio est simpliciter γνωριμωτέρων ab Aristotele hoc loco exposita: nunc ad sequentem nos conferamus Locum.

Simpliciter γνωριμώτερα quæ sunt.

LOCVS XIIII.

IAm vero ita fiet, vt ii, qui Definitiones huiusmodi veras esse confirmant, quæ ex iis constant, quæ cuiq; perspicua sunt & nota, multas eiusdem rei definitiones fateantur esse. Nam quoniam alia aliis, nec eadem omnibus notiora sunt, vna cuiq; & alia assignanda erit Definitio. Siquidem Definitio ex iis, quæ cuiq; planiora sunt, & notiora, constitui debet.

Nihil uetat quo minus nobis & cuiq; sane notioribus, aliquid inter disputandum explicetur, ob id tamen explanationes hæ pro

Definitionibus non sunt numerandæ, propter absurda, quæ istius loci Argumento concluduntur. Enimuero si rationes quælibet, quæ Alicui declarant quidpiã, pro definitionibus numerentur, unius non unam, sed multas definitiones esse continget: quod perabsurdum esse ostendimus supra. Præterea cum alia sint alijs planiora, quæ huic erit, alij non erit Definitio, ut ipsa per se nulla uideatur uera esse & constans ratio finitionis. quo nihil à definitione potest esse alienius. Vna enim est ueritas rerum, natura, non indole & ingenijs nostris metienda. Iam nullus relinquetur de uero disputandi locus; si pro definitione est habendum & concedendum, quod cuiq; notitiam propositæ rei utcunq; adumbrarit.

Quare non sit pro definitione habendum, quod cuiq; sit notius.

LOCVS XV.

PRæterea eisdem alia aliàs magis aperta videntur, Nã à primo ortu, ea quæ sub sensum cadunt, notiora sunt, vbi autem doctiores & acriori iuditio fuerint, contrà. Itane eidem quidem semper eandem definitionem dare debent ii, qui definitionem rebus, quæ cuiq; magis perspicuæ sint, tractari volunt. Ex quo perspicuum est, non iis talibus, sed iis quæ suapte natura clariora sunt, rem esse finiendam: quippe quum ita demum vna & eadem semper futura sit definitio. Ac fortasse quod simpliciter & ui sua notum est, non omnibus perspicuum est, sed iis demum, qui bene animo constituti sunt. Quemadmodum id etiam, quod omnino salubre est, iis salubre est, quorum bene affectum est corpus. Tractari ergo hæc debent omnia accuratè & subtiliter, adhiberi autem in disputationibus, pro eo vt postulat vsus.

Ratio superioris loci.

Quæ sint simpliciter pro notioribus habenda.

Vnam unius esse finitionem ueram & genuinam, etiã hoc probat loco, alioqui non solum aliam alijs uisum iri essentiam rei, sed uni etiã atq; eidem non semper eandem, quoad ruditate & eruditione quisque

à semetipso discrepat. Rudibus adhuc, notior est ratio quæ propius abest à sensu, Quare displiceat hæc nobis oportet, quando doctrina magis fuerimus exculti, & magis limatam rei ueritatem contemplari cœperimus, quæ una est in omnibus. Cognoscendi autem eas duplex ratio, autore Aristotele in Metaphysicis, ubi sic scribit. ἡ μάθησις οὕτω γίνεται πᾶσι διὰ τῶν ἧττον γνωρίμων φύσει εἰς τὰ γνώριμα μᾶλλον. καὶ τοῦτο ἔργον ἐστὶν ὥσπερ ἐν ταῖς πράξεσι, τὸ ποιῆσαι ἐκ τῶν ἑκάστῳ ἀγαθῶν τὰ ὅλως ἀγαθὰ ἑκάστῳ ἀγαθά, οὕτως ἐκ τῶν αὐτῷ γνωριμωτέρων τὰ τῇ φύσει γνώριμα αὐτῷ γνώριμα. τὰ δ᾽ ἑκάστοις γνώριμα καὶ πρῶτα, πολλάκις ἠρέμα γνώριμα, καὶ μικρὸν ἢ οὐδὲν ἔχει τοῦ ὄντος, ἀλλ᾽ ὅμως ἐκ τῶν φαύλως μὲν γνωριστῶν, αὐτῷ δὲ γνωστῶν, τὰ ὅλως γνωστὰ γνῶναι πειρατέον. Id est, Quando discimus, fit ut ex minus notis natura, pergamus ad nota magis. Atq; id perinde usu uenit ut in actionibus practicis: quibus efficitur ex his, quæ cuiq; sunt bona, ut quod omnino & simpliciter est bonum (ut uirtus aut fœlicitas) id cuiq; etiam fiat & obueniat bonum. Ita uenatur etiam & assequitur quisq; ex notioribus sibi, ut ea quæ natura sunt notiora, sibi quoq; fiant notiora. Quæ autem cuiq; nota sunt, & prima, suapte natura tenuiter admodum notam rem faciunt, & parum admodum, aut interdum nihil, quod essentia rei sit, continent. Sed nihilominus ex huiusmodi tenuiter admodum notis, nobis tamen euidentibus, tentandum est: si qua ratione peruenire ad simpliciter & omnino nota ualeamus. Cùm autem aliud alij uideatur notius & explicatius esse, difficile est iudicatu, quæ nam cui sit præponenda Definitio, & quæ nam sit omnium uerißima & perfectißima, & sola, ut ita dicam, Definitio. Cum non sit per se aliquid subsistens, sed notionum proprium quoddam πάθος sit ueritas, notitia autem & intelligentia rerum nihil aliud sit, quàm ipsa mens intelligens, habitu nimirum perfecto mentis ponderanda est ueritas, & perfectio Definitionum.

Veritas est πάθος notionum.

Habitus uero ille est, quem Aristoteles libro primo de partibus Animalium appellat Παιδείαν πεπαιδευμένου γάρ ἐστι κατὰ τρόπον, τὸ δύνασθαι κρίνειν εὐστόχως τί καλῶς ἢ μὴ καλῶς ἀποδίδωσιν ὁ λέγων. Τοιοῦτον γὰρ δή τινα, καὶ τὸν ὅλως πεπαιδευμένον οἰόμεθ᾽ εἶναι καὶ πεπαιδεῦσθαι, τὸ δύνασθαι ποιεῖν τὸ εἰρημένον. Id est, Eruditi est & suo quodam modo bene exculti disciplina, ut poßit solerter quid rectè, aut secus dictum sit, iudicare. Istiusmodi

Παιδεία.

arbitramur

arbitramur etiam esse hominem omnino & simpliciter eruditum, & bene institutum, qui præstare id, quod dictum est, in omnibus poßit. Ne longius iueris, Dialecticus is est, Analyticus scilicet & Topicus, qui hanc sibi uendicant παιδείαν: ueruntamen non est is ex horum numero qui uulgaribus his præceptis artis Dialecticæ instituitur. Consyderat itaq; Dialecticus omnes modos & tropos cognoscendi res, cuius iuditium sequitur apud Platonem Sotrates κατόπισθε μετ' ἴχνιον ὥστε θεοῖο. Ridendi sunt illi, in quorum numero ridiculus etiam ille Lucianus est, qui ueritatem rerũ nullam rentur, propter opinionum diuortia, ac dissensiones Philosophorum: quoniam cuius nam uera sit, consentaneaq; ratio & disputatio, dijudicari non poßit: Ab imperitis scilicet, qualis in Philosophia, ut opinor, Lucianus quoq; fuit, discerni falsa à ueris nequeunt: eruditi autem quo pacto consentanea & uera iudicare non poßint, non uideo. Perinde autem incertum illud faciunt iuditium, atq; si quis non constare dixerit quid bonum, quid honestum in moribus, aut expetendum in uita, cum etiam hoc in genere aliud alij uideatur, ac qui uera à magna sit de finibus dissensio. Ne erres tam multiplici uia, Canon falsis posest adhibendus, qui est: Vir uirtute & prudentia præditus. Nam sint discerautore Aristotele libro secundo Ethicorum, διαφέρει πλεῖστον ἴσως ὁ σπουδαῖος, τῷ τ' ἀληθὲς ἐν ἑκάστοις ὁρᾶν, ὥσπερ κανὼν καὶ μέτρον αὐτῶν ὢν τοῖς πολλοῖς δὲ ἡ ἀπάτη διὰ τὴν ἡδονὴν ἔοικε γίνεσθαι. Id est, Multum differt atq; interest in iudicando. Vir honestus enim, perspiciendo quid in singulis ueri insit, tanquam regula & mensura rerum agendarum censendus. Multitudo aũt, propter uoluptatis illecebras, iudicando fallitur, Quemadmodum itaq; res ipsæ mensura sunt ueritatis per se, ita nulla certè prohibet absurditas, quominus mensuratum, nempe notitia accurata quoq; mensura sit iuditij nostri, quod adhibetur internoscendis opinionibus uarijs, quæ haberi solent de rebus, quandoquidem mensura & canon in omnibus rebus aliquid sit unum & simplex. Sed de his dictũ satis. Vt in re quaq; quod simplex existit, primum est & unum, ita quoq; in finitionibus simplicißima, prima, & una erit, quæ his partibus, quæ sunt supra dictæ, fuerit constituta. Ea uero non respectu cuiusq; notior existimãda, sed eius duntaxat qui propter παιδείαν opti-

Plato in Phædro.

Qui sint: ... nere.

mè sit animo affectus. Nam ut illud meritò saluberrimum appellatur: non quod cuiuis, sed quod optimè ualenti sit salubre, sic maximè nota sunt hæc nominanda, non quæ cuiuis, sed quæ ualdè eruditis sunt notißima. His, inquit Aristoteles, rationibus & argumentis utendum pro eo, ut præsens disputatio postularit refellendi uel astruendi propositam finitionem: sed tam hæc accuratè nouisse non tam ad probabiliter, quàm ad uerè differendum profuerit. Cognoscenda hæc sunt Dialectico, sed uti iis pro commoditate & occasione oblatarum quæstionum debet.

LOCVS XVI.

Sed consensu omnium euerti Definitio tum potest facilimè, cum nec omnino perspicuis & notis, nec iis quæ nobis nota sunt, explicabitur. Ac una quidem ratione ita intelligetur, non esse perspicuis traditam & apertã finitionem, si posterioribus (quemadmodum supra dixi) priora declarabuntur. Alia autem ratione, si eius rei quæ stabilis & certa est, aliorumq; determinatio, talis Definitio instituatur, qua indefinita quapiam natura, aut qua motus ipsius quidam explanetur. Prius enim & notius est quod constans est, & suapte natura determinatum, eo quod est indefinitum, & motioni Subiectum.

Locus.

Ratio loci.

Prius & posterius, natura, οὐσίᾳ, εἴδει, λόγῳ, ferè pro eisdem usurpantur. His è regione sunt opposita, γενέσει, ὕλῃ, χρόνῳ prius & posterius, λόγῳ & οὐσίᾳ prius est, quod ipsum per se noscitur, & definitur: ac non in se continet rationem alterius, ut Genus Specie prius est, & forma prior materia, & binarius ternario prior est. Dubitationem res habet de Genere, qua nam ratione τάξει seu λόγῳ dicatur prius Specie, cum tamen Aristoteles aut nullum esse Genus, aut si sit, posterius ipsum Specie esse dicat. Item in Analyticis posterioribus, quemadmodum communitate Specierum inspecta colligendum sit Genus tanquam totum quoddam, tradit et docet. Dicamus

mus igitur ordine & λόγῳ prius esse Genus Specie. Sed γενέσει, qua nimirum eius notitia perfecta in nobis generatur, esse posterius quiddam. Ipsum enim per se nihil est Genus, quoniam communicatione Specierum intelligitur. Quare notitia confusa Genus est prius Specie, sed perfecta & limata ipsius cognitio γενέσει posterior est. Veruntamen quoad ipsum per se consideratur, id est, sua quadam finitione explanatur, prius est φύσει Genus Specie hac: quæ nimirum composita est ex Genere & differentia. Haud aliter atq; materiam & formam in rebus natura subsistentibus, tanquam principia, priora, ex ipsis constitutis rebus, dicere solemus. Materia prior est χρόνῳ seu genesei forma. Sed hæc (id est forma) contra, præcedit φύσει & λόγῳ materiam. Quia per se materia est ἄγνωστος, et in eius Definitione necesse est formam includi. Notitia enim materiæ cuiusq; determinatur per suam, cuius esse dicitur, formam, quæ per se nota est, & non ὅπερ ἐστι: sed ὅτι ἐστὶ cognoscitur per materiam. Suapte natura indefinita sunt duo: & quæ per se cognosci nequeunt, materia scilicet & motus. Ambo sunt posteriora, illa quidem, Specie seu forma, hic autem habitu, quem res acquirens motu, moueri desinit. Ergo nec per materiam finienda est forma, nec per motum habitus, quorum unum uocabulo ἀορίστου, alterum κινήσεως intelligi uoluit hoc loco Aristoteles. Reprehendendæ sunt hoc nomine pleræq; ueterum Physicorum Definitiones, quibus οὐσίαι et Species rerum finiuntur materijs. Quales sunt etiam illorum, qui rerum inanimatarum οὐσίας nihil aliud quàm crases esse arbitrantur elementorum. Cum tamen res & Substantiæ non tales fiant propter materiam & elementa, sed hæc potius certo quodam modo moueantur & misceantur, propter formam. Τῇ γὰρ οὐσίᾳ, inquit Aristoteles, ἡ γένεσις ἀκολουθεῖ, καὶ τῆς οὐσίας ἕνεκα ἐστίν, ἀλλ᾽ οὐχ αὕτη τῇ γενέσει. Quanquam multa sunt hoc modo finienda à nobis, et præsertim si quãdo definimus Species earũ rerum quarum ratio non multum abest à natura elementorum, & illarum uis atq; energeia propria nobis fuerit ignota. Nec fere aliud est quo definire poßimus metalla quam suis elementis, quæ sunt aqua & terra ipsorum. Hæc pleriq; Hydrargyron esse opinãtur, & sulphur, Aristoteles ἀτμῶδες corpus ἀναθυμιάσεως, esse censet.

Genus quomodo sit prius aut posterius Specie.

Suapte natura indefinita sunt duo, nempe materia & motus.

Veterum Physicorũ repræhendendæ Definitiones quare.

Aristo. li. 5 de partib. animaliũ.

Metalla definiuntur suis materijs.

Ex quo, ut humidißimo generetur ὑδράργυρος, ut siccißima autem ἀναθυμιάσει creetur sulphur. Alia differant mixturis, puritate item & impuritate materierum. Γενέσθαι itaq; Substantiæ propemodum hæ omnes finiuntur & materijs ab Aristotele, quarum differentiæ ad effectuum quoq; differentias accommodentur. Horum Genera sic explicantur & definiuntur ab Aristotele, δύο τὰ εἴδη τῶν ἐν τῇ γῇ γινομένων. Τὰ μὲν ὀρυκτά. Τὰ δὲ μεταλλευτά. ἡ μὲν οὖν ξηρὰ ἀναθυμίασις ἐκπυροῦσα ποιεῖ τὰ ὀρυκτὰ πάντα, οἷον λίθων τε γένη τὰ ἄτηκτα καὶ σανδαράχην, καὶ ὤχραν, μίλτον, καὶ θεῖον. τῆς δ' ἀναθυμιάσεως τῆς ἀτμιδώδους ὅσα μεταλλεύεται καὶ ἔστιν ἢ χυτὰ ἢ ἐλατά, οἷον σίδηρος, χρυσός, χαλκός, ποιεῖ δὲ ταῦτα πάντα ἡ ἀναθυμίασις ἡ ἀτμιδώδης ἐγκατακλειομένη, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς λίθοις, διὰ ξηρότητα εἰς ἓν συνθλιβομένη καὶ πηγνυμένη οἷον δρόσος ἢ πάχνη ὅταν ἀποκριθῇ. ἐνταῦθα δὲ πρὶν ἀποκριθῆναι γεννᾶται ταῦτα. Πρὶν γὰρ γενέσθαι ὕδωρ ἢ γῆν παγείσης τῆς ἀναθυμιάσεως, ἕκαστα τούτων ἐστίν. Metallorum autem finitiones, quæ extant apud scriptores, nullæ sunt aliæ, quàm quibus materiæ eorum declarantur. Non certe quòd species substantiæ illorum sit nulla, sed quod nobis propter imbecillitatem captus nostri sit ignota. Plato duntaxat Ideas dixit esse τῶν φύσει ὄντων, id est formas substantiæ separatas, quas participans materia, οὐσίαν rerum constituat. Aliarum rerum Ideas esse negauit, sed compositarum aut mixtarum Substantiarum πάθη, utpote quorum infinita poßit esse uarietas. Quare tales species, si quis aut compositione, aut mixtionibus definiat, apposite eas finijsse existimandus est.

Ideas duntaxat rerũ natura subsistentium dixit Plato.

At in Physicis rebus cum εἶδος sit substantia, sua materia non rite ipsum finitur scilicet, cum prior uidelicet natura sit species materia sua, ut est supra à nobis dictum. Veruntamen quia non semper hac nobis procedit uia rerum intelligentia, alia est aggredienda, ut nimirũ & materia, & modo ortus sui, res cognoscatur, qui est (ut græco utar prouerbio) δεύτερος πλοῦς nostræ notitiæ, quoad mens nimirum assecla sensuum, non ὅπερ τόδε τι, sed ὅτι ἐστὶ finiendo appræhendit. Species in animatis naturis, & earum partibus, propter energias notior est, ut ipsæ per se circumscribi finitionibus commodè poßint. Aristoteles substantiarum finitiones, quibus earum materia explicetur, φυσικωτέρας appellat, quòd nimirum ijs demonstrentur ortus & interitus causæ, ac præterea motionum & παθῶν quorundam, quorum

Quãdo definiamus rẽ per materiam suã & non per speciem.

rum forma compos absq; habili materia esse nequeat. Quippe materia cùm sit causa sine qua moueri nihil poßit, non tamen est, ut Plato inquit, principalis, quæ nimirum est finis & forma rei. Hæ sunt causæ distinguendæ nobis (si fieri potest) in omnibus Physicis substantiis. Τὸ γὰρ μὴ διελέσθαι οἷόν τε εἶναι, ὅτι ἄλλο μέν τι ἐστι τὸ αἴτιον τῷ ὄντι, ἄλλο δ' ἐκεῖνο, ἄνευ οὗ τὸ αἴτιον οὐκ ἄν ποτ' εἴη αἴτιον, πολλὴ καὶ μακρὰ εἴη ῥαθυμία τοῦ λόγου. ὃ δὴ μοὶ φαίνονται ψηλαφῶντες οἱ πολλοὶ ὥσπερ ἐν σκότει, ἀλλοτρίῳ ὄμματι προσχρώμενοι, ὡς αἴτιον αὐτὸ προσαγορεύειν, inquit Plato in Phædone. Definitio hæc aquæ non εἶδος aut λόγον aquæ explanat, sed ὕλην, quando dicitur esse substantia, seu corpus simplex, quod generetur ex aere caliginoso ob concretionem frigoris. Materia hæc est, non species aquæ. At species & forma est, quæ definiendo à nobis exprimi nequit, nisi sub ratione, qua est Elementum, primò humidum & frigidum, quæ πάθη sunt consectaria formæ constituentis substantiam. Ac non solum materia posterior est specie φύσει sed etiam motus posterior est habitu, ut moueri deorsum secundum naturam, non nisi quiete medio in loco naturali, potest intelligi. Et nutricatio, quanquàm est materia su= alteratio, ea tamen explanari nequit absq; aßimilatione nutriti a, corporis, quæ est quies & status nutrimenti. Quocirca quo uerè nutrimentum appellatur, non alteratione & quadam concoctione, sed statu potius suo & habitu seu fine, definiendum erit, quòd ut Galenus inquit, est ὁμοίωσις τελεία τῷ τρεφομένῳ σώματι. Id est. Aßimilatio perfecta, qua nutriens idem est nutrito.

Principalis rei causa est forma.

Definitio aquæ per materiam suam.

Forma prior est φύσει & habitus motu.

LOCVS XVII.

AD probandum autem, non ex prioribus constitutã esse finitionem, tres modi nobis suppetunt. Primus erit, si oppositis oppositum definiendo aperietur, vt si bonum malo, definiatur. Simul enim naturæ ordine sunt contraria. Ac præterea, nonnullis eadem videtur oppositorum esse scientia. Ex quo fit, vt alterum altero non sit notius. Sed tamen illud ignorare non debemus, quædam esse, quæ aliter definiri nequeunt. Cuius ge-

Quot modis definiatur quid ex non prioribus.

Primus modus.

neris est Duplum, quod sine dimidio definiri non potest. Itemq; omnia quæ per se ad aliud referuntur. Nã cùm eorũ omniũ vis et natura idem ualeat, quod ad aliquid quodammodo affectum esse, profecto utrunq; sine altero cognosci non potest, vt necesse sit alterum in alterius Definitione contineri. Ac sunt cognoscenda quidem istius generis omnia, eisq; pro eo vt conducere videbitur, vtendum.

Quia suapte natura indefinita sunt materia & motus, idcirco ipsis per se definiri potest nihil. Quin contra potius, forma, & habitu, tanquam φύσει & λόγῳ prioribus, explanari & definiri hæc est necesse; cùm nullius rei sine finitione particeps notionis sit intellectus. Quare nec motus ratio sine habitu cognoscetur, nec materiæ sine specie. Et ut posteriore atq; ignotiore natura, prius nequit explanari, ita nec eo, quod simul est natura, cum eo quod finitur, quid sit quidpiam, explicari poterit. Necesse enim est, ut uel ambobus notioribus, quod ignotum est, declaretur (quoniam Definitio omnis partes habet duas principales) aut ignotum unum altero noto declaretur, ut si materia per formam nota, aut motu per habitum noto, quidpiam finiatur. Aut si fuerit æque ignota Finitio, uel suapte natura indefinitum quiddam exprimet, uel æquè ignotis duobus quibusdam, ac simul natura existentibus, unum ad alterius Finitionem explicandam abhibebitur, de quo nunc disserendum erit. Ille enim primus est modus (quo non ex prioribus, definitur quidpiam) ex tribus his modis ab Aristotele in præsentia propositis. Non priora quæ dicuntur, appellatione eorum non modo posteriora, uerum etiam quæ simul natura sunt, contineri solent. Idcirco ex non prioribus Finitiones conflatas, modos illos appellare maluit Aristoteles, quàm ex posterioribus: quòd nimirum quædam posteriora non sint, sed simul natura cum his quæ definiuntur. Istius generis uidentur esse omnia opposita, ut si quid negatione contrarij, aut priuantis definiatur: ut si bonum esse dicatur, quod non sit malum. Aut si habitus quiddam, quod permutetur priuatione

Quod simul est natura cum definito, ipsum non potest definire.

Non prius, latius patet, quàm posterius, quoniam simul existẽs, etiam non prius est.

tione

tione. Simul enim natura, sunt opposita, quoniam non nisi relata inter se possunt intelligi, nec solitarium & unum: quicquàm uidetur oppositum. Etenim VNVM quoad cum alio quopiam VNO pugnat, oppositum dicitur, quemadmodum idem, aut æquale, aut simile, si non pugnet, ut nimirũ priuatione relati Vnius, definiatur oppositum. Quapropter (ut in relatis) unum altero non definietur, cùm sint relata ambo simul nota. Ex quo par est intelligi, oppositum non ritè finiri per oppositum, quod istius loci Axioma est. Multa possunt hoc loco contradici. Ac primũ quidem, contrarium, ut album, non esse relatũ quiddam, & Habitum præterea, qualitatem esse quandam, quæ nimirum ex numero sit absolutorum, ex quo nimirum constet, opposita nõ esse relata. Deinde, ut concedantur esse relata, quonam modo φύσει prior erit habitus priuatione? qua ratione etiam sine habitu priuatio definiri & intelligi nequit, & malum sit bono, ut Aristo. inquit, natura posterius? quæ tamen inter se opponi nemo nescit. Et quanquam Aristo. ut simul, ac relata esse ostendat ac probet opposita, consensum quoq; eruditorum hominum tanq; testimonium quoddam citet, quo statuitur una esse oppositorum scientia, non tamen est una eorum sciẽtia simpliciter, quemadmodum relatorum, ut simul natura et tempore cognoscantur, sed unius per se notitia esse dicitur, ut habitus, alterius, secundum accidens: ita ut causa alterius, & priuatione eius noscatur. Sic Aristoteles explanat libro Metaphy. θ. quonam modo oppositorum sit una scientia. καὶ γὰρ ὁ λόγος τοῦ μὲν, καθ' αὑτό, τοῦ δὲ τρόπον τινὰ κατὰ συμβεβηκός, ἀπόφασις γὰρ καὶ ἀποφορᾷ δηλοῖ τὸ ἐναντίον, ἡ γὰρ στέρησις ἡ πρώτη τὸ ἐναντίον. αὕτη δὲ ἀποφορὰ θατέρου. Itaq; definiens habitum per priuationem, posteriore & ignotiore potius uti ad definiendũ, quàm eo quod simul natura sit, dicendus erit. At qui per habitum priuationẽ finierit, non simul, sed prius natura noto explicuisse quidpiam sit dicendus. Quapropter locus hic uim ad probandum nullam habere uidetur, & Hypothesis non uera: qua fundatur, & quæ statuit: in relatorum numero habenda esse ἀντικείμενα. Restat ut istius loci quæ ratio & interpretatio sit, perspiciamus, ne illum tanquam inutilem & sophisticum reijcere cogamur. In relatis sunt nonnulla quæ omnino se ipsis ac simpliciter referuntur ad aliud. Quædã referuntur propter commu-

Meta. θ.

Quomodo oppositorũ sit una scientia.

nionem tertij seu medij cuiusdam, quod in oppositis est uel Genus, uel Subiectum. Nam nec differentiæ, nec contaria, nec priuantia sine medio possunt dici aut intelligi opposita. Quoad igitur opposita sunt, unum sine altero non cognoscetur. Cognosci enim oppositum nihil aliud est, quàm duo, quæ pugnant inter se, simul intelligere. Etenim si ignoto altero, cognoscatur alterum, ipsum non quatenus oppositum cognosci dicendum, sed quoad est per se, & absolutum quiddam. Cæterum opposita, absoluto quodam uno (ut materia, uel Genere) communicant, quoad nimirum inter se referri dicuntur, cum alioqui id ipsum quod sunt, non referantur ad aliud. Itaq; forma, quatenus est habitus materiæ, sine priuatione non noscitur, nec priuatio sine habitu. At quoad forma intelligitur absolutè, eiusq; per se explicatur finitio, eatenus semetipsa noscitur. Quin per Accidens simul etiam priuationem intelligi nihil prohibet, quatenus nimirum formæ ratio consyderatur in materia: utpote cui propter Genus, uel materiam priuatio nimirum accidat. Prior itaq; est hoc modo consyderata forma, & priuatio natura posterior existit: & nequaquam sunt ut relata, simul natura, quemadmodum supra quoq; diximus. Habitus quidem sine priuatione, et contrarium unum sine altero nosci, perspicuum est. Eodem argumento refellit Aristoteles, in Analyticis posterioribus, illorum quoq; errorem, qui differentias tanquam per se relatas, negant cognosci, nisi cognoscantur etiam oppositæ: quot illæ, & quibus insint Speciebus: quod omnino tanquam consentaneum illis concedendum esset, si quidem quæ opponuntur & differunt, prorsus essent per se relata quædam, ac non ipsis relatio quædam accideret. Quare ut una Species absoluta noscitur sine alia, sic oppositam differentiam, quot & quibus conueniat, nosse non est necessarium, quoniam autore Aristotele in Analyticis posterioribus, οὐδὲν διαφέρει εἰδέναι ἢ μὴ εἰδέναι, ἐφ' ὅσων κατηγορεῖται ἄλλων αἱ διαφοραί. Absolutum enim quid constituunt differentiæ, nec sunt penitus relatæ, alioqui enim Species omnes ad aliud referri oporteret, quod perabsurdum est dictu. Valet igitur Axioma istius loci contra eos qui per opposita definiunt, quatenus sunt opposita, id est, quatenus relatio ipsis accidit, quamuis absoluta notione possint appræhen-

Relatorũ discrepãtia

Opposita quomodo simul noscãtur.

Quomodo unum oppositum natura sit prius altero.

apprahendi, quales ferè sunt rudes illæ uulgi rerum Definitiones, Vt quando dicunt Diem esse id, quod nocti sit oppositum. Et uoluptatem, esse affectionem, quæ sit opposita dolori. Quatenus enim opposita, nota simul ambo esse oportet. At notioribus constare Definitionem, atq; his ignotum definitum explanari, supra fuit ostensum: quare simul, & utrisq; ex æquo notis, confici non poterit Definitio. Limitatur huius axiomatis ueritas hac exceptione, ut nimirũ ratio eius non ualeat in Definitionibus per se & simpliciter Relatorum, quæ absq; eo, ad quod referuntur, id est, quo cum simul natura esse dicuntur, definiri nequeunt. Vt si quando duplum definitur esse exuperantia dimidij. Sed de his dicturi sumus aliâs. Ex numero oppositorum sunt etiam per se Relata, quorum ESSE nihil aliud est, quàm referri ad aliud: quod ipsum ut sit comparatum, superiore quodam loco me ostendisse recordor. Ergo ut in alijs non debet oppositi ratio, quoad refertur, adhiberi, ita in relatis necesse est opposito relato quidpiam finiri, cum ipsius uidelicet ratio absoluta esse nequeat. Cognoscenda hæc sunt omnia, inquit Aristoteles. Vti aũt ijs debemus, pro ut postularit disputatio defendendis scilicet & refellendis propositis, rationes locorum accommodantes. *Limitatio istius loci.*

LOCVS XVIII.

ALter locus nobis argumenta suppeditabit, quando in Definitione aliquid adhibetur, quod idem ualet quod res quæ definitur. Vt si solem, astrum luciferum, definiant. Qui enim lucis uocabulo utitur, etiam Solis utitur. Vt autem hæc manifestò depræhendantur, pro nominè sumenda est Definitio hoc modo. Dies est Solis motus super terram. Sic enim perspicuum erit, eum, qui motum super terram dixerit, etiam solem nominasse, ut Solis nomine usus sit, qui Diei usus fuerit.

Ex prioribus quoque partibus confici Definitionem supra est dictum. Quare non est ut aliquis opinetur legitimè quidpiam proprio suo definiri, quandoquidem Definitione proprij, definitum, id est,

Subiectum includatur, ut ipsum seipso dêfiniri perabsurdum uideatur, tanquam si esset seipso prius & posterius. Id tamen plærunq; latet uitium: si nimirum definiti uocabulum Synonymum usurpetur, ut hac Definitione Solis in textu proposita, qua dicitur astrũ ἡμεροφανὲς si pro uocabulo ἡμέρας seu Dici ponatur oratio, ea nimirum absq; Sole explicari, id est, sine definito dêfiniri nequibit. Alia est Solis apud Platonẽ in Theæteto Definitio, nempe hæc. ὅτι τὸ λαμπρότατον τῶν κατ' οὐρανὸν ἰόντων περὶ γῆν. Quæ & ipsa sit uitiosa Definitio, ut ostendemus aliâs, & ab Aristotele reprehensa sit libro ζ. Metaphysicæ. Loci istius argumento reprehenditur Definitio scientiæ apud Platonem in Thæteto, qua dicitur esse recta opinio cum ratione differentiæ. Nam cũ ratio differentiæ sit nihil aliud quàm scientia differentiæ, erit nimirum scientia nihil aliud, quàm scientia differentiæ cum recta opinione καὶ παντάπασί γε, inquit Plato, εὔηθες, ζητούντων ἡμῶν ἐπιστήμην, δόξαν φάναι ὀρθὴν εἶναι μετ' ἐπιστήμης. Ex quo perspicuum est è posterioribus etiam esse propria πάθη, nec ijs res subiectas, quarum sunt, ritè & perfectè finiri: quod Genus finitionum Socrates quoq; in Euthyphrone reprehendit, definiente nimirum ipso ὅσιον per θεοφιλές. Absurditas istius finitionis his exagitatur uerbis à Socrate. κινδυνεύεις ὦ Εὐθύφρων ἐρωτώμενος τὸ ὅσιον ὅτι ποτ' ἐστὶν τὴν μὲν οὐσίαν αὐτοῦ οὐ βούλεσθαι δηλῶσαι, πάθος δέ τι περὶ αὐτοῦ λέγειν ὅ, τι πέπονθε τοῦτο τὸ ὅσιον φιλεῖσθαι ὑπὸ πάντων τῶν θεῶν ὅ, τι δὲ ὄν, οὔπω εἶπες. Etenim θεοφιλὲς est τοῦ ὁσίου πάθος, quod causam habet ipsum ὅσιον & Deum, θεοφιλὲς autem non est causa τοῦ φιλεῖσθαι sed est ipsum φιλεῖσθαι ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἕνεκά γε τοῦ ὁσίου. Omnis enim proprietas causam habet quam Definitio subiecti declaret, eaq; uel axiomate effertur, uel syllogismo demonstratur. Vltima ratio tamen & Analysis acquiescit in finitionibus primarum proprietatum, quæ sine Definitionibus subiectorum nequeant intelligi. Sed de his uberius in Apodicticis aliquando tractabimus. Duobus modo expositis locis constat, nec differentia opposita definiendum esse quidpiam, nec semetipso, sic ut definitum ipsum in Definitione implicetur.

Reprehensio Definitionis scientiæ in Theæteto.

Definitio Sãcti reprehenditur in Euthyphrone apud Platonem.

LOCVS XIX.

Præte-

PRæterea uitio non caret si quid definitum sit opposita Specie, id est, è regione diuiso quodam: & differentia separato à definito (sic enim interpretari libuit ἀντιδιῃρημένον) ut si quis impar definiens, dicat ipsum unitate esse maius pari. Simul enim natura sunt quę sub eodē Genere, cōtra se diuidūtur mutuò. At è regione diuisa inter se sunt, par et impar. Ambo enim sunt differentię numeri ἀντιδιῃρημένα.

Differentijs oppositis, idem uel Genus, uel subiectū participantibus, constituuntur ἀντιδιῃρημένα, quæ et ipsa, quemadmodum differentiæ, simul natura sunt, & alterum ad Definitionem alterius nequit adhiberi. Ut si quis continuum definiens dixerit, Esse quantum, cuius partes discretæ poßint termino communi copulari. Aut Iustitiam, quæ non plus aut minus distribuat. Aut Iustitiam Christianam, qua primi parentis nobis insita, & originis iniustitia auferatur & obliteretur innobis, id est, nō imputetur. In primo exemplo, discretarum partium quantitatis (quæ est continuæ opposita) fit mentio: qua non quid sit, sed quomodo fiat potius, cōtinuum declaratur. Et præterea quoad sunt opposita, simul esse intelliguntur. Eadē est in reliquis ratio. Notis enim ex æquo utrisq; nō quid sint, sed quòd alterū fiat ex altero: duntaxat intelligitur. Ut si neq; plus, neq; minus distribuat, fit iustus, quo tamen quid sit, non intelligitur satis. Habet enim species quæq; absoluta partes suas quas necesse nō sit explicari respectu oppositi, quippe cū alterū non sit altero, quoad opponuntur, notius. Iustitia Christiana opponitur iniustitiæ originis: utrisq; opposita est priuatio: qua dicitur quis, neq; iustus, neq; iniustus, particeps tamen alterutrius. Quanquam aūt iustitia hac obliteretur et quasi deletur originis nostræ peccatum, quid fiat iustitia Christiana, non quid ipsa per se sit, hac Definitione tamen intelligitur, ut interim ne dicam, tam esse notam hanc iustitiam, quàm peccatum, quoad scilicet numerantur pro oppositis, quæ separatim nosci non possunt: quatenus sunt opposita. Alioqui sunt notitia nostra priora quædam & notiora, ut interdum priuationes, habitibus. Quod in primis declarat φαυλότητα captus nostri, qui tanquam Noctuarum hebes acies non fert, aut capax est illustris ueritatis rerum,

ſuo tamen modo quodam in opacitate & tenebris his earum utrunq; diſcrimina internoſcens, ὥσπερ ἐν σκότῳ ἀλλοτρίῳ ὄμματι προσχρώμενος, ut Plato quodam in loco dicit. Sed quid reſpondebimus Ariſtoteli ſcribenti in quinto Ethicorum libro: ex contrario ſæpe cognoſci quidpiam, ut quando, quid Iuſtitia ſit, colligit ex his, quæ pertinent ad iniuſtitiam, partibus, in quibus numerantur plus, minus, iniquum, illegitimum, quæ pertractans, poſtea iuſtitia quid ſit, explanat. Cauſa ordinis iſtius hæc redditur ab ipſo, ὅτι πολλάκις γνωρίζεται ἡ ἐναντία ἕξις ἀπὸ τῆς ἐναντίας. Quinetiam Medici multarum rerum notitiam ſibi conquirunt per ἀποσυμβεβηκότα, & morbis certè deprehenſæ ſunt quarundam partium facultates, & δυνάμεις. Occurrimus his, quæ iſto modo dicuntur contra hunc locum, quòd nimirum aliud ſit finire quidpiam, & aliud colligere finitionem. Ex oppoſitis igitur rebus colligi poteſt definitio quidem, ſed ob id partes eius non eſſe debent, cuius tanquam perperam conſtitutæ finitionis reprahenſio proponitur hoc loco.

Conſpicilia mentis noſtræ ſunt ſenſus, quibus percipiũtur quæ formis & naturis rerum accidunt propter materiam.

LOCVS XX.

QVod idem fiet, ſi ſuperiora inferioribus aperiantur definiendo. Vt ſi par numerus definiatur eſſe, qui bifariam diuiditur. Aut, Bonum, Habitus virtutis. Nam & bifariam à duobus (quæ ſunt paria) ductum eſt. Et Virtus quædam eſt pars bonorum. Ita hæc definitis ſubiecta ſunt. Quin etiam neceſſe eſt eum, qui eo quod infra eſt, vtatur, etiam ſuperiore vti. Cùm præſertim qui virtutis nomen vſurpat, boni etiam nomen vſurpet. Quandoquidem virtus in numero bonorum habetur. Itemq; is qui bifariam dicat, pari vtitur. Quoniam illud bifariam, aliquid in duas partes diſtributum declarat, & DVO, paria ſunt. Ac in vniuerſum quidem Locus vnus eſt, ex quo ad docendum Definitionem non prioribus & magis perſpicuis illuſtratam, argumenta ducentur, nihil ominus tamen partes ſunt eius loci hactenus à nobis propoſiti.

Quartus

Quartus hic locus est, quo repræhenditur non ex prioribus constituta definitio. Fit enim sæpenumero, ut generibus definiendis specierum usurpentur uocabula, quibus definiri Genera nequaquam, uel primis Dialecticæ rudimentis imbuti intelligunt. Genus enim neq; Differentias, neq; species participat, & utriusq; expers, sua quadam finitione explanatur, genere scilicet suo, & differentia: tanquam ipsum per se quoddam εἶδος, existens: Quatenus enim Genus, participatur à specie. Loco illo repræhenditur uitium huius Definitionis, qua definiunt quidam fœlicitatem esse uitam practicam: Aut sanitatem, perfectißimum εὐεξίας habitum, Aut si quis φορὰν corporum naturalium finiens, dixerit esse grauitatem, qua suum in locum quodlibet feratur corpus. Sic enim uidetur Platoni in Timæo: Aut si quis attractum finiens, dixerit (ut Erasistratus) ipsum esse succeßionem ad id, quod uacuatum est. Indoctis profecto species generum sunt interdum ignotæ, quare fit, ut uniuersi generis rationem ad speciem reuocent, & quasi astringant. Tractuum species sunt multæ, ex quibus etiam facultas est quædam corporis animati naturalis, quæ tractum exercet: quem defendit Galenus contra Erasistratum in libris de Facultatibus naturalibus. Diligenter ergo considerandum, ne quando pro genere species usurpetur, alioqui species reliquas à genere necesse est excludi, atq; etiam ipsam generis rationem perimi, quoad à multis specie differentibus sic definitũ participari nequit. Eodem accidit uitium quoq; ἀδολεσχίας, qua oportebit, si de genere prædicetur Definitio, propter speciem positam, bis iterari Genus, ut hoc nomine etiam tanquam inepta, non tantum ut nulla poßit repræhendi. In Lachete Platonis, Fortitudinis à specie petita finitio, hæc à Socrate reijcitur. Sic enim Fortem finit. ἀνδρεῖός ἐστιν ὃς ἐν τῇ τάξει μένων μάχεται τοῖς πολεμίοις, et in Hippia maiore, quando ridiculus Sophista interrogatus, quid ipsum per se sit pulchrum, respondet, ipsum esse pulchram Virginem. Tametsi eo loco non specie, genus, sed speciei subiecto cuiusdam definierit. Multa sunt paßim apud Platonem exempla. Nunc Aristotelica interpretemur. Bonum, si uirtute finiatur, generis ratio erit sublata, qua tamen latißimè patet bonum. Ad honestum ipsum duntaxat

Genus non definitur sua specie.

Causæ & rationes istius loci.

Fortitudinis finitio uitiosa.

Pulchri finitio falsa.

Stoici astringunt, sed tam angustè finiri Bonum Peripateticis nō placet. Par, quando definitur esse numerus in duas partes æquales diuiduus, eodem uitio ipsius quoque uidetur laborare Finitio. Nam binarius, qui pars est Definitionis, ipse par est: ut Genus Specie definitum uideatur. At forsan dixerit quispiam hanc ueram esse paris Finitionem, cùm præterea sit nulla ipsius alia, & usurpata ab omnibus sit Definitio hæc, quam reijcere, & non meliorem afferre sit absurdum. Speciem hæc Definitio præ se fert falsitatis, non proponitur autem tanquam reuera falsa. Nam esse diuiduum in duo, non quantitatem, id est, simpliciter binarium, sed qualitatem quandam significat, quemadmodum aliâs quoque uocabula numerorum, quando his significatur Analogia, & pro rata partione comparatio quædam. Rectè enim Aristoteles & uerè in numeris, quòd præter substantiam illorum insit, id esse qualitatem, non quantitatē scribit in Metaphysicis, καὶ ὅλως, inquiens, ὃ παρὰ τὸ ποσὸν ὑπάρχει ἐν τῇ οὐσίᾳ ποιόν ἐστι. οὐσία γὰρ ἑκάστου τὸ ἅπαξ. οἷον τῶν ἓξ οὐχ ὃ δὶς, ἢ τρὶς εἰσὶν, ἀλλ' ὃ ἅπαξ. ἓξ γὰρ ἅπαξ ἕξ.

ἀπορία.

Λύσις.

In numeris qualitas exprimitur etiam quadam appellatione numeri.

LOCVS XXI.

SEcundus Locus erit, quando res, quæ definitur, ex aliquo est genere, neque in Genere ponitur. Qui error in ijs omnibus versatur, in quibus non ponitur Genus Definitionis. Vt si quis corpus definiat, id esse quod habeat tres dimensiones: Aut hominem, id quod rationem numerorum tenet. Is genus non dicit magnitudinem esse, quæ tres habeat dimensiones, aut, genus hominis, animal, quod rationem numerorum tenet. Genus autem quid res sit, declarat, & primum eorum quæ in definitione dicuntur, collocatur.

Locus.

Ratio loci.

Quæ respectu generis eiusdē, contra quam natura ferat definitionis, assumuntur, hæc tribus modis supra expositis, cōplexus est Arist. Quòd si pro eodem non numerantur ἐκ τῶν ἀντικειμένων, & ἐκ τῶν συνδιῃρημένων, iā non tres, sed quatuor (ex non priorib.) definitionū erunt modi:

sed

ſed illi omnes primo perſtringuntur loco. Secundus hic eſt nullarum definitionum locus, quo ponitur ſine genere Definitio, quod ipſum qualem uim habeat in Definitionibus, aliàs me dixiſſe recordor. Ex partibus compoſitam Finitionem eſſe nemo neſcit, quæ diſsimilis eſt aliarum partium compoſitis, quarum una aliqua detracta, neceſſe nõ eſt οὐσίαν & ſpeciem mutari. Sed definitionis parte una aliqua, uel addita, uel detracta, totam οὐσίαν perimi eſt neceſſarium, perinde cõparata re atq; in numero, cuius ſpecies non manet eadem, ſiue unum adieceris, ſiue ſuſtuleris. Numero definitionem Ariſtoteles lib. 1. Metaphy. his uerbis comparat. οὐκ ἔτι ὁ αὐτὸς ἀριθμός ἐστιν ἀλλ' ἕτερος κἂν ἐλάχιστον ἀφαιρεθῇ ἢ προστεθῇ. οὕτως οὐδὲ ὁ ὁρισμὸς, οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι, οὐκ ἔτι ἔσται ἀφαιρεθέντος τινὸς ἢ προστεθέντος. Genus autem pars præcipua eſt Definitionis, nihil enim eſt quo ſimplicius, quid res ſit, poſsit intelligi, & quo ſine: tanquam fundamento, differentia eſſe nequeat. Et ut in alijs: differentiarum difficilis eſt deſcriptio, ita in nonnullis generum. Vt uerbi gratia, in phyſicis diſputatur & quæritur, cuiuſnam generis ſit locus, planum ne ſit, an materia, an uero inanitas quædam. Eiuſdem modi de tempore etiam exiſtit controuerſia, motus ne ſit, an numerus, aliud enim alij uidetur eſſe. De genere animæ magna contentio eſt inter Phyſicos: quibuſdam corpus ſeu corporeũ quiddam exiſtimantibus eſſe, nonnullis qualitatem, eſt etiam qui quantitatem, continuam motionem, & item qui numerum ſeipſum mouentem interpretetur Genus animæ. Ita in reliquis etiam ſubinde aliud alij uidetur eſſe Genus, cui deinde attexantur differentiæ, quas abſq; genere, Accidentia rerum eſſe conſtat. Quo igitur ſimpliciter eſſe res dicitur, id nimirum eſt Genus. Differentiæ non ſeipſis, ſed reſpectu generis οὐσίαν explanant. Quamobrẽ ut Subſtantia reſpectu accidentiũ ἁπλῶς eſſe dicitur, ita genus eſt quo ſpecies cenſetur ἁπλῶς eſſe: quoniã non, ut differentiæ, ipſum quoq; dicitur eſſe alicuius, ſed ſeipſo intelligitur, cõplexu ſuo compræhendens inferiora et compoſita. Itaq; quod ambo hæc ἁπλῶς eſſe dicãtur, in cauſa eſt, quia ipſa non ad aliud, ſed alia ad ipſa comparata ſubſiſtant: idq; Ariſtoteles oſtendit Libro primo de ortu & interitu, ſic ſcribens: Τὸ δ' ἁπλῶς ἤτοι τὸ πρῶτον σημαίνει καθ' ἑκάστην κατηγορίαν τοῦ ὄντος. ἢ τὸ καθόλου, καὶ τὸ πάντα περιέχον.

Definitio ſimilis eſt numero.

Quo pacto ἁπλῶς eſſe dicatur genus.

Quòd autem seipso intelligatur, & non propter differentiam, primum esse quodq; Genus Aristoteles autor est in Metaphysicis ad hunc scribens modum, ὅσα γὰρ μὴ ἔχει ὕλην μήτε αἰσθητὴν, μήτε νοητὴν, εὐθὺς ὅπερ ἕν τι εἶναι, ἐστὶν ὄντως. *Huic Generi primo, additis Differentijs omnibus, Speciem seu Definitionem constituimus. Siquidem autore*

Meta. ἡ. *Aristotele* οὐδὲν ἕτερον ἐστὶν ἐν ὁρισμῷ πλὴν τό, τε πρῶτον λεγόμενον γένος, καὶ αἱ διαφοραί. Τὰ δ' ἄλλα γένη ἐστὶ τό, τε πρῶτον καὶ μετὰ τού του αἱ συλλαμβανόμεναι διαφοραί. *Hactenus Genus primum, & differentias, constat esse partes simplicißimas finitionis. In his, utcunq; sine Genere, ponuntur Differentiæ: sed aut ignoto, aut non posito Genere quis eas pro differentijs numeret, aut pro Definitione partes illas habeat? Mutilatæ sunt huius Generis multæ finitiones quibus uulgò, omißis*

Mutilatæ Definitiones uulgi. *Generibus, differentiæ ponuntur. Vt Iustitia si finiatur esse, quæ suum tribuatur cuiq;, Deest huic Genus, quod est habitus, aut uoluntas. Locus hic plura non desiderat, & exempla in textu satis declarant rem: & nota sunt omnibus.*

LOCVS XXII.

IDem eueniet si quod definitur multa significet, quibus sit finiendum, quæ tamen non omnia adhibeantur Vt si quis Grammaticam definiat, artem esse scribendi id quod dictatur et profertur. Deest enim, et legendi. Quandoquidem non potius scribendi quam legendi eam artem tradidit is qui eam definiuit, ut non qui alterum sed qui utrunq; dixerit, definisse uideatur. Siquidem eiusdem rei Definitiones esse multæ non possunt. Ac in nonnullis quidem hoc uerè dicitur, quod expositum est, in quibusdam uero non item. Cuius Generis ea sunt omnia, in quorum utroq; non per se res, quæ definitur, cernitur. Quemadmodum medicina in morbo & in ualetudine uersatur, quorum in ualetudine, ui sua, & per se, in morbo secundum Accidens, cernitur. Præsertim cum alienum sit à medicina morbum efficere atq; generare: Ita non uerius

rius medicinam definiendo aperit is, qui utrunque complexus est, quàm is qui alterum, imò uero deterius, quandoquidem quiuis alius morbum efficere potest.

Quemadmodum in finienda Specie Genus omittere, præcedente repræhenditur loco, sic præsente hoc, si quis definiens Genus, cuius Species, ipsius quoq; partes tanquam totius cuiusdam esse poßint, aliquam partem omittat, mancam posuisse Definitionem arguitur: & propter imperfectionem nullam. Ut Species, ita pars una prædicari & dici de alia per se nequit. Atq; in his partibus, quæ Species non sunt, ut Totum, Genus ipsum non est, ita de partibus enunciari haud potest. At Species quæ simul etiam tanquam partes ὅλου constituunt totius cuiusdam, sic sunt comparatæ, ut ijs genus tanquam totum quiddam sit finiendum, & præterita parte aliqua, Definitio ut claudicans refellatur. Species illæ quæ appellationem unius Generis obtinent, sunt ex numero eorum quæ participant eodem nomine quo significatur aliquid ἀφ' ἑνὸς hoc modo: ut inferius & ignobilius complexu superioris atq; eminentioris cõtineatur: et ut inferior sine superiore, superior autem sine inferiore esse non poßit. Exemplo satis noto rem declarabo. Anima si perfectè finiatur, necesse est tanquam totã partibus suis finiri. Intelligens autem una est quæ reliquas contineat omnes tanquam partes, nec sine inferioribus subsistit. Sentiens continet altricem, ita tamen ut altrix sine sentiente in stirpibus, in brutis sine intelligente poßit esse sentiens, subsistentes tanquam separatæ Generis Animæ Species, quæ nimirum in homine sunt eiusdem tanquam partes, sine quibus totũ non sit. Istius Generis uocabulorum non possunt aliæ, aut alio modo esse finitiones (siquidẽ unius nõ sit nisi una Definitio) quàm ut Totius, cuius pars omitti nulla debet, propterea quòd si sola altrice, aut sentiente ui definiatur Anima, ipsius præterea aliam quandam esse oportebit finitionem, si autem consummata sit partibus omnibus, nulla alia ipsius ne coniectura quidem fingi poßit Definitio, Sed illud interest inter has finitiones, et eas quæ Genere et differentijs constituuntur, quòd in his non modo definitum, uerum etiam Definitio, & de omnib.

Quænam Genera definiantur suis Speciebus tãquam partibus.

Discrepantia inter finitiones

quarũ una conflatur genere et differẽtia, altera conflatur partibus suis de quibus prædicatur genus ratione ordinis secundum prius scilicet & posterius.

& de singulis enunciatur uerè, ut animal de homine, Vrso, Leone simul omnibus, & de singulis separatim nunciatur, ac perinde ut definitum, ita quoq; Definitio. Anima autem de omnibus & singulis, ipsius autem Definitio de omnibus quidem, sed non de singulis uerè enunciatur. Non posse autem ratione alia comprœhendi sic communia, docet Aristoteles libro secundo de Anima ad hunc modum scribens. εἷς ἂν εἴη λόγος ψυχῆς τε καὶ σχήματος· οὔτε γὰρ ἐκεῖ σχῆμα παρὰ τὸ τρίγωνόν ἐστι καὶ τὰ ἐφεξῆς· οὔτε ἐνταῦθα ψυχὴ παρὰ τὰς εἰρημένας. Γένοιτο δ' ἂν καὶ ἐπὶ σχημάτων λόγος κοινὸς, ὃς ἐφαρμόζει μὲν πᾶσιν, ἴδιος δὲ οὐδενὸς ἐστὶν σχήματος. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ ταῖς εἰρημέναις ψυχαῖς. διὸ γελοῖον ζητεῖν τὸν κοινὸν λόγον, καὶ ἐπὶ τούτων καὶ ἐφ' ἑτέρων ὃς οὐδενός ἐστι τῶν ὄντων ἴδιος λόγος οὐδὲ κατὰ τὸ οἰκεῖον καὶ ἄτομον εἶδος, ἀφέντας τὸν τοιοῦτον. *Causam paulò antè ostendimus, propter quam non poßit alia talium uocularum poni & institui definitio. Quæ enim animæ est ut generis sine speciebus, ut partibus definitio, non speciem per se, seu formam, sed subiecto & materia, quid sit, animam explanat, ut altera ipsius est finitio qua dicitur, actus corporis physici, organici. In disciplinis omnibus occurrunt huiusmodi uoculæ definiendæ, quibus significantur species, quæ & separatim esse poßint, ut inferior absq; superiore, & qua significetur etiam totum quiddam quo contineantur omnes Species tanquam partes, ita tamen ut superior ex neceßitate contineat inferiorem, Ergo Definitio hæc, Anima est actus quo intelligit Animal, quo sentit, item mouetur, et alitur, simul omnibus congruit, sigillatim nulli. Præterea Facultas Naturalis, ratione materiæ et subiecti, sic finitur, ut sit, qua gubernantur motus corporis animati, qua nimirum genus* ὅτι ἐστὶ *definitur. Quoniam* εἶδος *generis, non est subiectum ipsius aut materia. At si consyderes quid ipsum Genus per se sit, Species, de quibus prædicatur, assumendæ omnes erunt, tanquam partes totius cuiusdam & perfecti, ut nihil aliud sit Facultas naturalis, quàm assimilatrix uis animæ, præterea retentrix, excretrix, & attractrix. Quod si finiens dixeris ipsam esse quæ nutrimentũ attrahat, aut quæ excernat inutilia, plures nimirum unius erunt finitiones. Quamobrem aggregari, ut una sit unius Definitio, partes omnes debent. Monitum autem quemq; uolo, ut sua in profeßione id Genus definiendi*

endi obseruet, satis quidem usitatum & frequens, sed à paucis animaduersum. Incurrit in istius loci repræhensionem, qui definiens Grammaticam, dicit esse scientiam scribendi. Quum sit enim legendi quoq;, nisi addatur, unius duas esse oportebit Definitiones. Scribendi autem, legendi continet scientiam. Neutro igitur separatim Grammatica definitur. Duorũ sæpenumero dicitur quidpiam esse: sed non hac ratione, ut unũ contineatur ab altero, uerum hac conditione, ut unius per se dicatur esse alterius secundũ accidens. Vt medicina per se sanitatis dicitur ars esse, seu scientia, secundum accidens, morbi. Tametsi enim per se scientia quæuis contrariorum sit, nõ enim separatim disciplinis tractantur contraria, & ob id ambabus contrariorum Speciebus quamlibet scientiã definire oporteat (αἱ γὰρ μετὰ λόγου δυνάμεις πᾶσαι τῶν ἐναντίων αἱ αὐταὶ) ratio tamen eadem transferenda ad artes nequaquam erit. Nõ enim ut scientia (quæ includitur arte medica) contrariorum est, ut uerbi gratia sani et ægri: ita quoq; ars erit, quæ per se dirigitur ad effectũ, quem esse semper unũ, qui nimirum sit finis artis, & nequaquam contrarios, nemo nesciat, Medicina est sanitatis, Iurisprudentia æquitatis. Quare falsa hæc erit Definitio Medicæ artis, qua dicitur ars sani & ægri. Et iuris hæc, qua dicitur ars æqui & iniqui: nisi confiteri isti uelint se Architectos esse iniquitatis, quod iã non sit artis, sed potius pertineat uel ad inscitiã Leguleiorum, uel ad ipsorũ nequitiam & improbitatem. Idem dici de Medicina & reliquis potest artib. Aliquando genus alterutra definitur specie, quo contingit ut unius non una uideatur Definitio. Vt si βουλητὸν definiatur esse id quod reuera sit bonum. Sed est βουλητὸν etiam, quod uerè non est, sed apparet bonum esse. Simul unius hæc non possunt esse. Quamobrem cum necutraq; Specie, tanquam partibus, nec alterutra, poßit definiri βουλητὸν, restat ut non tanquam totum, sed ut Genus communi quadam differentia pertinente ad Species, definiatur, cuiusmodi est hæc Aristotelis. ἄρα φατέον ἁπλῶς καὶ κατ' ἀλήθειαν βουλητὸν εἶναι τ' ἀγαθόν, ἑκάστῳ δὲ τὸ φαινόμενον, τὸ μὲν οὖν τῷ σπουδαίῳ τὸ κατ' ἀλήθειαν, τῷ δὲ φαύλῳ, τὸ τυχόν. Ac sæpe accidit ut generis ignota differẽtia, loco ipsius speciei usurpetur differentia, quod ipsum falsas et perplexas faciat definitiones, atq; id

L 4 quidem

Scientia quomodo duorum esse dicatur, cum tamen artis ratio uno duntaxat definiatur.

Meta. 6.

Genus uidetur interdum definiri specie alterutra.

quidem ne per errorem fiat in disciplinis, admonendum puto. Redeo ad definitiones artium, quarum tametsi scientiæ contrariorum esse dicantur, ipsæ tamen contrarijs non sunt finiendæ, cùm sint effectrices duntaxat per se boni cuiusdam. Artis autem nequaquam est, moliri aut efficere quidpiam malum, quod duntaxat ad cognitionem ipsius, non ad efficiendi item industriam pertineat. Ex quo par est intelligi, siquidem finibus definiantur artes, perfectum artificem, non modo notitia rerum faciendarum, uerum etiam uoluntate & προαίρεσιν bonarum rerum esse definiendum. Quomodo enim erit Artifex, aut quo iure appellabitur, qui aut non potest, aut non uult opus aut effectum artis, qui numeratur in finibus & rebus bonis, atq; expetendis, præstare? Ergo ut non ignorantia, ita nec peruerso proposito debet impediri, quo minus se gerat pro Artifice, quorum utroq; fit, ut ad finem, id est, bonum & effectum, seu opus artis non perueniatur. Quis quæso appellet hunc Dialecticum, qui uias omnes ueritatis cognitas habeat & exploratas, ut nihil sit, quod ratione non poßit inuestigare, si toto in id pectore incumbat, ut errorum tenebras disputando quibusuis offundat, atq; omnia implicet captiosis argumentis, & sophisticis tendiculis irretiat? Nemo profecto, atq; eo magis Sophista erit appellandus, quo id facit argutius & tectius, quàm si ignorans ipse, alios quoq; ignorantes deciperet. Quod si fiat simile quidpiam in arte Medica, qui hoc animo sit præditus, is non magis Medicus quàm Veneficus dicendus erit. Etenim usu, non scientia rerum, Artifices definimus, ut manca sit artis notitia, quæ uoluntate non dirigatur ad finem suum, ὅτι ἑκάστη, ut Aristoteles scribit, τῶν τεχνῶν τὸ τέλος εἰς ἄπειρόν ἐστί. Vtinam & internosci possent boni ab improbis, & utriusq; modi Artifices non modo opinione hominũ, sed etiam uocabulis distinguerentur, eo modo quo Sophista distinguitur à Dialectico, non scientiæ quidem, sed artis nomine, quoad differunt nimirum προαίρεσιν & non δύναμιν. Eruditè Quintilianus Oratorem finiens, dixit ipsum esse uirum bonum, dicendi peritum. Noluit enim artis nomen contaminari probro abutentium, atq; improborum locutuleiorũ infamia dedecorari, ut quæ sine bonitate, quemadmodum non prosit, ita quoq; nulla sit ars appellanda. Aristoteles ambos

Artes non tantum scientia, sed προαίρεσιν sunt finiendæ.

Aristo. lib. 1. Politi.

Oratoris finitio.

ambos sic discernit in Rhetoricis, ut bonum κατὰ προαίρεσιν, improbum κατὰ δύναμιν appellet Rhetorem. Ἐνταῦθα μὲν ἔσται ὁ μὲν κατὰ τὴν ἐπιστήμην, ὁ δὲ κατὰ προαίρεσιν ῥήτωρ. *Sophistam & Dialecticum hoc modo.* ἐκεῖ, σοφιστὴς μὲν κατὰ τὴν προαίρεσιν. Διαλεκτικὸς δὲ οὐ κατὰ τὴν προαίρεσιν ἀλλὰ κατὰ τὴν δύναμιν. *Loquitur autem de peritia fallendi, quam non minus intelligat Dialecticus quàm Sophista, qui tamen proposito differant. Quod si uerum est, quod Plato scribit in Phædro: ne ars quidem erit Rhetorica, quæ falsa defendit, appellanda.* Τοῦ δὲ λέγειν, φησὶν ὁ Λάκων, ἔτυμος τέχνη ἄνευ τοῦ ἀληθείας ἧφθαι οὔτ᾽ ἔστι, οὔτε μήποτε ὕστερον γένηται. *Id est, Vera est, ut Lacon dicit, ars differendi: absq; uero tamen, ut id non attingat, neq; est ulla, neq; etiam deinceps fieri poterit. Sed de his dictum satis.*

LOCVS XXIII.

PRoximus Locus erit. Quando non ad id, quod præstantius, sed ad id quod deterius est, res quę definitur, solet accommodari: quum plura uidelicet sint, in quibus vis eius intelligatur. Omnis enim ars, omnisq; facultas ad id, quod continet præstantissimum omnium, referri uidetur.

Locus.

Ratio.

Quamuis multa sint interdum, ad quæ definitum referatur, in his autem principale sit & optimum quiddam, quod sit tanquam mensura reliquorum, absq; eo si definitum fuerit explanatum, uitiosam esse oportebit finitionem. Multæ sunt unius rei tanquam partes, causæ & instrumenta, & illorum quoq; effectus uarij, differentes melioris & deterioris ratione: quæ multiplex cum sit ratio nihil certò definit. Ac præterea etiam unius non nisi una potest esse definitio. Vnum uero illud quasi mensura esse debet reliquorum, qua ipsa etiã, quanq; multa sunt, possint cognosci. Rectum enim non modo seipsum mensurando, sed etiam curuum & inflexum metiendo declarat, ut Arist. inquit in primo de anima libro. Quamobrem si ex multis optimũ erit aliquid, ad finitionem scilicet idipsum erit adhibendum, quippe cœtera, ut suapte natura indefinitiora, eo finiri oportebit. In dia-

logo de Regno disputatur apud Platonem, quinam sit, & quid sit Politicus. Considerans omnes ciuitatis partes, atq; Ciuium et Magistratuum offitia distinguens, ostendit penes nullum istorum offitiorum principatum esse πολιτείας. Quæritur autem, quonam maximè contineatur salus Reipublicæ, & quem tanquam architectum respicere omnes oporteat. Is autore Platone, neq; est sacrorum antistes, neq; qui bellis gerendis præficitur imperator, nec controuersijs componendus iudex præpositus: Sed is, qui uti his omnibus poßit, hoc modo, ut optimi status particeps sit ciuitas, præstantißima sapientia præditus, quem eundem quoq; Philosophum appellat: Is enim efficit ut optimè morata sit ciuitas, & ut uirtutibus freti, summi boni ac fœlicitatis fiant participes ciues, quod nimirum est optimum, & quô reliqua omnia munera & offitia Ciuitatis sint referenda. Eodem respectu & modo definitur etiam apud Aristotelem πολίτης, id est, Ciuis. Vt is sit Ciuis, non qui communicet eodem loco, emendo etiam & uendendo contrahat, aut simul bellum gerat & administret: sed is qui particeps esse Senatus & publici consilij, itemq; magistratum gerere poßit. Definit hoc modo Ciuem Aristote. libro tertio politicorum. Πολίτης ἁπλῶς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς. Quinetiam Theologiæ nulla sit definitio, qua Legis & Peccati scientia potius esse definiatur, quàm Euangelij & gratiæ. Item sanitas finienda est, quæ tanquam regula Polycleti sanitatum omnium mensura existat. Idem faciendum in omnibus, in quibus melius & deterius cernitur, & tanquam gradus quidam, quorum definitio optimi & perfectißimi ratione est explananda.

Politicus quid.

Ciuis quid.

Theologia quid.

LOCVS XXIIII.

RVrsus, si res, quæ definitur, in proprio & accommodato genere non collocetur. Argumenta ex his locis Generis, quos supra posuimus, ducentur.

Vitiosa & hæc est definitio, non quando omissum, sed perperā positū fuerit genus, Vt si quis fœlicitatem, uirtutem esse dicat, uel habitum

tum, Aut tempus, motum & conuersionem cœlestem, cum Genus ipsius sit numerus. Argumenta repræhensionis istius sunt requirenda ex libro Topicorum quarto, qui est argumentis generum destinatus.

LOCVS XXV.

IAm si quis superiora Genera definiendo usurpet. Vt si quis iustitiam definiat, esse habitum efficientem æqualitatis, aut, habitum, qui suum cuiq; tribuit. Is enim sic definiendo virtutem transilit & omittit, nec exprimit quid sit. Quoniam cuiusq; essentia cum genere noscitur. Transilire porro Genus, nihil aliud est, quàm non in proximum (respectu differentiæ) ponere genus. Nam qui proximum assignat Genus, superiora etiam posuit omnia. Etenim superiora omnia de inferioribus prædicantur. Est igitur vel proximum ponendum Genus, uel Differentiæ omnes superiori generi erunt annectendæ, quibus nimirum genus postremum definiatur. Hoc enim modo nihil erit omissum, ac pro nomine postremi generis, ipsius posita erit oratio. At qui superius duntaxat dixerit genus, non item inferius dicet. Appellatione namq; stirpis non etiam continetur Arbor.

Nihil intermittendum in definitionib.

Locus hic uituperat definitionẽ, si superiori Generi & non uernaculo, differentia ultima sit addita, intermißis medijs differentijs, aut illis intermißis, proximum non fuerit aßignatum Genus. Definitio enim (ut aliàs est dictũ) nihil aliud est, quàm primum genus, omnibus ex ordine adiectis differentijs, quarum ultima Speciem constituit definiti, medijs: constituuntur media genera. Itaq; pro differentijs medijs, & supremo genere interdum, ne longior et uerbosior sit Definitio, intermediorum quopiam generum uocabulo utimur, ut si quando Hominem quis definiens, dicat esse Animal intelligens: aut, Medicinam, Notitiam seu artem salubrium. Vitiosa est Definitio, quæ intermittens medium, extrema coniungit. Plato præcipit in Philebo, exquisitè contemplandis naturis rerum,

Plato in Philebo præcipit συνέχειαν partium considerādam in finitionibus.

non modo considerandum, quòd aliquid sit unum, & quòd multa, & quòd item infinita. Ad scientiam enim id non esse satis, quorum primum pertinet ad genus, alterum ad differentias, atq; etiam genera media, tertium, ad multitudinem infinitam quoad singula numero discrepant, sed de numero quoq; & ordine cognoscendum, quot illa sint quæ à primo Genere inchoantia, & per ordinem progredientia, terminantur illic, ubi infinitas incipit singulorum, duntaxat numero differentium. Τὴν δὲ τοῦ ἀπείρου ἰδέαν πρὸς τὸ πλῆθος μὴ προσφέρειν πρὶν ἄν πα τὸν ἀριθμὸν αὐτοῦ πάντα κατίδῃ τὸν μεταξὺ τοῦ ἀπείρου τε καὶ τοῦ ἑνός. Τότε δ' ἤδη τὸ ἓν ἕκαστον τῶν πάντων εἰς τὸ ἄπειρον μεθέντα χαίρειν ἐᾶν. Sua quodq; porrò Genus differentia est diuiduum, quamobrem aduertendus animus, ut suis articulis quidq; secetur, ne (ut scribit idem in Phædro) imperiti coci instar, non diuidantur apta sectione, sed lacerentur & inscitè discerpantur membra in partes. Sic enim scribit μὴ ἐπιχειρεῖν καταγνύναι μέρος μηδὲν κακοῦ μαγείρου τρόπῳ χρώμενον. Superius Genus, Speciei non exprimet essentiam cum differentia infimi & proximi Generis. Quoniam ut sua cuiusq; rei una est differentia, qua Speties constituitur, ita quoq; Genus est unum. Etenim ut sua in materia & peculiari, quæq; forma inest, ita non nisi respectu sui Generis ad constituendam Speciem, uim habere differentiam existimandum: nec nisi per accidens addita Generi alij adscribetur, quibus iunctis, unum per se atq; essentia nihil constitui queat. Differentia igitur ut non sine Genere suo, ita nec cum alieno iuncta, definitæ rei Substantiam significat, quippe proximi communioris Generis cum determinatio sit differentia, qua constituitur alicuius essentiæ compositæ Species. Absq; eo Definitionem, qua quid sit res intelligitur, nequaquam constituet. Vel igitur omnes suo ordine deinceps supremo Generi sunt adnectendæ, uel uni proximum accommodandum est Genus, cuius complexu supremum cum reliquis contineatur: non expreßis differentijs, quod tum notum fiet si pro nomine Generis posita fuerit oratio. Ac certior quidem & perfectior isto modo Definitio omnis erit. Nam si Platoni credimus in Theæteto δεῖ ἀεὶ παντὸς πέρι τὸ πρᾶγμα αὐτὸ μᾶλλον διὰ λόγων ἢ τ' ὄνομα μόνον συνομολογεῖσθαι χωρὶς λόγου. Quocirca constituere sic oportebit finitiones ut

Differentia suo generi aßignanda.

á supremo

à supremo Genere ad infimam Speciem progreßis nihil omittatur eorum, quæ pertinent ad partes essentiæ rei definiendæ, Semperq; proximum certè Genus suis secetur differentijs. Alioqui si quid defuerit, Definitionem confici nullam supra fuit dictum. Locus hic, quemadmodum etiam sequens, ad refellendas uulgares & imperfectas Definitiones utilis est. Quomodo autem colligendæ sint omnes partes Definitionum, ut nulla omittatur, docet Aristoteles in Analyticis posterioribus.

LOCVS XXVI.

PRæterea in differentijs eodem modo uidendum est, an Generis peculiares differentias explicarit. Nam si rem aliquam non suis proprijs differentiis definierit, aut etiam aliquid dixerit eiusmodi, quod nullius rei differentia esse possit, ut si animal pro differentia ponat, uel Substantiam: is (quoniam nihil tale differentiæ nomen obtinet) certè definiendi recta ratione non utetur. Atq; etiam illud uidendum est, sit ne aliquid quod diuisum quasi ex altera parte differentiæ quæ proposita sit, respondeat. Si enim non sit, profecto quæ data est, non erit Generis differentia. Quandoquidem per differentiam, quæ diuiduntur ex contrariis partibus, Genera omnia distribuuntur. Vt animal in terrenum et pennigerũ, in aquatile et bipes. Aut si est differentia, quæ oppositis genus diuidat, nec de Genere uerè dicatur, perspicuũ est neutrum fore generis differentiam, præsertim cum omnes differentiæ in quas Genus tribuitur, de proprio & suo Genere dicantur. Itemq; si uerè illa quidem dicatur, nõ tamen apposita Generi speciem constituat, profectò non erit cum Genere talis speciei Procreatrix differentia. Quippe speciei Effectrix differentia, speciem procreat, si cũ genere iungatur. Quòd si hęc in differentiis nõ numeretur, nec ea quidem quæ proposita est speciem efficiet. Quandoquidem ei è regione, diuisionis causa respondet.

Ratione differẽtiarũ, reprӕhensio definitionis. Quàm multa pertineant ad Definitionem ritè constituendam, reprӕhensio eius uitiorum uaria & multiplex ostendit, Plurimӕ sunt labes, quibus Definitio non esse integra deprӕhenditur, quas omnes cauere circumspecti sit admodum & consyderati Definitoris, reprӕhendere, non inertis Disputatoris. Infirmantur quoq; Definitiones, si fuerit indifferentijs uitiũ, quӕ numero quinq; recenset hoc loco Aristoteles.

Primũ uitium. Primum: si diuisi Generis non sint propriӕ. Suas proprias & uernaculas quodq; Genus habere differentiis prӕcedente dictum est loco, ut necesse sit alienis rem uitiosè finiri, quibus essentia definiti potius confundatur quàm separetur ab alijs. Timӕus illo in Genere peccat, quando elementorum Species definit compositione triangulorum, quӕ pertineat ad Mathematica magis corpora quàm ad Physica. Talibus enim differentijs Mathematici cubum, Pyramidem, octohedron, dodecahedron, & εἰκοσάεδρον definiunt, quӕ differentiӕ transferuntur absurdè ad Physica, quorum genus diuersum est à Genere Mathematicorum corporum, Haud longè secus hallucinatus est Democritus, qui sapores, qui sunt tertij Generis Qualitatis, figurarum, quӕ pertinent ad genus quartum, differentijs, ut est apud Theophrastum, definit.

Soni uitiosa definitio. Item si quis definiens Sonum, dicat esse motum, quo afficiantur aures. Motus quidem qui est in genere paßionis, qualitatis differentiam (ut ea constituatur Species motionis) recipere nequit. Patibilis enim qualitas significatur hac differentia, ut Definitio soni hoc modo constituenda uideatur, ut sit patibilis qualitas, per motum creata, aures afficiens. Transferuntur plerunq; differentiӕ ex alieno Genere: quando causa sine qua res & Species non potest esse, pro ipsa uera re habetur. Vt si crasis & temperies qualitatum, ipsa per se rei natura & Substantia censetur esse. Nequit certè qualitatis differentia constituere Substantiӕ εἶδος. Nec si anima sit Substantia, uel calore, uel frigore, uel ulla alia partium Harmonia, poterit finiri. Error ille latißimè manat quamobrem diligenter excutiendӕ differentiӕ, & cum Generibus suis comparandӕ: quòd si non propriӕ fuerint Generum, reijciendӕ

erunt

erunt tanquam adulterinæ; & hoc nomine Definitio tanquam falsa & nulla repudianda est. Alterum est, Si pro differentia sit positum quod omnino non posſit esse differentia, ut Genus, aut Species, quorum alterum distribuitur, alterum constituitur differentiis. Animal certe ipsum aut Substantia, aut qualitas, nullius possunt esse differentia, quippe sunt pars altera, nempe Genus, quibus conflatur Definitio. Quare nec Genus differentia, nec differentia Genus esse potest. Propterea quòd Genus seipso & absolutè rei significet discrimen. Differentia autem adminiculo quasi Generis suffulta, Speciem definitam à quouis alio separat ratione essentiæ, qua quid ipsa per se sit res intelligitur. Cui igitur hæc non ridicula uideatur finitio, Si quis hominem finiens, dicat ipsum esse Substantiam, quæ sit corpus, aut quæ sit Animal rationis compos? Aut si Iustitiam hoc modo: ut sit habitus, qui sit uoluntas, tribuens cuiq; suum. Neq; enim Genus Generis potest esse differentia, Siue ἐξηγητικῶς ipsum, siue copulatè subiiciamus, ut hoc modo, Homo est Substantia & Animal: & Pactum, est uoluntas & placitum, quo aliqui consentiunt in idem. Nec figuræ Endyadi locus hic est, cum nihil improprium & detortum in Definitionibus esse debeat. Denominationibus quidem, seu Paronymiis Generum inferiorum interdum exprimendis differentiis utimur, ut differentia Substantiæ sit corporeum non corpus, & differentia corporis, esse animatum, & non esse Animal. Etenim qualitatem essentiæ, & non essentiam, Generi addita Paronyma hæc significant, quibus utrisq; iunctis constituatur essentia Speciei. Committitur præterea in talibus quoq; finitionibus ἀδολεσχία & inepta eiusdem Generis repetitio. Nam qui Animal idem Substantiam quoq; dixit: Et qui uoluntatem, habitum: & qui placitum, uoluntatem quoq; commemorauit. Monemur itaq; hoc loco, ne pro differentiis res capaces per se differentiarum, id est Genera ponamus, Tertium est, si pro differentia ponatur quid, cui respectu Generis diuisi, non è regione respondens contrariè opposita deprahendatur differentia.

Alterum uitium.

Tertium.

Vt si Formæ (qua constituitur essentia & substantia cuiusq; rei) differentia est, concretum esse cum materia, è regione respondebit et opposita ei erit forma, quæ sit eiusdem generis, secreta à materia species & separata. Idearum eas uocabulo Socrates expreßit, quas in causa esse dixit, & ut nasci, & intelligi à nobis res poßint. At si hæc species separata non est, quemadmodum paßim demonstrat Aristoteles Ideas esse nullas, certe nec differentia ipsius erit aliqua. Quod si differentia non est formæ naturalis, ut sit abstracta & secreta, nec differentia eius profectò erit, concretum esse. Ergo formæ, quatenus forma, differentiæ erunt: secretum esse, & concretum, non autem formæ hoc modo determinatæ. Item si nutrimenti ueri, differentia est, aßimilari nutrito: Erit etiam quoddam uerum & germanum nutrimentum, quod non aßimiletur, Sed tale nullum est, Ergo aßimilari, nutrimenti ueri non est differentia, sed ipsius definitio, id est, non diuidens ipsum, sed constituens. Et inartifitiosum, si per se differentia est ignis, etiam artifitiosum esse, differentia erit. Quamobrem rectè finierit Naturã Zeno, quum eam dicit esse ignẽ artifitiosum ad gignendum progredientem uia. At si nullus est artifitiosus, nec alterũ certè differentia erit. ὁμωνύμως significantib. uoculis, plærunq; huiusmodi affinguntur differentiæ inanes, ut uerbi gratia, formæ naturalis appellatio, concretæ, et separatæ itẽ per notitiã, ambiguè accommodatur. Et uocabulũ nutrimenti, esse homonymũ, docuit Hippo. Simpliciter autẽ pro uero & genuino cum sit usurpandũ, non rectè aliquis eo pro differẽtia utetur, quod synonymũ uocabulum constituit, non autem ipsum diuidit. Quartum est. Si posita differentia, uerè quidem enunciatur de eo, cuius esse dicieur, sed opposita, de eodem nequaquã effertur: ut Rationis compos, si diuiditur sentiente, & non sentiente non poßit diuidi tamen, concludendũ, nec ipsum sentiens, eius esse differentiam. Occurrunt huiusmodi diuisiones & differentiæ ineptæ, his qui superiorum generum differentijs inferiora diuidunt genera. Quare præceptum illud diuisionis in promptu habendum, ut nec inferiora superiorum differentijs, nec superiora genera inferiorum differentijs secemus, quo ipso διαιρέσεως ἐλλείψεις depræhendimus, si non omne, aut hoc, aut illud est. Vt si Animal

Quartum.

diuidatur

diuidatur in ὁλόπτερον & σχιζόπτερον, id est, habens continuas alas, & fissas pennas. Est enim quod neutro sit præditum. Animalis igitur pennati hæ sunt differentiæ: non simpliciter Animalis. Differentiæ quidem sunt opposita quædam sine medio, quoniam est id, quo differt genus ab omni alio, quod præterea ei subest. Quarum differentiarum, si neutra omnino sit, nec Generi locus erit, speciesq; sunt nullæ. Aut si media sunt quædam, ne illa quidẽ esse queant: quippe cũ differentijs, tanquam principijs quibusdam media & extrema constituantur, eorundemq; naturam referant. Quapropter αἴτημα non est, sed Axioma, in bipartitam diuisionem Genus quoduis incidere: differentijs nimirum, in quibus non sit medium. Vt, diffundere uisum, & contrahere, differentiæ sunt, quibus diuiduntur omnino, quæ continentur sub genere coloris: & quibus sublatis, genus coloris nusquam sit, nedum extremi & medij esse queant colores. Tametsi autem in habentibus medium speciebus, differentiæ generis indefinitam habeant rationem, ut coloris differentiæ sunt diffundere & constringere uisum, nihilominus deinde medijs speciebus, & extremis possunt diuisionis progressu accommodari, & proximis speciei cuiusq; differentijs limitari. Nam indefinitum aliquo modo esse debet, quod alio quopiam oportet determinari. Non minus porro sit uitiosum, si superioris differentiæ, generi diuidundo inferiori adhibeantur, quo fit sæpenumero, ut alterius capax esse non poßit differentiæ genus. Vt si quis Animalis differentiam posuerit animatum esse, opposita scilicet ei, quæ est inanimatum esse, non quadrabit, quare nec altera diuidetur, sed potius ea constituetur Differentia. Ordinem collocandarum deinceps differentiarum, qua ratione ualeamus depræhendere, his docet uerbis Aristoteles in Analyticis posterioribus. Τὸ δὲ τάξαι ὡς δεῖ, ἔσται ἐὰν τὸ πρῶτον λάβῃ, τοῦτο δ' ἔσται, ἐὰν ληφθῇ ὃ πᾶσιν ἀκολουθεῖ, ἐκείνῳ δὲ μὴ πάντα, ἀνάγκη γὰρ εἶναί τι τοιοῦτον. Ληφθέντος δὲ τούτου, ἤδη ἐπὶ τῶν κάτω ὁ αὐτὸς τρόπος, δεύτερον γὰρ τὸ τῶν ἄλλων πρῶτον ἔσται, καὶ τρίτον, τὸ τῶν ἐχομένων, ἀφαιρεθέντος καὶ τοῦ ἄνωθεν, τὸ ἐχόμενον τῶν ἄλλων πρῶτον ἔσται, ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. Hactenus de ordine Differentiarum, hæc non omnino παρέργως diximus, quo nimirum uitiosi melius & rectius intelligeretur repræhensio. Quintum est. Tametsi Differentiæ ambæ uerè pos-

Obseruatio ordinis in collocandis differentiis.

Quintum.

sint dici de Genere quod diuiditur: si tamen Speciem non constituant, pro Differentijs non erunt habendæ. Quamobrem si una non fuerit εἰδοποιὸς Differentia, nec altera erit, cùm ratio sit eadem oppositarum. Differentia, ut scribit Aristoteles Metaphysicæ 1. est ἑτερότης τοῦ γένους, quod sic interpretatur, λέγω γὰρ γένους διαφορὰν ἑτερότητα ἣ ἕτερον ποιεῖ τοῦτο αὐτό. Itaq; Differentiæ nequaquam sunt, quæ in eo quod diuiduum est usurpantur: non quatenus ipsum per se, sed quoad ipsum diuidunt propter aliud, ut propter πάθος quoddam: quemadmodum numerus, non quia numerus, diuiditur pari & impari, sed quia diuiduum in partes quiddam. Et Animal masculino & fœminino diuiditur, non quia Animal, sed quia tali in materia species Animalis inest: quare Masculum aut Fœmellam esse, Differentiæ non erunt Animalis. Siquidem differentia facit non propter aliud, sed ipsum per se, diuersum Genus. Ex quo perspici potest, Propria Differentias esse non posse, nec ijs τί ἐστι, sed ὅτι ἐστι rerum declarari.

Aristoteles Met. 1.

LOCVS XXVII.

PRæterea si quis diuidat Genus negatione. Quod ij faciunt, qui Lineam definiunt esse longitudinē expertem latitudinis. Quod ipsum nihil aliud significat, quàm quod non habet latitudinem. Ita enim fiet, ut Genus participet Specie. Omnis enim longitudo aut caret, aut habet latitudinem. Quandoquidem de quouis vel affirmatio, uel negatio vera est. Itaq; Genus etiā lineæ, nempe longitudo, vel carens, uel habens, erit latitudinis. At lōgitudo carens latitudine, definitio est ipsius speciei. Quemadmodum etiam longitudo habens latitudinem. Etenim carens & habens latitudinem, differentiæ sunt. Sed ex Differentia & Genere ratio constituitur speciei. Quapropter Genus: hoc modo participabit speciei finitione, ac præterea etiam differentiæ. Siquidem alterutra differentiarum ex necessitate prædicetur de Genere. Hic autem locus valet contra eos, qui

Negationem aut affirmationē nō esse differentias generum.

qui ponunt Ideas esse. Nam si non est ipsa longitudo, id est Idea, quam αὐτομῆκος appellant, quomodo prædicabitur de Genere, aut expers ipsum latitudinis esse, aut habere latitudinem? De quauis enim longitudine alterutrum istorũ verè dici oportet, siquidem rectè de genere ista verè enunciari debeant. At fieri illud nequit. Sunt enim longitudines partim expertes latitudinis, partim habentes latitudinem: Hic autem locus valet contra eos, qui genus numero esse vnum contendunt, quod ,ii faciunt, qui ponunt Ideas. Ipsam longitudinem enim & ipsum Animal genus inquiunt esse. Quanquam in quibusdam definiendis negatio adhibenda est necessariò, cuius generis sunt priuationes. Cœcum enim est id, quod aspectum non habet, tum quando aptus est natura. Nihil autem interest, negatione res definiatur, an affirmatione eiusmodi, cui necesse sit negationem ex altera parte respondere in diuidendo, vt si quis lineam, longitudinem quæ latitudinem habeat, definierit. Quod enim habet latitudinem, ei quod ea caret (quum in eas quid diuiditur) respondet, præterea nihil, quare iterum negatione distribuetur Genus.

Hoc loco ipsa longitudo significat genus per se consideratum, non propriè Ideam.

Priuationes finiri negationib.

Difficilem habet interpretationem Locus hic, & præcipuè est utilis ad refellendas Ideas, quarum nonnulli duntaxat finitiones esse arbitrantur. Eas uero dicunt esse species à rebus singulis, & cadentibus sub sensum, non cogitatione & intelligentia nostra, sed semetipsis: & reuera separatas, ac per se subsistentes, hisq; non modo caducas naturas nasci, uerum etiam cognosci & intelligi censent, aut in materia scilicet, aut mente, participatione quadam expressas. Qui plura de hac opinione scire auet, Librum Metaphy. μ. legat, breuitatis enim causa hæc omittenda esse duxi. Præterea sciendum est, quicquid extra mentem sit, id omne per se sua subsistens ὁσία, unum esse ἀριθμῷ, & τόδε τι, non autem καθόλυ & τοῖον δέ τι, ut nec multa esse poßit participatione multorum ὁσία differentium,

Species si sunt Ideæ, genere & differentia non possunt finiri.

ipſum per ſe exiſtens οὐσία unum, nec particeps contrariarum differentiarum, quibus conſtituantur εἴδη οὐσίας diſcrepantia. Nam Definitio eſt ratio καθόλου quæ nimirum ſenſum & apprehenſionem mentis nunquam poteſt effugere, cum ſola in mente καθόλου ſpecies inſideat, contemplatione autem eorum quæ ſunt extra, & τόδε τι, ſeu unum ſunt numero, nec ſemper, nec ubiq; poßit dici quiſpiam compos ſcientiæ. Ariſtoteles libro ζ. Metaphyſicæ oſtendit difficillimum eſſe definire quæ in natura ſint æterna, & unum numero (quæ ratio ualet etiam in Ideis) ut ſunt Sol ipſe, & Luna, & Terra, & ſimilia. Etenim ea quibus maximè declarantur eſſe unum numero, accidentia quædam ſunt ipſorum, ut, maxima luce perluſtrare circuitu ſuo terram, Aut, Terræ noctem inducere, ſi quis dixerit finitionem eſſe Solis. Hæc ſi non ſint, non propterea Solis ſubſtantiã non eſſe oportebit, ac nihilominus συμβεβηκότα hæc prohibent quoad ſunt, rationem οὐσίας Solis intelligi per ſe aliquam, qualis tamen ſuapte natura eſt omnium οὐσιῶν, qua non ſit abſurdum etiam plures eſſe Soles. ſi non aliud ſit quiddam: quo fieri non poßit ut multi numero ſint Soles. Quòd ſi ergo ſint Ideæ, id eſt Speties & per ſe exiſtentes ſeparatæ formæ, aut communibus, nempe Genere & differentia definientur, qua ratione non erunt Ideæ, ſed participes erunt Generis & differentiæ Idearum: Aut finientur non communibus. Sed quibusnam iſta nominibus exprimentur? cum ratio omnis contineat uocabula pluribus rebus communia, ut Magnetis finitio, quando dicitur lapis, qui ad ſe pertrahat ferrũ inſita ui Subſtantiæ ſuæ. Quicquam horum uerborum eſt quod non ad plura pertineat, quamuis rationem conſtituant ſeparantem ab omnibus? Nomen igitur quo ſignificatur incommunicabile quiddam, dicitur quidem ſed non intelligitur in definitione uſurpatum, ὄνομα δ' οὐ ποιήσει ὁ ὁριζόμενος· ἄγνωστον γὰρ ἔσται. τὰ δὲ κείμενα κοινὰ πᾶσι. Prætereo multa abſurda alia, quibus demonſtrat Ariſtoteles Species: quæ Definitione intelligantur, nequaquam eſſe Ideas, & ſeparatas οὐσίας. Tantum hoc intelligi & concedi uolo, καθόλου, id eſt, Genus, Ideas non habere. Et eum qui utatur differentiis aientibus uel negantibus, Generis naturam perimere, quo exiſtente nullo, Definitio conſtitui nequeat. Et quia

Argumẽto formarũ ſeparatarũ in 12. Metaphy, probatur quod uis corpus cœleſte numero eſſe unum. Et in primo de cœlo, probat terram eſſe unam numero: ſuis etiã quibuſdam argumentis.

differentiæ

differentiæ tales accommodari possunt Ideis, consectarium certè est, eas nequaquam esse quibus res queant definiri. Καθόλου porro quod & finiatur, & quæ etiam finiamus, non esse neque per se οὐσίαν, nec quoad est in subiecto aliquo, multis & copiose probat Aristoteles disputans contra Platonis Ideas prius commemorato Metaphysicæ libro. Ratio etenim οὐσίας significatur, non οὐσία uocabulo καθόλου, & τοιόνδε τι, non τόδε τι eo exprimitur. Enimuero Genus duntaxat ratione & intelligentia esse dicitur, ac separatim nullo modo esse potest, ac ne in materia quidem τόδε τι potest esse sine Specie, tametsi ratione, & sine materia, & absq; Specie percipi & apprehendi queat, ut multum ualdè intersit, ipsum per se aliquid Esse, & per se Definiri ac percipi intelligentia ac ratione. Sic de Genere scribit Aristoteles. οὔτε τὰ γένη φύσεις τινὲς καὶ οὐσίαι χωρισταὶ τῶν ἄλλων εἰσίν. & alio quodam loco. εἰ οὖν τὸ Γένος ἁπλῶς μὴ ἔστι παρὰ τὰ ὡς γένους εἴδη. Itaq; Generis isto modo habentis, differentiæ ad constituendam Speciem erunt contrariè opposita, & non per affirmationem & negationem, idest κατ᾽ ἀντίφασιν opposita, quod deinceps demonstrabimus, ut uidelicet intelligatur affirmantibus aut negantibus differentijs Definitionem nequaquam constitui. Affirmatio quidem & negatio eiusdem de eodem opposito est contradicens. Estq; idem numero, de quo enunciantur ambo. Subiectum affirmatio ita sibi asserit, & includit, ut idipsum penitus sit exclusum negationi, nec aliqua ratio est, ut ambo opposita participare possint eodem, sed seipsis ac sine medio opponuntur partes ἀντιφάσεως, non determinata uel Genere certo: ut fit in contrariè oppositis, nec subiecto proprio, ut in Priuantibus. Nec ipsum per se subiectum ἀντιφάσεως, aut separatim aliquid est absq; Prædicato, cum affirmatio sit utrunq; simul, itemq; negatio, quæ sine medio atq; indefinita distantia sese mutuo de quocunq; dicantur, excludant. Contraria quidem, communi natura Generis participantia, sese mutuo arcent, & Priuantia determinantur habili et capace utriusq; subiecto. Nec sunt ἁπλῶς ἀντιφάσεις. Et Aristoteles loquens de contrarijs, quonam pacto hæc sint etiam priuantia quædam, atq; item contradicentia, his docet uerbis, sic in Analyticis posterioribus, scribens.

καθόλου significat qualitatem essentiæ, non essentiam ipsam quatenus est extra cōplexum mentis.

Meta. ι.

Meta. ζ.

ἐστὶ γὰρ τὸ ἐν αὐτῷ ἢ στέρησις, ἢ ἀντίφασις, ἐν τῷ αὐτῷ γένει. Prima ergo est & simplicißima, id est, à nullo alio determinata contradicentium repugnantia. De cætero autem Definitiones sunt φάσεις quædam, & indiuiduæ notitiæ, quæ uel ex toto noscuntur, uel ex toto ignorantur, non habentes partes huiusmodi, ut κατάφασις habet & ἀπόφασις. Aliud enim est ipsum per se Genus intelligi, aliud sub ratione qua est subiectum prædicati cuiusdam: Et hac quidem: oppositi non est capax, affirmatio enim non est capax negationis, cum sint, ut dictum est, ἀμέσως opposita. Sed quatenus particeps est & participari potest à contraria differentia, dicitur esse Genus, quod tam ex necessitate pars est Definitionis cuiusdam, quàm subiectum, aut prædicatum esse, pars est propositionis. At uero ratio affirmationis magis quadrat contrarijs seu differentijs, & priuantibus, quàm ratio negationis, quia de utroq;, quòd participent medium suum, dicitur. Iccirco magis uernaculum est differentiæ, esse quandam affirmationem, quàm esse negationem: & apertius repræhenditur differentia quæ negatione exprimitur, quanquam eadem est utrarũq; ratio, ut dictum est supra. Tametsi autem ratione & natura medij, & contraria, & priuantia communicent, quoad ipsum scilicet est καθόλου, ita ut nullo discrimine utrisq; oppositis medium adhibeatur, nihilominus, quo ad ipsa per se extra intellectum subsistunt, non simul eodem participant, sed uel numero, uel tempore discretis (quorum tamen ratio καθόλου sit eadem) rebus accommodari solent. Proinde ut opposita extra intellectum non simul uno & eodem ad numerum participant, ita quoq; unum & commune illud, quod finitione describitur, ratione non participat contrariorum, οὐδὲν γὰρ τῶν γενῶν, ut ait Aristoteles, μετέχει τῶν διαφορῶν. Differentias, affirmatione & negatione contradicentibus non describendas, monet hic locus: & Definitiones hoc modo constitutas, repræhensuris argumentum suppeditat. Genus, ut supra fuit dictum, non participat differentijs, sed in contradicentibus, Genus ex necessitate cum differentijs iungitur, quoniam sic opposita prædicatum & subiectum desyderant, & participatio oppositorum impeditur, qua differat καθόλου ab his quæ sunt τόδε τι, id est, quæ considerantur per se & separatim, ab his, quæ

per

*per seipsa subsistunt, quæ nimirum essentia sua cum nullo commu-
nicant, ἀμέθεκτον enim est οὐσία, quemadmodum λόγος οὐσίας μεθεκτόν est* Aristo. li ζ
quiddam. Qui ergo Ideas ponunt, eisdem necesse est ut id quod ap- Metaphy
pellationem habet Generis, unum numero fateantur. Quamobrem κοινὸν μηδὲν
necesse est ut negatione utantur pro differentia. Nam in Lupo, οὐσία.
*qui οὐσία est, & ad numerum unus, ἄλογον, negatio est, non differentia,
quoniam id quod Generis rationem in ipso habet, separatim nequit
esse & participari ab opposita differentia. Quemadmodum ergo.
Huius Lupi Definitio per se non est, ita nec separatæ Ideæ, quam
ἀριθμῷ μίαν (cum sit extra intellectum) subsistere oportebit, atq; id
quod rationem Generis in ipsa habet, tale erit, ut participari à con-
trarijs differentijs nequaquam ualeat, cum tamen negatio, respectu
differentiarum, Generi nulla conueniat, tametsi una alterius in se
negationem complectatur. Differunt itaq; Species inter se hoc mo-
do, ut nihilominus causa Generis, quo participant differentiæ, sint
aliquid unum. Species autem & Genus non differre inter se di-
cuntur, sed non Idem esse, & ἀπόφασει discrepantia illorum declara-
tur, quia nihil idem commune habent. Cæterum Genus respectu* Aristo.
Speciei, ut materia, ἀποφάσει δηλοῦται, quæ ἀπόφασις si esset differentia Metaphy
Generis & Speciei, Genus quoddam aliud commune differentijs li. 1.
*diuisum, utrunq; nimirum horum constitueret, qua ratione non
modo Genus Specie sua participaret, sed omnino sua Species es-
set, quo nihil ne fingi quidem potest absurdius. Breuiter hoc
loco repræhensionem attingit Idearum, quas uacare Genere
& Differentia libro Metaphy. ζ. accuratißime disputat,
ubi disputationem hanc his orditur uerbis.* Φανερὸν δ᾽ ἐξ αὐτῶν
τούτων τὸ συμβαῖνον καὶ τοῖ. τὰς ἰδέας εἶναι λέγουσι, οὐσίαν τε καὶ χωριστὰς
εἶναι ἅμα. καὶ ἅμα τὸ εἶδος ἐκ τοῦ γένους ποιοῦσι καὶ τῶν διαφορῶν. *Reli-
qua persequi nolo, quæ diximus satis esse & facere arbitror ad
loci præsentis intelligentiam, quem iam nunc explanare aggre-
diemur. Repræhendendus, inquit, est, qui auferendo aliquid
à Genere, id est negando, exprimit differentiam. Differentia
enim additione ad Genus: non detractione: Speciem constituit.*

Vt si quis ἀπλατὲς interpretetur, esse quod non habeat latitudinem, aut negationem latitudinis. Quatenus enim negatio est, differentia esse nequit, Alioqui sine interpretatione hac, uera hæc est differentia lineæ & usitata in eius definitione. Quare necesse est ut is, contra quem disputatur, concedat significari hac uocula negationem latitudinis. Absurdis ostendit quibusdam Genus ἀντιφάσει seu ἀποφάσει nõ esse diuiduum. Suapte natura Genus non participat specie, quia ipsum per se finitur. Sed Genus, quod est subiectum negationis, separatim intelligi sine prædicato non potest. Quod ita se habet Genus, ex neceßitate cum differentia iungitur, & species existit, quale nimirum id, quod in his quæ numero sunt unum, non genus ipsum est, sed rationem habet generis, à differentia & specie inseparabile. Sed Genus in Definitione separabile est à specie, nec specie, ut supra est demonstratum, participat, nec differentia. At subiectum in contradictione, participat negatione, quamobrem Genus nequit esse Subiectum. Item Genus neutra est differentia. Sed Subiectum, ex neceßitate alterutrum est. Omnis enim longitudo uel habet latitudinem, uel non habet. At si ex neceßitate ei alterutra adest differentia, necesse est non esse Genus, sed speciem, quæ sine differentia esse nequit. Quis uero est, qui ausit Genus pro Specie astruere? At differentijs ἀντιφάσει expositis in species scilicet genera transeunt ex neceßitate. Nam quod uacare differentia non potest, species est. His quæ dicta sunt intellectis, quæ deinceps sequúntur in textu, nõ sunt difficilia ad intelligendum. Veruntamen, priusquam ad cœtera me conferam, monendum hoc erit, genus in necessariam specierum distributionem quasi diuaricari per contradicentia, quoad nimirum (quatenus genus est καθόλου) per ἀντίφασιν distrabitur ad species extra intellectum in materia positas. Vt qui omne Animal aut compos, aut expers rationis esse dicit, nihil aliud, quàm quoduis singulorum dixisse uideatur particeps rationis esse, aut expers, id est, de quouis uel hanc, uel illam speciem ritè prædicari. Possunt Ideæ confutari hoc loco quòd nullæ scilicet sint, & quòd earum nulla poßit esse finitio. Si enim non ipsum per se sit Genus (quod hoc loco αὐτομῆκος exempli gratia nominat) contradicentia uerè non efferentur, quando, uerbi

Explicatio paragraphi: etiamsi nõ est ipsa longitudo.

uerbi gratia dicitur, omnis longitudo aut habet aut non habet latitudinem. Quod si illud quod genere significatur, id est uocabulo generis res est singularis & ad numerum una, quemadmodum est animal extra intelligentiam, quod ipsi appellant Ideam & αὐτοζῷον, & αὐτομῆκος, differentijs locus non erit, quibus tanquam contradicentibus species constituantur. Res enim significata uocabulo Generis, & numero una, ut est Animal Idea, non erit differentijs per contradictionem diuidua, cum enim sit numero una essentia, diuidi nequibit, nec alij poterit communicari. Itaque non omne Animal aut rationis erit compos, aut non compos, sed animalia numero discrepantia erunt praedita ratione, & expertia rationis, ita quoque μήκη ἀπλατῆ erunt, & μήκη πλάτος ἔχοντα. Et in his, quae duntaxat numero sunt unum, contradicentia, nec genus diuidunt necessaria distributione in species, nec communi rationi essentiae locum esse sinunt, sed sola ipsa sunt accommodata rebus, quatenus definitione, id est, genere & differentia explicari nequeunt. Ex quo concludendum, ipsa per se contradicentia, absque eo quod sit καθόλου, non posse, tanquam differentias adhiberi ad finiendum. Assertoribus autem Idearum, sine genere, discrepantiae eorum quae sunt multa numero, determinandae sunt ἀντιφάσει, pro genere enim, uel loco generis ponunt αὐτοζῷον, & αὐτομῆκος, quae sint quiddam ἐν ἀριθμῷ. Supra eisdem uoculis usus est (ut quum dixit, εἰ γὰρ μῆκός ἐστι αὐτομῆκος) sed quoad significant ipsum per se καθόλου, quatenus scilicet diuiduum est contradictione. In praesentia autem significant Ideam extra intellectum unam ad numerum existentem, quod monendum duxi, ne propter ambiguitatem quis uocularum hallucinetur, illum textum interpretando. Caeterum quòd negatio aut contradictio speciem aut definitionem nullo modo constituat, contra eos ualet duntaxat, qui id, quod appellationem habet Generis, unum numero, id est, Ideam esse statuunt. Ratione itaque & non tertio modo per se, id est, ad numerum genus est unum, qua participatur, ut dictum est, à differentijs utrisque simul: Quoad uero consideratur quidpiam unum, & commune extra intellectum subsistens, ut nimirum subiectum est habitus & priuationis, ut simul participari ab utrisque nequit oppositis, ita necesse est priuationem negatione seu ἀποφάσει definiri habitus. Si

quidem στέρησις est, autore Arist. ἀπόφασις συνειλημμένη τῷ δεκτικῷ. Opposita enim, idem numero non possunt occupare, sed necessitate contradictionis alterum duntaxat inest. Cæterum ut genere significatur aliquid, quod conceptu mentis sit unum, ita subiecti uocula, quod extra mentem sit unum & commune, significatur, illud differentijs, hoc contradicentibus distinguitur. Genus autem & subiectũ non esse idẽ, liquet ex eo, quòd in reb. et naturis perempta differentia: ut in Petro ratione abolita simul id quod significatur uocabulo generis, nempe Animal, necesse est perimi. Alioqui superstite animali, pro accidẽte numeranda esset differentia, aut concedendum esset ipsum per se genus aliquid etiam absq; specie esse, quorum utrumq; longè sit absurdißimum. At permutationibus habitus & priuationis, subiectum permanere idem ad numerũ, nemini non est persuasißimum. Quæ igitur sine genere discrepant inter se, affirmatione & negatione eorũ, quæ propriè insunt alicui subiecto, definiuntur. Sed quæ Generis communionem habent, tametsi una differentia alteram ἀποφατικῶς excludat, nihilominus ambæ simul idem participant genus, quod genus affirmatione & negatione differentiarum quodammodo perimitur, quatenus ipsum nõ per se, sed diuaricatum in species, ut supra diximus, contradictione exprimitur. Manifestò peccatur, si quis per negationem differentiam à genere remouet. Admouenda enim ad genus, non autem remouenda est differentia, quum nulla ratione alia differentia, quam participatione intelligatur generis. At ne admouenda quidẽ est per affirmationem, alioqui quæ è regione ei respondet, ἀποφατικῶς remouenda erit. Non itaq; κατάφασις, est differentia, sed φάσις, quemadmodum etiam genus, & tota præterea definitio, quoniam autore Aristotele οὐ ταὐτὸ κατάφασις & φάσις. Sed de hoc loco dictum satis intelligentibus.

Meta. θ.

LOCVS XXVIII.

ILlud etiam uidendum, speciem ne definiendo pro differentia dixerit. Quod faciunt ij, qui conuitiũ, contumeliam, cum irrisione definiunt. Nam cum irrisio quędam sit contumelia, fit, vt non differentia, sed species sit irrisio.

Vt uitiosa est Definitio, cuius differentia, respectu generis, describitur ἀποφάσει, aut καταφάσει, ita si pro differentia ponatur species, hoc loco uitio uertitur. Genus non definitur tali differentia, alioqui Genus participaret specie. Neq; porro speciei alterius differentia potest esse species, quoniam species contrarijs dirimuntur differentijs, quarum una non constituat sed perimat aliã. Ex quo perspicitur, differentias generum nec esse in contradicentia relaxandas, nec astringendas ad speciem, utrobiq; uitio in definitionib. reprahendendo. Vt definiens Iustitiam, si dicat esse habitum uirtutis, cuiq; quod suum est, distribuentem. Virtus enim species est habitus, non differentia. Sic definiunt Naturam, qui præter materiam nullum aliud, principium motionis nouerunt in rebus, cùm tamen species una naturæ sit materia, & altera sit forma. Vt hoc modo. Natura est principium motus, quo res est mobilis propter materiam. Et si quis προπηλακισμὸν, id est, conuitium uel eontumeliam definiens, dixerit esse, Iniuriam cum irrisione: Species enim, non differentia est iniuriæ, Irrisio. In Rhetoricis Aristoteles illusionem, irrisionem, dicacitatem, species numerat iniuriæ.

LOCVS XXIX.

IAm illud etiam considerandum, an Genus pro differentia posuerit. Vt si quis uirtutem habitum bonũ definierit. Est enim bonum uirtutis genus. Nisi fortè bonum Genus non est, sed differentia, siquidem verum est illud, non posse idem in duobus generibus numerari, quin vnũ contineatur altero. Neq; enim bonum habitu, neq; habitus bono continetur, quandoquidem non omnis habitus bonus est, neq; omne bonum habitus. Ita vtrumq; esse genus alterius nullo modo potest. Quod si habitus virtutis genus est, profecto bonum non virtutis genus, sed differentia est. Præterea habitus, quid sit virtus, declarat, bonum autem non quid sit, sed qualis indicat. Atqui quale quid, significat differentia.

Quomodo poßit idem quid poni duobus in generibus.

Sicut ſpecies, ita quoq; Genus, differentiæ in definitionibus locum non occupat. Nam differentia cum ſit pars ſpeciei, ac ſpeciem ſimul eſſe oporteat, ſi Genus ſit differẽtia: neceſſe erit ut genus participet ſpeciem. Vt ſi quis Voluntarium definiat eſſe motum animi ſpontaneum: Spontaneum enim genus eſt uoluntarij ut ſcribit Ariſtoteles in tertio Ethicorum. Aut ſi quis definiat Corruptionem, eſſe mutationem qua ſeparatio ſit partium eſſentiam rei conſtituentium. Etenim Separatio partiũ Subſtantiæ, genus eſt mutationis. Autor eſt Ariſtoteles, definijſſe nonnullos φθορὰν, διακρίσιν, qui oſtendit eam quoq; ineſſe ijs rebus quorum ſubſtantia non pereat, ut ſi aqua, aut terra in multas partes minutiſsimas comminuatur, ob id non perit tamen: & rurſus, collecta, non naſcitur. Sœpenumero fit ut commiſſum aliquid contra hunc locum uideatur, cum tamen nõ ſit. Vt ſi differentia ſit poſita quæ latius patens, genus poſſet uideri, quæ tamen genus non ſit, ſed potius definiti differentia. Vt ſi uirtutem quis definiens, dixerit eam eſſe Habitum bonum. Etenim non nemo putat, Bonum, genus eſſe uirtutis. At non eſſe, liquet ex eo, quia nec generis, nempe habitus, genus eſt, nec eiuſdem ſpecies, Propterea quod nec omne bonum habitus, nec habitus omnis bonus. Quamobrem ſi aliquid idem eſſe non poßit ſub diuerſis generibus, quorum unum non contineatur ab altero, conſentaneum certè eſt bonum non poſſe pro Genere uirtutis haberi, Itaq; differentia ſit oportet reſpectu habitus. Animaduertendum, interdum differentias uſurpari quæ ad plura pertineant Genera, & ob id rationem habeant Accidentium: quare niſi limitatæ ſint additamento quodam quo aſtringantur propoſito generi, pro differentijs non ſunt habendæ: ut continuum: differentia non eſt febris in Definitione Synochi, niſi ratione paroxyſmi peculiaris huic generi continuatio intelligatur. Quòd autem differentia non debeat ſe proferre extra genus, monet Ariſtoteles in ſecundo poſteriorum Analyticorum, ad hunc modum ſcribens. τῶν δὴ ὑπαρχόντων ἀεὶ ἑκάστῳ, ἔνια ἐπεκτείνει ἐπὶ πλέον, οὐ μὴν τοι ἔξω γένους.

Ariſto. li. 1. de ortu et interitu.

LOCVS XXX.

VIdendum etiam est, an quid, non quale quid, quæ data est differentia, declaret, Quoniam qualitatem Generis differentia significat. *Ratio loci.*

Locus ille considerandum præcipit, an quod pro differentia Generi adhibetur, ipsum per se significet aliquid absolutè. Idipsum enim differentia esse non potest, quoniam differentia omnis, non quid sed qualitatem significat. Vt si definiens quis fidem dixerit, constantiam esse in dictis & factis, quæ sit iustitia quædam, Quoniam iustitia per se quiddam in fide est: atque ut etiam pertineat ad fidem, tamen uel hoc nomine non potest esse differentia, quo non qualitatem significat, sed quid.

LOCVS XXXI.

ATque illud etiam uidendum est, an definito per accidens differentia conueniat. Quoniam nulla ex numero accidentium est differentia, quemadmodum nec Genus. Haud equidem contingit, ut alicui sua insit & item non insit differentia. *Ratio loci*

Nequit esse pars essentiæ, accidens, cum sit immutabilis omnis essentia, Quod uero accidit, à re potest abesse. Nihil ferè est in disciplinis, quod magis impediat rerum intelligentiam, & plures pariat dissensiones quàm accidens, pro parte essentiæ usurpatum. Ac præsertim admiscenda finitionibus non sunt accidentia, quòd nimirum finitiones fundamentum sunt omnium demonstrationum, quòque non ritè constituto, errores necesse sit implicari erroribus. Causæ & item effectus, per accidens definiuntur multifariam. Aut enim quia in plerisque, aut quia plerunque aliquid inest, cùm uidelicet accidat, idipsum nihilominus tamen aut omnibus aut semper inesse censetur. Priore modo Galenus definit Sperma, uim esse gignentem animal, materiam, ex qua solidæ partes corporis generentur, suppeditantem. Secundum Aristotelem, huic facultati spermaticæ, materia *Abstinendum ab accidentibus in definiendo. Spermatis finitio atalis pud Gal.*

talis accidit. Inde nata controuersia est Galeno cum Aristotele de spermatis substantia. Sed non rectè Galenus materiam, ex qua generantur solidæ partes, ascribit per se, spermati, quod nihil aliud est quàm facultas mouens materiam, & gignens animal. Litigat ergo Galenus de eo quod naturæ spermatis accidit, tanquam si per se ad Substantiam eius pertineat. Altero modo erroris quidam definiunt Continẽtem, ut sit is qui persistat et permaneat in suo proposito. Plærunq; certe, sed non semper, stabilis est continens: seu ἐγκρατής. In his enim quibus est hallucinatus, mutat propositum. Sunt ergo quæ per se accidant, sed propter aliud insint per se, & nequaquam accidant. Vt rectè iudicantem permanere in proposito perpetua differentia est continentis. Finitionem seu differentiam animæ, qua dicitur, seipsam mouere, esse quo differat ab omnibus alijs, repræhendit Aristoteles, tanquam accidens quoddam & non οὐσίαν animæ exprimentem. Nam si pertineat ad substantiam, & κίνησις sit φύσει ἐκστατικὸν, ἐξίσαιτο ἂν ἕνεκά γε τῆς διαφορᾶς ἡ ψυχὴ ἐκ τῆς οὐσίας. Quinetiam quòd spiritus animalis non sit, quo poßit animæ definiri οὐσία, argumento accidentis declarat Galenus: Quia spiritu illo exhausto, nihilominus Anima & uita permanere poßit. Sic autem scribit quodam in libro de placitis Hippo. & Platonis, ἐδιδάχθημεν ὅτι τὸ ψυχικὸν πνεῦμα μήτ' οὐσία ψυχῆς ἐστί μήτε οἶκος αὐτῆς, ἀλλ' ὄργανον πρῶτον ἐκ τοῦ κενωθέντος αὐτοῦ καὶ τὰ τὰς τρώσεσ, αὐτίκα μὲν οἷον περ νεκρὸν γίγνεσθαι τὸ ζῶον, ἀθροισθέντων δὲ αὖθις ἀναβιώσκεσθαι. Itaq; non simul aboleri animam spiritu animali effluente, signum est, spiritum hunc non esse Substantiam Animæ, Abesse enim non potest incolumi & saluare, quod pars Substantiæ fuerit. Itaq; si ἐμφύτευσις esse potest, ut annua pensio non soluatur tamen, certè solutio pars ipsius Definitionis non erit, sed Accidens quoddam, Aut duas, quod ad hanc pertinet differentiam, Species ἐμφυτεύσεως esse oportebit. Fallaces, dubias, & omnino exceptionibus mutilas & mancas Definitiones esse oportet, ubi res per Accidentia fuerit definita, quibus profectò demonstrari & concludi scienter nihil poterit, ac plæraq; opinionibus & erroribus confundi ac misceri est necesse. Nec magis oportunus & tectioribus latebris Sophista sese occultat quàm Accidentium præstigijs, autore Aristotele, quod

Permansio in eadem sententia quo pacto differentia sit ἐγκρατοῦς.

Aristo. li. 1 de anima.

Gale. li. 7. de placitis Hippo. & Plato.

quod ipsum eruditißimè Plato quoq; demonstrat in Dialogo quem inscripsit, Sophistam.

LOCVS XXXII.

COnsiderandum, si de Genere dicatur differentia, aut Species, aut aliquid eorum quæ Speciei subiecta sunt, nulla etenim Definitio erit. Nihil enim eorum quæ enumerata sunt, de Genere dici potest, quandoquidem in pluribus Genus, quam ista quæ commemorata sunt, reperiantur. *Ratio loci.*

In Definitionibus si adhibeatur Genus, de quo prædicetur uel differentia, uel species, uel quod infra speciem ponitur, uitiosæ, propter genus perperam aßignatum, coarguuntur hoc loco. Genus enim hac natura est, ut quouis istorum ad plura uideatur pertinere, quare horũ nihil in uniuersum prædicabitur de Genere, sed de ipsis potius effertur Genus: non enim continet sed continentur complexu Generis. Cadit sub istius loci repræhensionem Definitio iniusti, qua dicitur iniustus, qui plus accipiendo sit iniquus. Etenim iniquum seu iniquitas (Græci uocant ἄνισον) non est differentia eius, quod plus, dicitur, sed Genus, autore Aristotele libro quinto Ethicorum. Quod enim plus est, id omne iniquum est, at non omne iniquum, plus est dicendum. Quoniam MINVS etiam est iniquum, quo non iniustus tamen quispiam sit, sed patiatur potius iniuriam. Itaq; Aristoteles eo in libro distinguit, quænam quibus significatione sint ampliora: ostenditq; παράνομον latius patere quam ἄνισον. Et ἄνισον ad plura pertinere quam πλεονεξίαν. Aut si definiens iustitiam, dixerit æquitatem esse procuratricem eorum quæ ad se pertineant, δικαιοπραγίαν appellat Plato. Nam procuratio hæc siue δικαιοπραγία patet latius quàm æquitas. In his enim quæ ad se pertinent procurãdis, potest fieri ut aliquis neq; iustus, neq; iniustus sit appellandus propriè, siquidẽ credimus Aristoteli, qui negat aliquem respectu sui ipsius esse iustum aut iniustum. Haud longè secus idem Aristoteles, in Definitione προαιρετοῦ, differentiam Generis, quod est ὀρεκτὸν, accurate admodum in Ethicis indagat. Nam de eius differentia magna est *Plato li. 4 de Repub*

controuersia, utrũ sit βουλητὸν an δοξαστὸν, an uero βουλευτὸν: nõ esse δοξαστὸν seu opinabile differentiã ὀρεκτοῦ id est desiderabilis rei, uel ex eo liquet, quod multa sunt opinabilia, quæ tamen non desiderantur aut expetuntur. Quin etiã βουλητὸν non est differentia, quoniã uolumus multa, quorũ tamen delectus non est in potestate nostra. Etenim quorum est electio, ea sunt in nostra potestate: At quis non uelit esse beatus? aut quis nõ optet sibi immortalitatẽ? de qua tamẽ deliberat nemo, aut media deligit, quib. eam poßit consequi. Ergo βουλευτὸν differentia erit generis ὀρεκτοῦ, cùm sit ὀρεκτὸν τὸ προκριθὲν βουλευτόν. ἐκ τοῦ βουλεύσασθαι γὰρ κρίναντες ὀρεγόμεθα κατὰ βούλευσιν. Plenius hæc in tertio Ethicorum libro pertractantur, quæ nimis longum esset ad uiuum, ut dicitur, resecare. Idcirco autem, exempli gratia, prolixius hæc explananda censui, ut & ad intelligendum & imitandum, quæ sunt hoc loco proposita, erudiamur. Rationum etenim communium seu locorum, exempla, tanquam uades quidam sunt, quibus eorundem certior fides constet, ac uis & usus illorum magis appareat. Quarum definitionum partes uarijs implicantur respectibus, colligendæ nimirum omnes sunt, quæcunque prædicari in quid de definito uidentur, postea quæ ad ipsius οὐσίαν explicandam non pertinent, suis quibusdam rationibus reijciendæ, deinde reliqua inter se comparanda, ut ordinis causa, quid horum Genus, quid differentia sit, cognoscatur. Ut præcedente exemplo, de Proæresi hæc ferè dici uidentur: nempe ἐπιθυμία, θυμὸς, βούλησις, δόξα βουλευτόν. Causas ostendit Aristoteles, propter quas, excepto postremo, reliqua non pertinere uideantur ad ipsius finitionem. Deinde definit eam genere & differentia, non ut differentia rationem habeat generis, id est, ad plura pertineat, quàm genus, quod hac definitione eueniret, si hoc modo fuisset posita προαίρεσις ἐστὶ βούλευσις ὀρεκτικὴ τῶν ἐφ' ἡμῖν. Cui uero dubium sit, quin in practicis disciplinis, ut Ethica, Politica, atque uniuersa Iuris ciuilis doctrina, istiusmodi complures occurrãt definitiones, uarijs partium respectibus contextæ, quas sit difficilimum definiendo complecti, ac non nisi peritißimum res obscuras definiendi quendam artificem desiderant. In his quæ finitima sunt inter se, & rationibus non facile possunt distingui, fit sæpe numero, ut quæ definitur species, prædicari soleat de genere definitionis

Plato in Theæteto. ὥσπερ ὁμήρους ἔχομεν τῶν λόγων τὰ παραδείγματα.

nitionis, aut quod pro differentia ponitur, itidem de genere dicatur, & latius pateat, quàm positum genus. Istiusmodi sunt complura hæc, quæ Aristoteles definiendo distinguit in 6. lib. Ethi. quorum imperiti rationes generum, differentiarũ, specierum subinde confundunt: ut ἀγχινοίας, εὐβουλίας, ξυνέσεως, δεινότητος, & φρονήσεως. Ut qui definiens solertem, dixerit esse, qui recta rerum agendarum ratione sit præditus, qua peruenire per media ad propositum finem queat. Prudens is potius sit, quàm Solers, qui hac explanatur finitione. Et de Genere quidem huius definitionis prædicatur Definitum, cùm tamen Definitum, genere definitionis suæ, perpetuò sit angustius, et ad pauciora pertineat. Solertia enim significat εὐστοχίαν, quæ potest etiam esse in prauis, in quibus tamen recta ratio locum non habet. Quid si quis acumen mentis (σύνεσιν uocant) definiat esse prudentiam, recte iudicantem de rebus agendis, nonne, definitum, cum de posito genere definitionis prædicetur, uitiosa hæc erit definitio? Quid Phantasia sit, multo labore indagat Aristoteles in tertio de anima libro, Hanc definiunt quidam, ut sit opinio iuncta cum sensu. Differentia quæ describitur à sensu, latius ipso genere patet. Omne enim opinans sentiens quoq; est, sed non omne sentiens item est opinans, uitiosa igitur est definitio. Differentiæ illæ depræhenduntur, quia sine genere etiam esse possunt: latius enim posito genere se proferunt. Differentia, aut species, si prædicantur de genere definiti, pro accidentibus scilicet numerandæ erunt, Genus enim, speciem aut differentiam non patitur de se prædicari, nec ijs participat: quamobrem quod ponitur pro genere, species potius quædam erit. Idem eueniet, si genus prædicatione definiti contineatur. Laborant non minus definitiones per Accidens differentijs, si pro differentijs ponantur generis, definiti species, ut si quis Phlegmones species faciat Phlegmonen ἐρυσιπελατώδη, & Phlegmonen quæ careat Erysipelate. Accidens enim est, non differentia generis Phlegmones Erysipelas. Quemadmodum differentiæ etiam non sunt hulcerum, Phlegmone, aut Erysipelas, aut Gangrena, sed Accidentia. Galenus in Methodo medendi, scitè admodum proprias generum ac specierum differentias ab alienis hoc modo discernit, ut alienæ nimirum, & quibus

species non constituantur differentiæ sint, quæ ipsa per se poßint esse & subsistere tanquam species quædam, ac sua quadam propria differentia circumscripta intelligantur, quales nimirum sunt illæ paulo ante commemoratæ differentiæ. Cæterũ magnum, paruum, transuersum, obliquum, rectum, profundum, eminens, differentiæ sunt hulceris. Cum enim hulcus sit solutio unitatis in corpore animato, his species ipsius differentijs distingi oportebit. Quanquã autem alioqui differentiæ istæ pro accidentibus numerantur, tamen generis, id est: solutæ unitatis propriæ fiunt, subiecto generis determinatæ. Vt sit magna, aut profunda distantia partium diuulsarum in corpore obnoxio morbis. Sic, duo habere, accidens est, sed duos habere pedes, differentia est pedati. Sunt præterea quædam angustiores differentiæ, nec amplitudinem definiti possunt æquare. Vt si morbus definiatur esse affectus seu qualitas μόνιμος, id est, durabilis primò impediens actionem. Hac differentia morbum non esse finiendum, Galenus in Methodo disputans contra Methodicos, docet, sic scribens, αὖθις δ᾽ ὥσπερ ἐκεῖνον τὸ ἐπίμονον προστιθέασιν, οὐ δηλοῦντες μέχρι πόσων ὡρῶν ἡ παρὰ φύσιν διάθεσις παραμένουσα νόσος ἐστί. Qui uolet, locum inspiciat. Ergo secundum Galenum etiam minimo tempusculo atque momento impedimentum illud actionis durans, morbi appellationem obtinebit. Neque intelligi uolo momentum illud, quod in tempore aut motu sit insecabile, sed breue quoddam, & quasi momentaneum tempus: Quoniam ut Aristoteles demonstrat in octauo Libro Physikῶn, ex contrario motu in contrarium, nulla interueniente quiete, mutari nihil potest. Vt si motu quodam morbus oboriatur, qui rursus quasi subito euanescens, desinat, & sanitas restituatur, inter motum scilicet, quo factus est morbus, & quo restituta sanitas, interueniat necesse est quædam quies. Quæ quidem omnis non momento insecabili, sed tempore quodam mensurari solet. Horum ex Physicis requirenda Demonstratio. Redeo ad Galenum, qui genus morbi non rectè astringi putat ἐπιμόνῳ, quòd Species quædam hæc potius sit Morbi, quàm ipse Morbus: qui, quoad est genus, sit Qualitas primò impediens Actionem. Hæc si genuina Morbi fuerit Definitio, oportebit sane additum ἐπίμο-

Gale. lib. 3. Methodi.

Galenus Methodi lib. 1.

νον (tanquam Differentiam) constituere Speciem, ut qui iam sit ap= pellandus, non morbus simpliciter, sed hecticus, quemadmodum con= traria ei species σχετικῶς differentia constituitur, Speciem σχετικοῦ νοσή= ματος constituens. σχέσις enim qualitas est non confirmata, aut dura= bilis, quam in Prædicamentis Aristoteles appellat διάθεσιν. Siqui= dem qualitas omnis aduentitia & ἐπίκλητος, finiens motum aliquem, aut ἕξις est, aut διάθεσις. Itaq; morbi eædem differentiæ erunt, cùm ui= delicet morbus primæ Speciei sit qualitas, eodem nimirũ, quo sanitas modo. Cœterum in genere Paßionis opponuntur motus & quies, non ut Differentiæ generis, sed ut Habitus & Priuatio, quæ ge= nere Physico tot distribuuntur generibus, quotquot erunt, quorum gratia corpus appellatur mobile. Sed redeo ad propositum. Galenus in Locis affectis, Morbum definiens, utitur differentia μονίμου, ut nimirum sit διάθεσις μόνιμος. Sic enim scribit, ὅταν εἰς μόνιμον ἀφίκηται διά= θεσιν ἡ ἀλλοίωσις, ὀνομάζεται νόσημα. Oppositam speciem definit σχέσιν, nec non negatione ἐπιμόνου, ipsumq; non appellandum censet simpliciter morbum, sed fientem morbum, & πάθημα potius quàm diathesin. Uide= rit ergo Galenus, quàm ipse sibi constet, modo hanc, modo aliam mor= bi definitionem in medium afferens. Si morbus est qualitas primi modi, definitio ipsius erit hæc, ut sit nimirum qualitas, primò actio= nem impediens. Species eius una definietur ἕξιν, altera διάθεσιν. Qua ratione Morbus quoq; sub se continebit διάθεσιν, seu γινόμενον νόσημα, seu ut aliâs appellatur σχετικὸν, Quæ uera est ipsius morbi Defi= nitio, & ipsius in suas species distributio. At si morbus definiatur ἕξιν seu μονίμου, opposita nimirũ ei species, aut sanitas erit (siquidem sub eo= dem genere sit) quod dictu equidem est perabsurdum, uel erit sub con= trario genere, nempe sub morbo, & hac ratione morbi quoq; appel= lationem habebit, quod Galenus tamen negat. Non enim Morbum, sed πάθος, & πάθημα censet appellandum σχετικὸν & fientem morbum. Ex quo perspicitur, ipsum sibi non satis constare Galenũ. Nunc de falsitate cuius hæc definitio potest coargui, dicamus. Si species illæ contrariæ sint, sub eodem scilicet aliquo genere erunt uno, quod genus ipsum est, Contra naturã impedire actionẽ. At unius speciei diffe= rentia, q̃ est ἕξις, declarat speciẽ hanc esse sub genere quodã qualitatis

Galeni inconstantia & error in definitione morbi.

Galen. lib. 1. de locis affectis.

Verum altera differentia, nempe γίγνεσθαι & πάσχειν, qua constituitur σχετικοῦ νοσήματος Species, Genus est quoddam ex primis illis, quod Dialectici appellant, PATI, seu paßionem. At ei non opponitur ἕξις, sed quies, quæ priuationis scilicet, non differentiæ, aut contrarij rationem obtineat. Quoniam differentiarum et contrariorum idem est Genus, priuationis autem & habitus ut subiectum idem sit, Genus tamen idem nullum habent, Atq; adeo paßio ipsa per se supremum quoddam est Genus. Nec est quòd dicas, habitum sub ratione quietis opponi παθήματι, quoniam secundum habitum ut nihil mouetur (autore Aristotele libro septimo Phyσικῶν) ita nihil etiam quiescit. Quin etiam habitus & πάθημα seu πάσχειν non modo in eodem nullo sunt Genere, sed ne subiecto quidem primo eodem δεκτικῷ. Præterea morbi Genus planè nequit esse, Habitus contra naturam, argumento præsentis loci. Nam differentia quæ est, Impediens actionem, prædicatur de Genere Definitionis, & eodem patet latius. Siquidem ipse quoq; Galenus fateatur, impedimentum actionis pertinere etiam ad παθήματα, quo tamen excluditur ratio habitus, ut supra dictum fuit.

LOCVS XXXIII.

Videndum si de differentia genus dicatur, cùm præsertim nõ de differentia genus, sed de ijs de quibus differentia enunciatur, genus quoq; dici soleat. Veluti animal de homine, boue, cæterisq; gradientibus animalibus dicitur, non de ipsa horum differentia quæ prædicatur de specie. Nam si de singulis differentijs animal ipsum dicitur, multa nimirum animalia species erit, siquidem differentias prædicari de specie in confesso est. Præterea differentiæ omnes aut species erunt aut indiuidua, siquidem fuerint Animalia. Quoniam quicquid dicitur animal aut species est, aut indiuiduum.

Vt differentia de Genere nequit prædicari, ita Genus de differentia

rentia neq; poteſt, neq; debet proferri. Plures ſunt rei differentiæ in finitionibus, de quibus ſi enunciatur Genus, ipſum uidelicet in QVID de iis dici oportebit. Genus enim, quatenus ipſum, nequit aliter prædicari. At de quo prædicatur Genus, id nimirum Species eſt. Species porro eſt ipſum Genus, ut uerbi gratia, homo eſt ipſum Animal ſeu ὅπερ ζῶον. Si ergo differentiæ omnes fuerint tales ut de ipſis prædicari poßit Genus, quotquot illæ erunt, tot nimirum Animalia erit definita Species. Vt ſi definiendo hominem a. et b. differentiæ ſint Animalis, de quibus Animal prædicetur, utraq; nimirum differentia erit ὅπερ ζῶον. Ex quo concluditur illud abſurdum, ut non unum καθόλου Animal, ſed multa prædicentur Animalia de homine tanquam de Specie, quandoquidem differentiæ omnes in QVID prædicentur de Specie. Vitioſa igitur erit hæc Definitio hominis, qua dicitur eſſe: Subſtantia, corpus, Animal, & mens ſeu ratio. De his enim Differentiis omnibus prædicatur ſupremum Genus, Item ſi quis uirtutem finiens dixerit, eſſe. Habitum, electionem, & mediocritatem. Item, uita æterna, ſi definiatur hoc modo ut ſit: cognoſcere Deum, & credere in filium miſſum à Patre, Continet enim in ſe fides in Chriſtum cognititionem Dei, ſed differentia non continet Genus, quod de Specie duntaxat, non item de differentia enunciatur. Vita itaq; æterna eſt, cognoſcere Deum, fide fretum in Chriſtum. Fretum enim eſſe fide, non eſt ipſa fides, cuius eſt Genus cognitio, fides enim cognitio quædam eſt. Qui ergo cognoſcit Deum fretus fide in Chriſtum, qui miſſus ſit, & non mittendus, is compos eſt uitæ æternæ. Alio prꝛterea quodam abſurdo refellit Ariſtoteles differentias Generis capaces. Nam ſi fuerint, non conſtituent Species (quod peculiare munus eſt differentiarum) ſed ipſæmet erunt Species, uel diuiduæ, uel indiuiduæ, quales ſunt poſtremæ illæ Generum Species. Quicquid enim differentiæ particeps eſt cum Genere, id omne eſt εἶδος uel ἔντομον, uel ἄτομον. Alienißimum aūt à ratione eſt, conſtituens pro conſtituto haberi, id eſt differentiam pro Specie numerari. Sed huic, ut opinor, loco interpretatione noſtra ſatis factum eſt.

LOCVS XXXIIII.

SImiliter considerandum an Species, uel aliquid eorum quæ subiecta sunt sub Speciem, de differentia dicatur. Quod fieri non potest, quandoquidem differentia ad plura quàm Species accommodatur. Isto etiam pacto fiet ut in Specie differentia numeretur, siquid eorum quæ Speciei subiecta sunt, de ea dicatur.

Argumento istius loci confutantur definitiones, in quibus ponitur differentia de qua species definita, aut aliquid infra hanc speciem positum, poßit prædicari. Species, quoad est species, non nisi in quid (quemadmodum genus etiam) prædicari solet. Cæterum prædicatio καθόλου *est, & de subiecto omni enunciatur, uel cum reciproca conuersione, uel sine ea: illud* πρῶτον καθόλου *Aristoteles appellat, seu* ἀντιστρέφον*: hoc autem* καθόλου ὃ μὴ ἀντιστρέφει*, & ad plura quàm ad subiectũ positum pertinens. Præterea differentiæ sunt quædam, quæ non latius se proferunt quàm Species, ut* λογικὸν *in Definitione hominis. Nonnullæ autem ad aliam quoq; Speciem possunt applicari, quæ tamen simul omnes iunctæ differentiæ, licet separatim communes sint, nihilominus simul omnes unam circumscribunt Speciem, quæ angustior sit omnibus Definitionis partibus, de quarum nulla poßit prædicari. Species porro prædicatur* καθόλȣ *secundo modo, quoniam de multis differentibus effertur siue* ἄτομον*, siue* ἄτομον *fuerit* εἶδος*. Differentia uero ultima reciprocè de Specie effertur, nec aliud est, quàm Species ipsa, autore Aristotele: quando inquit,* μία ἐσὶν ἡ τελευταία διαφορὰ, τὸ εἶδος καὶ ἡ οὐσία*. Id est una differentia est postrema, quæ est ipsa species, & ipsa* οὐσία*. Vltima equidem non est sine reliquis præcedentibus, & illæ ipsæ non sunt absq; Genere: ut ultima differentia nihil aliud sit, quàm Definitio, quæ sanè nihil aliud quàm ipsum definitum existat. Differentiæ autem, præter postremam hanc, omnes reliquæ, aut etiam omnes, sed separatim consideratæ, quin etiam Genus ipsum, ita sunt comparata, ut ad plura,*

Duplex καθόλȣ.

plura, quàm Species definita, pertinere uideantur, quorum nihil esse debet, de quo καθόλου prædicetur Species definita. Ad plura enim Species sese non profert quàm differentia, semperq; aut æqualis est, aut angustior data qualibet differentia. Nam si non ad plura pertineat differentia, diuidua esse non poterit alia quadam differentia, usq; dum peruentum sit ad ultimam & indiuiduam, quæ iam non tam sit differentia quàm Species ipsa, de qua καθόλου (secundo modo) Species nequaquam potest prædicari. Ratio hæc est & firmamentum istius præsentis loci, quo Aristoteles ostendit, fieri nullo modo posse, ut Species καθόλου prædicetur de differentia. Alterum est argumentum, quod sic habet. Si de differentia prædicetur Species, differentiam esse oportebit, cum de quocunq; prædicetur Species ut καθόλου, necesse sit ipsum prædicari in QVID. In his enim quæ pertinent ad οὐσίαν rei, superiora omnia prædicantur de inferioribus in QVID, ut Genus, & differentia, & ex utrisq; composita Definitio: de Specie, Species de rebus singulis & numero discrepantibus. Quamobrem differentia quoq; illa, Species quædam erit, cum causa essentiæ prædicabitur de ea Species, ut uerbi gratia: si homo effertur de differentia ut superius de inferiore, necesse erit subiectum illud Speciem esse hominis. Sed obsecro, quî poterit constituens, & pars, esse constitutum & totum? differentia quomodo erit Species? Quocirca in Definitionibus poni nulla debet huiusmodi differentia, de qua prædicari definita possit Species. Quod plerunq; fieri tamen contingit quando Genus definitur per differentiam Speciei cuiusdam propriam. Sæpenumero autem fit ut propter τὸ ἐλλιπὲς τῆς διαιρέσεως Genus existimetur esse Species, ut Erasistratus arbitratus est, Tractum naturalem Specie esse unum, & non Genere, quem definiens dixit, esse successionem ad id quod sit uacuatum. At uero Species hæc est tractus, non autem uniuersum Genus Definitione hac est expressum. Galenus in libris de facultatibus naturalibus, ostendit Speciem esse aliam quandam tractus, quæ non necessitate uacui, sed facultate insita corporis trahentis, & finis cuiusdam respectu sit finienda. Tractus autem in Genere, est consecutio quædam alterius corporis,

excitata ui motrice trahentis celeriore, quàm sit uis quæ separet ipsa Species sunt, succeßio hæc, qua scilicet propter uacuum dicitur aliquid trahi. Et item species alia, quando propter facultatem insitam & naturalem fit tractus, ut quo particulæ corporis attrahunt nutrimentum. Erasistratus, ut dictum est, genus definitione speciei expreßit. Definitum ergo ad plura pertinebit, quàm differentia. Tractus, definitum est. Definitio est, Motus succeßionis ad id quod uacuatum est. Differentia, Succeßio ad id quod uacuatum est. Differentia porro de specie dicitur in QVID. Quamobrem si uera sit & consentanea hæc definitio, necesse est ut omnis tractus sit succeßio ad id quod uacuatum est. Sed uerum illud non est, ac potius è regione uerum est, omnem succeßionem talem, esse tractum, quod nihil aliud est, quàm speciem definitam prædicari de differentia. Quo tanquam certißimo argumento depræhendimus, definitam hanc speciem, esse genus, quod posita differentia non definiatur, sed diuidatur potius in species, de quibus paulo ante diximus. Simili errore, propter ἐλλιπὲς τῆς διαιρέσεως, in definienda Plethora hallucinatus est Erasistratus, autore Galeno in libro περὶ πλήθους. Eam enim (cum sit genus tamen) definitione speciei compræhendit: aut coangustauit potius Erasistratus quæ est. Distensio immoderata uenarũ, propter abundantiam sanguinis. Species hæc est Plethoræ, quemadmodum altera est, quæ definitur non multitudine sanguinis, sed imbecillitate uirium. Idem uitium in hoc etiam exemplo, quod in superiore uersatur. Non enim differentia de specie definita, sed species de differentia, tanquam superius de inferiore, ut genus de specie enunciatur. Haud longe secus hæc quoq; definitio Marasmi repræhenditur: qua dicitur esse, Tabes prouenienss ex ardore immodico. Non enim genus, sed species quædam Marasmi, nempe περιφρυγής, sic definitur. Et item Anima si definiatur ui sentiente, aut ui motrice. Alterutra enim istarum facultatum, propemodum omnes ueteres eam definierunt. Nunc ad sequentem Locum nos conferamus.

Galenus in lib. de Marasmo.

LOCVS XXXV.

Illud

ILlud etiam videndum est, an Specie non sit prior Differentia. Debet enim Differentia sequi Genus, sed præcedere Speciem. Considerandum quoq; , an sit proposita Differentia alterius quoq; generis, quod tamen non contineatur, neq; contineat propositum genus. Non enim videtur vna esse & eadem Differentia duorum Generum, quorum vnum altero non contineatur. Sin secus, profectò illud etiam fiet, vt eadem Species in duobus Generibus ponatur, quorum vnum non contineatur ab altero. Quælibet enim differentia subinfert suum proprium Genus. Vt ipsum pedatum & bipes, subinferunt Genus Animal. Itaq; si de quo Differentia, de eodem alterum prædicabitur Genus. Ex quo perspicuum est, Speciem quoq; duobus in Generibus ponendam, quorum tamen alterũ non contineatur ab altero. Nisi forte non omnino absurdum est eandem differentiam esse duorũ generum, quorum vno non contineatur alterum, sed adiungendum est, quando ambo non fuerint vni generi subiecta. Gradiens enim Animal, & pennigerum Animal, genera sunt, quorum neutrum complectitur alterum, quorum vtriusq; bipes differentia est. Itaq; addendum, Quorum utrumq; sub eodem non fuerit Genere. Hæc enim ambo, Animali subiecta sunt. Ex quo etiam par est intelligi, non necessariò quamlibet differentiam suum subinferre Genus, quandoquidem contingit, eandem duorum generum esse, quorum neutrum contineat alterum. Sed alterum istorum duntaxat subinfert, & præterea superiora omnia. Vt ipsum bipes pennigerum, uel gradiens subinfert ipsum Animal.

Duo sunt Præcepta istius loci, unum pertinet ad contemplationem ordinis, quẽ habet Differentia respectu generis & speciei. Alterum, ad communionem, qua interdum differentia una, duob. participat generibus. Primi explicatio hæc est. Quandoquidem differentia

tia diuidit genus, et constituit speciem, illo nimirum posterius erit et angustius, hac uero prius, et ad plura pertinens. Iam si quis pro differentia, definiendo rem quampiam utatur, quod sit non prius, propter uitiosam differentiam, non ritè finiisse, illo coargui potest loco. Vsus est Aristoteles μὴ προτέρου, pro uocula ὑστέρου, non sine causa. Non prius, continet etiam illa, quæ tempore sunt simul. Nam et posterius, et quod simul cum alio existit, non prius esse dicitur, et respectu posterioris latius patet. Propria enim rerum, tametsi λόγῳ sint posteriora subiectis, nihilominus tempore posteriora non sunt, sed nec priora. At quod non est prius, id necesse non est, ut sit omnino posterius, cum poßit, ut dictum est, etiam simul esse. Attamen prior omnino est ratio differentiæ, quàm essentiæ totius. Pars enim essentiæ totius prior est essentia tota, quæ definitione exprimitur. Differentiæ quidem omnes debent definita ab ipsis specie priores esse λόγῳ. Cæterum οὐσίᾳ, simul cum definito est ultima differentia, quoniam, ut supra fuit dictum, τελευταία διαφορὰ τὸ εἶδος καὶ ἡ οὐσία, reliquæ omnes λόγῳ et οὐσίᾳ sunt priores Sunt proinde partes aliæ quædam, in quas οὐσία non per se, sed propter materiam, cui nimirum forma inest, diuiditur. Quæ partes sunt λόγῳ et οὐσίᾳ, partim posteriores, partim non priores, sed simul, cum ipsa per se οὐσίᾳ, quoad uidelicet ipsa per se definitur species. Eius per se οὐσίας partes (quibus nimirum definitur) καθόλου constituunt, et nequaquam σύνολον. Quod ipsum σύνολον constituitur, quando ei accesserit materia, qua, ut dictum est, utriusque concretione οὐσία sit diuidua in partes, quæ sunt posteriores λόγῳ τῆς οὐσίας, quæ est, ut dixi, species καθόλου. Verbi gratia. Substantia, animata, sentiens, intelligens, partes obtinet λόγῳ priores toto. At si consideretur species hæc inesse in materia, totum constitutionis huius, σύνολον appellatur, et id ipsum materiatus est homo, cuius partes sunt (causa materiæ) caput, pedes, brachia, uiscera, quæ nimirum sunt essentia simplicis formæ, posteriores, nec sine eius ratione possunt definiri. Illud enim ipsum est, quod dicitur posterius esse alio. τῷ λόγῳ, quando scilicet in definitione posterioris mentio habetur prioris, ut uerbi gratia, paulo ante dictæ τοῦ συνόλου partes, absque ratione Animalis non possunt intelligi. Si-

quidem

quidem nec caput, nec pedes, nec aliorum quicquam, sine ratione Animalis noscuntur. Hæc ita se habere non modo natura rerum est euidens, uerum etiam autoritate constat Aristotelis, qui libro Ϛ. Metaphysicæ hæc omnia breuiter his perstrinxit uerbis. ὥσθ' ὅσα μὲν μέρη ὡς ὕλη, καὶ εἰς ἃ διαιρεῖται ὡς εἰς ὕλην, ὕστερα, ὅσα δὲ ὡς τοῦ λόγου, καὶ τῆς οὐσίας τῆς κατὰ τὸν λόγον πρότερα ἢ πάντα ἢ ἔνια. Proinde partes omnes definitionis, qua ipsa per se declaratur essentia, priores sunt λόγῳ, specie definita. Attamen, ut diximus, differentia postrema non omni modo prior est Definito, ut reliquæ partes, sed οὐσίᾳ quidem simul est cum definito, licet λόγῳ & ratione sit prior. Idem discriminis est in partibus etiam τοῦ συνόλου. Nonnullæ enim sunt λόγῳ & οὐσίᾳ posteriores toto suo, ut pote Animali. Quædam uero λόγῳ duntaxat posterior est, & οὐσίᾳ nihilomiuus simul cum toto, quæ & ipsa ex multis partibus huiusmodi una quædam est & principalis, ut uerbi gratia, cor, quod simul est cum Animali, & cum eodem simul interit, quasi clauus quidam οὐσίαν cum materia sua compingens, γνώσει quoque, non solum ratione & definitione, posterioribus partibus. Principalem hanc συνόλου partem simul esse cum οὐσίᾳ, quoad materiam informat, his Aristoteles uerbis asserit prius commemorato Metaphysicæ libro, loquens de partibus essentia rei posterioribus. ἔνια δὲ ἅμα, ὅσα κύρια, καὶ ἐν ᾧ πρώτῳ ὁ λόγος καὶ ἡ οὐσία, διον εἰ τοῦτο καρδία ἢ ἐγκέφαλος, διαφέρει γὰρ οὐδὲν πότερον τοιοῦτον. Hactenus de duplici natura & essentia totius, ac differentia utriusque generis partium diximus. Enimuero constat Definitionis differentias (quibus ipsa per se rei intelligitur essentia) tanquam partes, specie non esse posteriores, sed uel priores λόγῳ & οὐσίᾳ, uel si quæ sit οὐσίᾳ simul (ut postrema Differentia) λόγῳ tamen esse nihilominus priorem. Si quæ igitur Differentia sit proposita λόγῳ posterior definito, ea nimirum aut proprium erit definitæ speciei, aut pars aliqua συνόλου. Posterior enim est proprietas, ac in definitione eius species tanquam subiectum includitur, sine quo subiecto nequit intelligi, perinde atque partes integræ propter materiam substantiæ, nempe συνόλου incognita ratione, nequeunt explicari definiendo. Ex quo liquet, proprietates nullo

modo differentias esse suarum Specierum, quas tamen pleriq; magno errore pro differentijs usurpant, qui primo istius loci præcepto est refellendus. Altero præcepto monemur, ex uno Genere in aliud ne transferamus differentias, alioqui futurum est ut Species (differentia enim Species est quodammodo Generis) sub diuersis ponatur Generibus quorum neutrum contineatur ab altero. Nam quorum differentia, eorundem quoq; Species uidetur eadem, & Specierum earundem, Genus quoq; idem esse censetur. Falsæ igitur sunt differentiæ Democriti quas ex Genere qualitatum quarto transfert in sapores, qui sunt tertij Generis. Figuris enim definit sapores, ut aliâs etiam me dixisse recordor. Nec non Galenus & quicunq; ipsum sequuntur hallucinantur, quando Substantias differre inter se statuunt crasibus ac temperamentis. Substantiæ enim differentia est Substantia, non qualitas, aut πάθος qualitatum mixtarum. Quàm est obsecro alienum à uero, ex diuerso Genere essentiam rei colligere? siquidem τὰ γένει ἕτερα πλεῖον διέστηκεν ἢ τὰ εἴδει. Nam tametsi Specie discrepantia unum esse alterum nequeant dici, unum tamen ex altero fieri, & in alterum permutari potest, quod euenire in differentibus Genere nequit. Vt hoc nomine confusio Generum magis sit reprehendenda quàm Specierum. Certè plærisq; uidetur res nihil aliud esse quàm sua materia, aut sua Accidentia, quibus ratio indoctorum cæcutiens, rem alienis definit differentijs. Vt Empedocles naturam, quæ Substantia est rei, eodem modo, & errore, quo superiores, definit, mixtione & crasi alteratorum elementorum: Sic de uniuersa natura rerum pronuncians. φύσις οὐδενός ἐστιν, ἀλλὰ μόνον μίξις τε διάλλαξίς τε μιγέντων. At mixtionem non esse οὐσίαν, sed πάθος οὐσίας, nemo ignorat. Definitio igitur adulteranda non est, alieni Generis differentia. Addendum huic aliquid præcepto, ut sit καθόλου, & ualeat in omnibus, quando nimirum dicimus, differentiam unam duobus Generibus, quorum neutrum sit ab altero contentum, ita ut nec ambo ab aliquo communi contineantur, non posse adhiberi. Nisi enim extremum illud sit additum, quo illud quod præceßit determinetur, absurditas nulla probibet quo minus duobus Generibus poßit

Error Democriti.

Error Galeni.


Peccatum Empedoclis.

Pronunciatum καθόλου

poßit aßignari differentia una. Vt gradienti Animali, bipes & multipes, ac præterea etiam pennigero eædem tribuuntur differentiæ, cum aliud ſit bipes, & aliud multipes. Ratio itaq; ſuperior non ſatis eſt conſentanea. Non enim quorum differentia: eorum quoq; ſpecies eſt eadem, cum ſine Genere differentia non conſtituat Speciem. Diſcrimen illud animaduertendum in differentijs, quòd nimirum quædam ſubinferant ſuum peculiare & proprium Genus, ut animatum & inanimatum: ſubinferunt corpus, & ſentiens ſubinfert corpus animatum, & rationis compos ſubinfert animal. Talibus differentijs ad Genus aliud translatis uti nullo modo poſſumus. Aliæ ſunt quæ proprium Genus non ſubinferant, ut bipes & multipes, non enim ſunt ut nulli alij poßint accommodari, quemadmodum ſuperioris modi differentiæ. Quocirca ex neceßitate quidem alterutrum ſubinferunt, ſed his ſuperiora Genera ex neceßitate omnia ſubinferunt. At quibusdam nullæ uidentur huiusmodi communes differentia eſſe, propterea quòd omne Genus διχοτομίᾳ diuiduum cenſent, qua oporteat ſuis differentijs, & quæ accommodari alij non poßint, quodq; Genus diuidi. Partitionem hanc Generum per differentias tales, in Species, celebrat Plato in Politico, & eam Diametro ac lateri quadrati similẽ eſſe dicit, eaq; διχοτομίᾳ tanquam διποδίᾳ quadam progredi homines ad omniũ earum notitiã arbitratur.

Diſcrimen differentiarum.

Διχοτομίας in differentijs repræhenſio.



Similitudinis ratio & Explicatio hæc est. Diametros si comparatur lateri, δυνάμει nimirum magnitudinis, dupla est ita ut geminatū lateris, æquale sit ei quod creatur semel diametro quadrata. Ei simile esse Genus dicunt quod se ultra differentias duas, quibus totum ipsum sit diuiduum, non proferat, ita ut ambæ Species magnitudine sint pares toti Generi. Et ut Diametros in partes duas æquales, ratione δυνάμεως, in duo latera diuidatur, sic δύναμιν Generis diuidi per differentias duas æquales in actum duarum formarum, quibus æquiparetur actus totius Generis, ut nulla ipsius pars aut potentia, qua poßit iterum diuidi, supersit. Augeri partium & differentiarum proinde numerū duplatione hac, usq; dum ad indiuiduas et infimas Species sit peruentum, ultimiq; quadrati Diametron, comparatione primi Diametri, numerum complecti omnium per διχοτομίαν collectorum ἀτόμων εἰδῶν contingat. Ad reliquas similitudines illa quoq; accedit, quod nimirum

mirum ut ſua latera quælibet habet Diametros, quorum reſpectu ſit dupla, ita ut nulla ſit alia linea qua poßit in duas partes δυνάμει æquales diuidi, præterquam lateris linea. Sic differentia quælibet ſuum Genus perfectè & plenè diuidere uidetur, ut nullum Genus aliud ea poßit ad eſſentiam conſtituendam, eſſe diuiduum. Veruntamen, exceptio hæc Ariſtotelis oſtendit, una differentia non tantum unum diuidi Genus, ſed interdum duo. Vt bipede diuiditur gradiens Genus & pennigerum item, quod ipſum ſi eſt conſentaneum, διχοτομίᾳ profectò non ſemper ad Species conſtituendas progrediemur, eruntq; differentiæ quædam quibus duo diuidua ſint Genera, non minus ad conſtituendam Speciem facientes, quàm ſi unum & proprium quoddam Genus diuiderent ſuum. Ariſtoteles libro primo de partibus animalium, multis argumentis oſtendit hanc διχοτομίαν ad ſpecies deſcribendas, in quibusdam eſſe inutilem. Obſcuris hæc & perplexis rationibus & argumentis tractat, quorum interpretationis occaſionem præſens locus quoniã offert, nõ prætereunda ſilentio cenſui. Et quia ualdè etiam utile ſit differentiarum diſcrimina noſſe, non poſſum quin planius et uberius iſta explanẽ, quæ ſi aliquanto prolixior uidebitur tractatio, ne iniquo ferant animo philoſophiæ ſtudioſi poſtulo, et me non ſolum argumento huic, ſed etiam commodis ipſorum uoluiſſe inſeruire, ſibi perſuadeãt. Itaq; quemadmodũ διχοτομίᾳ omne diuidant Genus, et partes definitionis quo pacto colligant nonnulli, id quidem ante omnia dicendum arbitror. Vnum quodq; Genus non niſi una et ſua propria differentia diuidi, ita, ut alteri non poßit accommodari generi, dicũt. Quod quale ſit ſimilitudine Diametri et laterum, paulo ante oſtendimus. Quapropter hac nota & quaſi ſigno differẽtias deſcribunt, ut neceſſe ſit ipſas proprium Genus ſubinferre, quod Ariſtoteles hoc loco appellat, τὸ οἰκεῖον συνεπιφέρειν γένος. Ex quo concludendum, ſpecierũ numerum parem eſſe differentiarũ numero. Item, quorũ eadem ſit differentia, eorundem genus quoq; idem eſſe oportebit. Præterea ipſum per ſe genus non per ſe, ſed propter differentias erit diuiduum. Etenim per ſe Genus ſi non ſit diuiduum, eisdem differentijs duo Genera non erunt diuidua, quoniam propter διχοτομίαν cauſa differentiæ (quæ pars altera eſt compoſiti Generis) non eadem, non eiusdem Generis eſt differentia. At per ſe

Explicatur ualde difficilis locus Ariſtotelis in primo libro de partibus animaliũ, quo refellit διχοτομίαν in diuiſionibus.

diuiduum esse Genus, nec differentiæ semper esse differentiam, ex eo perspicuum est, quòd non solum bipes & multipes, gradientis, ut generis, sed etiam pennigeri sunt differentia. Quòd si una differentia duntaxat unius est, gradiens autem & pennigerum nihil præter genus habent commune, nempe Animal, per se igitur bipes & multipes Animalis erunt (quod ipsum ex necessitate συνεπιφέρουσι) differentiæ, eodem modo, quo sunt etiam gradiens & pennigerum ipsius differentiæ. Ex quo par est intelligi, non quamlibet differentiam suum, sed interdum etiam commune, quod sit alia præterea differentia diuiduum, subinferre genus. Nam si unum, idq; suum ac proprium subinferret, tum profectò si gradientis differentia sit bipes, eadem non poterit esse pennigeri, quoniam ipsis quoq; autoribus, una quælibet harum non nisi unius generis est differentia. Si respectu generis id uerè dictum sit, non idcirco necesse erit unius nonnisi unam esse differentiam, sed una quælibet est unius, siue proprij, siue communis generis, differentia. Hac, qua dictum est ratione & modo, nequaquam est absurdum, si dicamus, quemadmodum Genus unum differentijs duabus in duas diuidatur species, ita quoq; Genera diuersa, differentijs eisdem, distribui in species quatuor posse. Exempli causa proponatur hoc Exemplum. Corpus, quia corpus, animato diuiditur & inanimato. Deinde etiam, omne aut est simplex, aut mixtum. Prior sanè pertinere ad speciem seu formam, posterior ad materiam magis accommodata uidetur diuisio. Iam animato & inanimato constituãtur species, quæ quidem oppositæ rursus, ut genera quædam, una differentia (quæ est, simplex esse, & mixtum) in species diuiduntur quatuor. Nam Animatum quoddam est simplex corpus (ut cœlum) & mixtum quoddam, ut stirpium. Ita quoq; inanimatum omne aut simplex est, aut mixtum est corpus. Restat ut Aristotelis Argumenta explanem, quibus ostendit, non posse omnium per διχοτομίαν fieri diuisionem. Sunt quædam differentiæ, quibus prima subinde repetita

Primum Argumentum.

opus est, ut, pedem habere, repetitur in bipede, & fißipede: sic enim crebrius usurpatur uocabulum ποὺς in his differentijs ὑπόπουν, δίπουν, σχιζόπουν. Qua ratione & causa id fiat, alio quodam loco me dixisse memini. In his differentijs & definitionibus, si Lex sit obseruanda διχοτομίας

μίας, necesse erit aut ultimam duntaxat differentiam adhibere generi, ut χιζόπουν, Animali, aut si mediæ quoq; interponantur, per adoleschian repetitum erit genus idē sæpius. Etenim Animal habens pedes, & in bipede, & rursus in fißipede dicitur. Si differentiæ sunt aliæ, subinde atq; aliæ, propter διχοτομίαν quoq; id, quod diuiditur, subinde aliud atq; aliud esse oportebit genus, alioqui si idem sæpius sit positum, nugatione non uacabit. Quòd si dicat quispiam in hac finitione sic collocandas differentias. Animal habens pedes, binos, fissos, hoc enim modo nulla repetitione eiusdem opus fore. Ei respondendum est, differentias non esse binum, neq; etiam fissum, sed Accidentia, quia non subinferunt οἰκεῖον genus. Quare ut differentiæ sint, efficitur adiunctione pedati, at eius ut dictum est, nugatoria uidetur esse propter ἀδολεσχίαν repetitio. Verum, ut aliâs ostendimus, nugatoria non est, ex quo sequitur, ut in his differentijs διχοτομία locum non habeat. Quod autem fißipes adiunctum Animali ipsum per se non definiat, notum est. Secundū est Argumentum, quo refellitur διχοτομία.

Secundnm.

Sua differentia quælibet constituitur species. Differentia porro q̃uis (lege διχοτομίας) suo astringitur generi. Quamobrem cuiuscunq; generis fuerit differentia, eiusdem species quoq; erit, Qua lege cooptari aliquam necesse erit speciem in genus alienum. Vt propter, bipes, differentiam, auis transferetur in genus gradientis Animalis, siquidem bipes propria est huius generis differentia. Aut si pennigeri sit propria, homo continebitur (qui est gradiens Animal) pennigero genere, quæ quàm sint absurda, nemo non intelligit.

Gradiens quatenus distinguitur contra pennigerum.

Præterea sunt differentiæ etiam quædam, quibus unum reuera genus non potest diuidi, quum non participent nisi analogia aliquo uno, ut pennas habere, & item pinnas, illa auium, hæc Piscium est differentia. Vtriusq; Genus est, Animal sese promouens loco, impellendo corpus quoddam ambiens ipsum. Cœterum ut aerem pennis uerberando, uolant aues, ita pinnis ubratis aquam agitantes pisces, natando se mouent. Sed una (genere Physico) non est impulsio, ac non est nisi analogia una. Qua ratione dictum est ab Aristotele, multas latere homonymias in genere Physico, quo considerari solet forma generis cum proprio suo subiecto. Itaq; si differunt specie subiecta motionum,

ut aer & aqua, motio quoq; una genere esse non poterit. Autor est Aristoteles libro septimo Physicorum, sic scribens, καὶ γὰρ ἡ φορὰ εἴδη ἔχει ἂν ἐκεῖνο ἔχῃ εἴδη ἐφ' οὗ κινεῖται. ἔτι δὲ ἂν δι' οὗ κινεῖται, οἷον εἰ πόδες, βάδισις, εἰ πτέρυγες πτῆσις. Ex quo perspicitur, unum genus non diuidi differentijs paulo ante dictis, & si quod idem habeant, idipsum non nisi Analogia esse unum. Modum ac formam unitatis analogicæ, describit Arist. in Analyticis hoc modo. ἄλλος τρόπος ἐστὶ κατὰ τὸ ἀνάλογον ἐκλέγειν. ἓν γὰρ λαβεῖν οὐκ ἔστιν τὸ αὐτό, ὃ καὶ καλέσαι σήπιον καὶ ἄκανθαν καὶ ὀστοῦν ἐστί δ' ἑπόμενα καὶ τούτοις ὥσπερ μιᾶς τινος φύσεως τῆς τοιαύτης οὔσης. Liquet igitur, genus non semper à differentijs subinferri præsertim cum sint differentiæ etiã nonnullæ, quarum genus nullum sit nec proprium, nec analogia quadã expressum, cuiusmodi sunt ἔναιμον & ἄναιμον differentiæ. Nulla enim res est, aut natura communis, q̃ capax sit utriusq; differentiæ. Nam si dixeris, differentias has esse Animalis, quatenus uegetetur (materia enim est nutricationis sanguis, & præterea succus quidam in exanguib. proportione respondens sanguini) oppositam esse quandam differentiam oportebit scilicet, qua sit Animal, quod haud nutriatur, quale profecto nullum est, cum sentientem uim præcedat uegetatrix. Nec est quòd dicas, ut Animal corde, aut iocinore præditum sanguinis sit particeps, ita quoddã esse, quod instar habeat cordis, & sit ἄναιμον, ut ambo nimirum ἔναιμον & ἄναιμον proportione eodem participẽt genere. Nam id, quo declaratur idẽ proportione, definitione sua aut ratione qua intelligitur quid sit, non implicat differentiam. Vt uerbi gratia. Impellere corpus externum ambiens ipsum, non cõtinet intra se uel rationem pennarum uel pinnarum. Sed cor, aut hepar habere, participat rationem sanguinis, hæc enim est ipsorum energia propria, ut sanguinem faciant uel perficiant. Quapropter generis rationem analogici habere nequit cor, sed alio quodam modo cor habens

Tertium.

Animal, comparatur Cor non habenti Animali. Tertium est argumentum. Siquidem in διχοτομίᾳ differentiæ nonnullæ sunt priuationes, ut ἄπτερον, ἄπουν, & similia, negationum quoq; diuisione, genera in species (siquidem priuationes sunt καθόλου) distingui oportebit. At eius quod non est, & priuationis, quoad est priuatio, quisquamne est, qui speciem ausit aut differentiam dicere? Quod autem huiusmodi

usmodi priuatio sit necessariò (tanquàm καθόλου) propter διχοτομίας
diuidua differentijs, hac ratione perspicuum est. Sint a & b, quibus
Corpus inanimatum diuidatur, differentiæ. Quoniam quidē Corpus
unicè (propter διχοτομίαν) per animatum diuiditur, & inanimatum,
necesse erit (quia nulla potest alia Differentia diuidi Genus hoc) ra=
tione ipsum priuationis, ac propter priuationē a & b, differentijs es=
se obnoxium. Etenim aut ipsum Genus, propter Differentiam ta=
men, est obnoxium (quo modo corpus dicimus esse aspectabile prop=
ter colorem) Differentijs. Et hac ratione potest Genus unum ge=
minis differentijs, bis esse diuiduum, ut per se diuiduum est Corpus,
animato & inanimato, item simplicitate & mixtione, cuiusmodi ta=
men diuisio locum non habet in διχοτομίᾳ. Aut differentia per se est
obnoxia diuisioni, sed propter genus (hanc hypothesin exigit διχοτομία)
qua ratione oportebit ipsam per se priuationem, seu negationem di=
uiduam esse. Sed quæso, quod non est, quomodo diuidetur? aut eius spe=
cies quædam quomodo esse dicetur? Quartum argumentum, si per δι= Quartum.
χοτομίαν fiat diuisio, una species animalis & eadem sub oppositis ge=
neribus nequaquam collocabitur, propterea quòd ipsa ad amußim cō=
traria separando, constituat species. At eandem speciem sub contra=
rijs generib. contineri, est euidens ex historia animaliū, ut ceruum sub
cornuto et non cornuto, nā ut inquit Arist. ἔλαφος θήλεια κέρατα οὐκ ἔχει,
item lampyris, subest alato, et non alato generibus. Et profectò mul=
tò minus distinguentur, quæ sunt ἀναίμου & ἐναίμου generis, quæ in mul=
tas admodum contrarias differentias et genera incurrunt, de quibus
Arist. in 4. lib. hist. animalium scribit. Quintum argumentum. Quan= Quintum.
doquidem diuidendis specieb. animalium (quas quia diuidi amplius nō
possunt, ἀτόμους appellamus) nō solum species in contrarijs reperiuntur
differentijs, sed etiam differentiæ eædem in oppositis interdū insunt
specieb. At per διχοτομίαν (quæ semper contrarijs et nunꝗ eisdem diui=
dit) contraria in eodem, et eadem in contrarijs, nullo modo possunt in=
esse, nisi sint Accidentia, quæ tamen locum in differentijs nullo modo
possunt habere. Aut si quis opinetur non eandem essentiam esse bipe=
dis, in gradiente, & pennigero, uel non eandē rationem sanguinis in
gradientibus et uolantibus, ei necesse erit priuatione alterius diffe=

rentiæ describere differentiam alterius Speciei. Nequit enim contraria esse aut aßignari differentia, nisi per priuationem, in Genere Substantiæ. Sed priuatio quædam addita sanguini, sanguinis Speciem non facit. Quoniam οὐσία est, & non priuatio, sanguis, quare unius Species ab alterius Specie & natura priuatione non differt. Eadem ualet ratio in similibus. Quum igitur huiusmodi differētiæ nec Accidentia poßint esse communia, nec tanquam οὐσία poßint communicari, nec tanquam priuatio contra Speciem poßint distingui, impediente hæc omnia, dichotomia, consentaneum certè est eam nequaquam esse ad definiendas Species utilem.

Sextum. Sextum argumentum. Si dichotomia peruenitur ad ultimas differentias, quibus constituuntur ἄτομα εἴδη, eas nimirum indiuiduas, esse oportebit, & nulli alij Speciei communes. Quanquam constat inter omnes, in plerisq; differentias omnes separatim latius patere quàm Speciem, ad plures res pertinente etiam differentia ultima: Sed illi dicunt indiuiduas has esse ultimas. & numero Speciebus ἀτόμοις æquales differentias. Quod si hæc hypothesis sit uera, tantū abest ut Species propter communē differentiam ἄτομος esse poßit (ut certè est in plerarunq; rerum finitionibus) ut addita ea ἀτόμῳ εἴδει, necesse sit rursus communem fieri & diuiduam Speciem, cuiusmodi tamen differentia (quamuis sit communis) in plærisq; solet constituere εἶδος ἄτομον. Etenim propter formulam hanc diuisionis, idem & indiuiduum Specie, nec in aliam atq; aliam differentiam, eorum in quæ facta est Diuisio, nec in eandem diuersa concurrere, sed omnes superiores illis extremis & oppositis occurrere debent.

Septimum. Septimum argumentum. Diuidendi & definiendi ratio pertinens ad Species infimas & ἀτόμους animalium, difficillima est, quoad nimirum illæ describuntur non forma ipsa separatim & materia, sed quatenus forma in materia energeias quasdā exercet communes animæ & corpori. Harum, ut dixi, Specierum differentias distribuere per διχοτομίαν nullo modo possumus. Aristoteles priusquam ostendat id non posse fieri, modum diuidendi, quo debeant colligi huiusmodi Specierū differentiæ, explanat. Ac primum admonet, tales debere esse differentias in his Speciebus quatenus declarent nimirum εἴδη ἐν ὕλῃ. Secundo, non diuidendum proprietatibus

tatibus animalium (quæ nimirum posteriores sunt Specie) sed ijs quæ sunt pars essentiæ ipsorum. Tertio, diuidendum esse oppositis, quando enim ex necessitate Species est alterutrum, differentias nimirum oppositas esse oportebit. Adhæc diuisionis præcepta si quis respiciens ὁριστικὴν μέθοδον instituat naturæ & historiæ animalium, is nimirum reperiet tales differentias, in quas tamen essentiæ suæ causa Species non posśint diuidi, sed eadem sit differentia in oppositis, & oppositæ Species interdum sub eandem ueniant differentiam. Vt uerbi gratia, gradiens & uolans Speciem in quibusdam non distinguunt, ut in formicarum quodam Genere. Item ferum & cicur, quæ sunt itidem differentiæ, quibus Species gemina constituatur nequaquam bipartito Genere, quoniam unum & idem Specie est in plerisq; ferum & cicur in homine, item in Equo, Boue & similibus. Nam si Homonymum in his speciei uocabulum usurpari dixeris, diuisioni scilicet non erit subiectum, sin autem sit Synonymum, eadem nimirum in utrisq; species inerit ἄτομος. Quare differentiæ non erunt ferum et cicur, quantumuis bipartitò quidpiam eis diuidatur. Idem usu ueniet in omnibus huiusmodi dichotomijs, quibus nimirum quod specie est unum, diuiditur, species uerò nequaquam his constituuntur differentijs discrepantes, quod tamen fieri oportebat, si definiendis speciebus διχοτομία esset utilis. Non igitur necesse est una διχοτομίᾳ constitui species discrepantes animalium. Ergo Genus idem animalis pluribus differentijs ipsum per se diuisum & distributum, non hoc modo, ut propter διχοτομίαν necesse sit differentiam esse differentiæ, describendũ erit, sed pro eo ut pleriq; genus uel auis, uel piscis diuidunt, atq; his similia reliqua, sicut species opposita in oppositæ speciei genus aut diuisionem non incidat. Qualis hæc est diuisio apud Aristotelẽ libro primo historiæ animalium, τῶν πτηνῶν τὰ μὲν πτερωτά ἐστιν, οἷον ἀετός, τὰ δὲ πτιλωτὰ οἷον μέλιττα τὰ δὲ δερμόπτερα, οἷον νυκτερίς. πτερωτὰ μὲν οὖν ἐστιν ὅσα ἔναιμα καὶ δερμόπτερα ὡσαύτως, πτιλωτὰ δὲ ὅσα ἄναιμα οἷον τὰ ἔντομα ἐστὶ δὲ τὰ μὲν πτερωτὰ καὶ δερμόπτερα δίποδα δ᾽ ἅπαντα ἢ ἄποδα, τῶν δὲ πτιλωτῶν μὲν ἀναίμων δὲ, τὰ μὲν κολεόπτερα ἐστὶ, τὰ δὲ ἀνέλυτρα. καὶ τούτων τὰ μὲν δίπτερα, τὰ δὲ τετράπτερα. καὶ τῶν μὲν ὀπισθόκεντρα, τὰ δὲ ἐμπροσθόκεντρα. Exempli gratia id protulisse satis est quo conspicuum sit quemadmodum Generum in

 Species

Species fiat absq; dichotomia diuisio, & eadem tamen non fiat contrariarum in contrarias transitio. Secus si diuidamus, id est, si hoc modo quo iubent διχοτομοῦντες, ad Species proficiscatur diuisio, aut non omnes accipi poterunt differentiæ, quoniam Genus idem in plures cadit diuisiones, quas persequi non poßis progressu bipartitæ sectionis, aut colligere, ut ijs una constituatur Species, Aut tales adhiberi oportebit differentias quarum causa Species eadem in contrarijs collocetur differentijs, aut contrariæ Species in eandem & unam procurrant differentiam. Aut si quoduis istorum Generum pluribus differentijs diuisum, constituit Speciem, una uidelicet erit differentia quæ Speciem faciat, & ea uel simplex, uel compositione una erit. Si compositione unam differentiam & speciem colligi dixeris, continuata diuisio per differentias secundum accidens: nō fiet, quoniam talis oratio definitio non est, nisi libeat quamuis fabulam & orationem pro definitione numerare. Quare differentiæ semper est accipienda differentia (quæ ut diximus) non omnes accipi per διχοτομίαν possunt. Itaq; Genus idem, non una sed pluribus interdum differentijs erit diuiduum, atq; hac ratione priuationes etiam differentiæ esse poßunt, quæ tamen in dichotomia pro differentijs poni nequeunt. Restat ut quemadmodum non multis dichotomijs: ita nec una, diuisionem fieri in Species ostendamus indiuiduas, quas hoc loco τὰ ἔσχατα εἴδη appellat Aristoteles. Fieri non potest ut una differentia constituatur Species, ut hac ratione διχοτομίαν utilem astruamus, qua unicè diuiso Genere per differentiam, quam amplius diuidi non contingat, & quæ separet Speciem ab omnibus alijs, perfectè & absolutè è regione opposito istius differentiæ comprahensis. Dupliciter autem unam dicimus differentiam. Nam ea uel est simplex, respuens omnem sectionem, ut fissos habere pedes χιζοποδίαν appellāt Græci. Vel ex compluscul is aggregata differentijs, quoad nimirum omnes simul separant Genus à quouis alio, ut habere pedes fissos in plures partes. Etenim autore Aristotele οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν ἐν τῷ ὁρισμῷ, πλὴν τό, τε πρῶτον λεγόμενον γένος, καὶ αἱ διαφοραί. At nihilominus propter figuram orationis, etiam in his, postrema duntaxat differentia uidetur constituere Speciem, ut bipes scilicet, ac pedatum, & multipes

frustra

frustra uidentur posita. Vltimam differentiam, qua desinat Definitio, non posse nisi unam esse, per se est notum. Tantisper enim diuidendo pergimus, donec peruentum sit ad extremam quandam, quæ tamen ipsa per se non sit finis & Species. Animaduertendum hoc loco significari aliud uocabulo τελευταίας, et aliud ἐσχάτης διαφορᾶς. Finis & τελευταῖον eiusdem conditionis & naturæ non est cuius est id quod præcesßit ipsum, ut extremum motus: uel Species, respectu materiæ. In his enim ambo quæ præcedunt diuidua sunt, finib. existentibus indiuiduis. Nam tametsi motus & materia sint diuidua natura, quies tamen & forma diuisionem respuunt. Sed ἔσχατον eiusdem naturæ res est, cuius, quæ præcedunt, quorum respectu dicitur ἔσχατον, ut domus ultima, comparatione præcedentium ordine. Itaq; si differentia postrema esset quiddam τελευταῖον, unica hæc Generi addita, constitueret Speciem. Sed unica, non constituitur Species, uerum compluscul is differentijs, ab omnibus alijs separatur, Sed multæ differentiæ non cadunt sub unam διχοτομίαν, quoniam una differentia duntaxat unius est dichotomiæ. Nec plures eiusdem atq; unius Generis differentiæ sub unam uenire possunt διχοτομίαν. Ex quo perspicitur Speciem animalis indiuiduam constitui non posse secando Genus in duas duntaxat partes. Quare ne hac quidem ratione διχοτομία Speciem constituet, quæ diuidi amplius nō poßit. Occurritur hoc lo- ἀπορία.
co nobis tanquam si Aristoteles ipse sibi contraria diceret, qui ut supra quodam loco est dictum, τελευταίαν differentiam appellat, & præterea etiam εἶδος nominat, sic inquiens μία ἐσὶν ἡ τελευταία διαφο- λύσις.
ρὰ τὸ εἶδος καὶ ἡ οὐσία quod tamen paulo ante uidetur negare. Respondemus, quatenus ultima differentia cum præcedentibus absolutā facit Speciem, τελευταῖον quiddam dici. Quoad autem ipsa per se considerata, ac sola, respectu præcedentium perfectum et finis appellatur, tum non est τελευταῖον, sed ἔσχατον quiddam appellandum. Alioqui unica διχοτομία, species, ut supra est dictū, cōstitueretur, qua necesse est, differentijs nō nisi genus unicū diuidi. Cuiusmodi διαίρεσις igitur adhibenda sit colligēdis in definitionib. differētijs, hactenus explicatione loci illius difficilimi in Aristotele planū satis, ut opinor, fecimus.

LOCVS XXXVI.

 Videndum

VIdendum etiam, an id quod in aliquo esse significat quidpiam, differentiam essentiæ explicet. Neq; enim differunt inter se Substantiæ, quòd alicubi sit. Itaq; eos, qui Animal in Aquatile & Terrenum partiuntur, repræhendunt: propterea quod terrenum & aquatile, in aliquo & vspiam esse rem declarant, nisi forte in his non iure repræhendunt. Neq; enim in aliquo esse, aut alicubi aquatile & terrenum, sed quale quid indicat. Præsertim quum si sit in loco sicco, tamen æquè aquatile, & si in humido loco, terrenum, non aquatile sit futurum. Sed tamẽ hoc perspicuum est, si quid esse in aliquo significet differentia, in ea nimirum asserenda peccari.

Multa sunt, quæ suis & certis quibusdam uel locis uel temporibus finiuntur, ut concoctio, quæ fit in uentriculo, differt ab ea, quæ in iocinore peragitur, aut uenis, nec decidere, & efferri, definiri aliter, quàm differentijs locorum possunt. Non igitur de Accidentibus, quorum pleraq; locis & temporibus certis finiuntur, sed de substantijs intelligendus est Locus ille, quibus præter cœtera, quæ ipsis accidunt, Loci quoq; ratio conuenit non constituens, sed continens substantiam. Quanquam maximè propria & uernacula est rerum naturæ digestio corporum & ordo, quo suis discreta sunt locis, & Physicis certè quibusdam placet, primum omnium fuisse Chaos, quod est locus compræhendens omnia. Nihilominus pro differentia & parte essentiæ usurpari nequit locus, quoniam separari à loco res potest, ab essentiæ parte & differentia cùm tamen sit inseparabilis. Aristoteles à Dialecticis rationibus locorum progreditur ad Physicas, in quibus prima est, quæ præsertim ad naturam rerum pertinere uidetur, discrepantia scilicet locorum. Atqui nullius essentiæ pars est Locus, quippe, ut diximus, eam non constituit, sed extrinsecus ambit & continet. Tametsi fuerint, qui speciem & formam rei locum dixerint, alij materiam, ut finitima eius natura uideatur esse substantiæ contentarum rerum. Tanta porro uis est loci, ut sine eo nihil ferè generetur aut conseruetur, propterq; ipsum ordo consistat

sistat uniuersi. Num Elementa usþiam, quàm suis in locis perpetua conseruantur? num semina & naturæ aliarum rerum fœcunda sunt alibi, quàm illic, ubi natura eas prouenire, & quibus locis subsistere uoluit? Nam neq; è cibo quicquam Animal commodi percipit, nisi congesto in uentriculum prius: neq; partes reliquæ uigent sanguine, nisi quoad uenis inclusus, per omnia sese diffundat: nec Animal totum nasceretur, cùm prius non fuisset, absq; seminis in utero conceptu, in quo, naturæ operis illic pariter esset & instrumentum & materia. Sed hæc planius & uberius tractantur in Physicis. Veruntamen loca ob id non sunt essentia rerum contentarum. Alioqui si sanguis esset humor uenis contentus, aut cibus esset id, quod uentriculo continetur (de ipsa loquor substantia) si deniq; res alia quæuis propter locum esset οὐσία, atq; id, quod per se esse dicitur, si quid aliud eo contineretur, ut loci, ita quoq; differentiæ particeps & essentiæ esset. Aut si eo excessisset res contenta, nomen & naturam pristinam amitteret, siquidem differentia, rem constituit, & ab eo, cuius est, separari nequit. Itaq; si contineri uentriculo, contenti substantiam cōstituit, eiq; postea aliæ differentiæ adhibeantur, ut concoqui, & non concoqui: priuans porro differentia, si contenti speciem substantiæ nō constituit, ut acinorum essentia non est, quòd non concoquantur uentriculo, nec altera scilicet, ei opposita differentia, speciem constituet. Attamen ut uerum sit & concedendum, res quasdam absq; interitu à locis suis separari non posse, ut sanguinem extra uenas, semen extra uterum: nihilominus nonnullæ sunt, quæ naturam eandem extra suum locum quoq; positæ retineant, ut terra, aqua, metalla, & similia. Si quæ igitur differentiæ rebus ex loco adijciuntur, qualitatem magis significabunt loci ratione descriptam & denominatam, non partem essentiæ rei. Qualitas porro hæc uel significat actum, quo res necessariò est suo in loco, uel habilitatem duntaxat. Actum significat locus in sanguine, itē in semine, utpote quorum actio & passio absq; loco suo esse nequit, & separata pereunt, In animali aquatili & terreno, facultatem, & naturalem habilitatem: nempe, ut possint in aqua uel terra degere, non quod semper degant.

Probatur hoc argumento loci 26. & eius articulo tertio repræhensionis.

LOCVS XXXVII.

PRæterea uidendum est, an πάθος in differentia posuerit: Omne enim πάθος quando intenditur ex statu suo naturam dimouet, quo ex genere non est differentia. Magis enim statum eius, cuius est differentia, conseruat, neque fieri potest omnino, vt sine sua quicquam differentia permaneat. Sublato enim bipede, esse homo nullo modo potest. Quibus autem commutatur, id in quo ea sunt, eorum nihil illius differentia est, quandoquidem omnino eiusmodi intenta, naturam è suo statu dimouent. Quapropter, qui talem aliquam differentiam dederit, in eo peccauit, quoniam differentijs commutari non solemus.

Vt non locus, ita nec πάθος differentiæ rationem habebit, propterea quòd πάθος accidens est, quo substantia subinde alteratur, & quod si maxime sit auctum & exuperans, aboleri & perimi οὐσίαν contingat. At differentia non est, quod cum maxime sit, rem minimè esse eueniat. Sine differentia enim sua nihil potest subsistere, qua existente, omnino necesse sit rem ipsam esse, cuius est differentia, ut si bipes sit, hominem esse oportebit. Quicquid ergo istorum est quibus alteratur substantia, horũ nihil differentia esse queat, ut sunt patibiles qualitates, quib. generantur, atq; item intereunt substantiæ rerum, ipsis nihilominus permanentib. qualitatibus. Enimuero nulla alia est causa, quòd res non sit, quàm motus, quo nimirum secundum qualitates illas res naturales moueri contingit, atq; etiam mutari, siquidem autore Aristotele πᾶσα μεταβολὴ ἐκστατικὸν φύσει. Πάθος igitur quo magis intenditur motu, eo magis de statu suo periclitatur substantia, ut hac de causa calidum & humidum non sint, quib. substantia sanguinis definiri debeat, nec siccitate & calore bilis flaua, eodem modo cœteri humores: propterea quod his Qualitatib. magis ac magis amplificatis, speciem illorum humorum necesse est perimi. Proinde non modo sanguis, sed etiã reliqui humores, πάθεσι non legitimè finiuntur. Galenus sanguineũ humorem mediocritate quatuor Qualitatum primarũ, non exuperantia duarum, caloris scilicet & humiditatis definiendum censet. Suam quidem habet συμμετρίαν sanguis, & mediocre temperamentum,

mentum, quod tamen habitu substantiæ ipsius, non Qualitatibus sit definiendum, cum alioqui suam quoque symmetriam absolutam habeat quiuis aliorum humorum, quos exuperantiis duarum Qualitatum rectè definiri Galenus non negat, comparatione nimirum, & respectu sanguinis. Comparatione hac potest etiam sanguini duarum qualitatum, nempe caloris & humiditatis exuperantia (definita scilicet habitu naturali) adscribi, quemadmodum exuperantia caloris & siccitatis nō indefinita, sed potius determinata naturali habitu, potest, et debet attribui bili, ut eadem in cœteris quoque ratio ualeat. Nam si indefinita πάθη hæc respiciamus, tam non potest bilis definiri exuperantia suarum qualitatum, quàm sanguis non potest suis qualitatibus exuperantibus definiri. Non minus enim exuperantia qualitatum, bilis habitum & speciem naturalem corrumpit, quàm sanguinem sua perimit: ut ratio ualeat eadem in omnibus humoribus, quam duntaxat sanguini Hippocrates non rectè adhibuisse uidetur Galeno, & ob id à sententia deflexisse Hippocratis, qui sanguinem non temperatum, sed calidum & humidum esse pronunciauit. Argumento huius loci oppugnat Arist. eos, qui definiunt Animam esse substantiā, quæ ipsa sese moueat. Priuari, inquit, hac differentia, non constitui substantiam Animæ oportebit. Motus enim pristinum statum tollit, qui si fuerit in substantia, eā mutans scilicet, non patitur esse & subsistere. εἰ πᾶσα κίνησις ἐστὶ τοῦ κινουμένου ἡ κίνησις, καὶ ἡ ψυχὴ ἐξίσταιτο ἂν ἐκ τῆς οὐσίας εἰ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς ἑαυτὴν κινεῖ, ἀλλ᾽ ἐστὶν ἡ κίνησις τῆς οὐσίας αὐτῆς καθ᾽ αὑτήν. Latißimè patet error ille in rationib. et disputationib. Heracliti ac Protagoræ, quorum ille essentiam rerū euanescentia perpetuo πάθη rerum esse dixit: hic scientiam nihil aliud, quàm sensiones esse opinatus est, quib. neminem hallucinari arbitratus est, propterea quòd quæque res, pro eo ut esset, ita sensum nostrum pelleret & afficeret. Autoribus his nulla erat ullius rei definitio, qua aliter se non posse habere res nosceretur: quorum dogmata, quo melius iutelligantur, ex Platonis Phædone afferam nonnulla: illic enim de Heraclitiis sic scriptum reliquit. οἶσθ᾽ ὅτι τελευτῶντες οἴονται σοφώτατοι γεγονέναι τε καὶ κατανενοηκέναι μόνοι ὅτι οὔτε πραγμάτων οὐδὲν ὑγιὲς, οὐδὲ βέβαιον, οὔτε τῶν λόγων ἀλλὰ πάντα τὰ ὄντα ἀτεχνῶς ὥσπερ ἂν εὐρίπῳ ἄνω καὶ κάτω στρέφεται, καὶ χρόνον οὐδένα ἐν οὐδενὶ μένει. Idē in Crat. Λέγει που

ἡράκλειτος ὅτι πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα λέγει, ὡς δὶς εἰς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης. *Praeterea in Theaeteto, quonam modo Heraclitus & Protagoras opinione sua sustulerint è medio finitionem rerum sic scribens ostendit.* Σω. ἐγὼ μὲν ἐρῶ καὶ μάλ' οὐ φαῦλον λόγον, ὡς ἄρα ἓν μὲν αὐτὸ καθ' αὑτὸ οὐδὲν ἐστὶ, οὐδ' ἄν τι προσείπῃς ὀρθῶς, οὐδ' ὁποιονοῦν τι, ἀλλ' ἐὰν ὡς μέγα προσαγορεύῃς, καὶ μικρὸν φανεῖται, καὶ ἐὰν βαρύ, κοῦφον, ξύμπαντα δὲ οὕτως ὡς μηδενὸς ὄντος ἑνὸς μήτε τινὸς, μήτε ὁποίουν, ἐκ δὲ τῆς φορᾶς τε καὶ κινήσεως καὶ κράσεως πρὸς ἄλληλα γίνεται πάντα, ἃ δή φαμεν εἶναι οὐκ ὀρθῶς προσαγορεύοντες, ἐστὶ μὲν γὰρ οὐδέποτ' οὐδέν, ἀεὶ δὲ γίγνεται. *Hac ratione fretus Heraclitus quidem in rebus nihil inesse ueri, nihil cognosci, Protagoras autem omnia uera, ac neminem decipi & falli opinatus est. Vnde nata sit opinio haec, & qua similitudine ueri introducta sit, Aristoteles Metaphysicae li. γ. sic scribens explanat,* τὰ ὄντα ὑπέλαβον εἶναι τὰ αἰσθητὰ μόνον. ἐν δὲ τούτοις πολλὴ ἡ τοῦ ἀορίστου φύσις ὑπάρχει καὶ ἡ τοῦ ὄντος οὕτως ὥσπερ εἴπομεν, διὸ εἰκότως λέγουσι, οὐκ ἀληθῆ δὲ λέγουσι, οὕτω γὰρ ἁρμόττει μᾶλλον εἰπεῖν ἢ ὥσπερ Ἐπίχαρμος ὁ Ξενοφάνης. ἔτι δὲ πᾶσαν ὁρῶντες ταύτην κινουμένην τὴν φύσιν, κατὰ δὲ τοῦ μεταβάλλοντος οὐδὲν ἀληθευόμενον, περί γε τὸ πάντως πάντῃ μεταβάλλον οὐκ ἐνδέχεσθαι ἀληθεύειν. ἐκ γὰρ ταύτης τῆς ὑπολήψεως ἐξήνθησεν ἡ ἀκροτάτη δόξα τῶν εἰρημένων ἡ τῶν φασκόντων ἡρακλειτίζειν, καὶ οἵαν Κράτυλος εἶχεν. ὃς τὸ τελευταῖον οὐδὲν ᾤετο δεῖν λέγειν ἀλλὰ τὸν δάκτυλον ἐκίνει μόνον καὶ Ἡρακλείτῳ ἐπετίμα εἰπόντι δὶς τῷ αὐτῷ ποταμῷ οὐκ ἐστὶν ἐμβῆναι. αὐτὸς γὰρ ᾤετο οὐδ' ἅπαξ. *Perspicuum est ex his quae sunt dicta,* πάθη *non esse partem essentiae rei, iisque non quid sint, sed quomodo generentur & intereant naturae rerum explanari. Determinantur porro haec (utpote indefinita) Specie Substantiae, qua res uerè & simpliciter est, eaque determinatio in patibilibus qualitatibus appellatur habitus, quo motus scilicet eorundem certo quodam dispensantur modo, ut interim ipse habitus sit immobilis, ac nihilominus motuum, quos gubernat, gratia: mutabilis existat, ut sanitas est, & morbus in animali. Illi enim habitus per se non magis & minus participant, carentque infinitate hac* παθῶν: *cõtinent tamen illas res earumque motiones quibus infinitio haec inest, quarum causa res pati, moueri, & affici, dicuntur, & suapte natura mobiles atque indefinitae existunt. Ex quo par est intelligi, rem & naturam non esse* πάθος *suum, quare idipsum*

quoque

quoq; differentia nequit esse, quoniam quò magis fit, eò propior est interitus aut ipsius habitus, aut etiam ipsius essentiæ atq; Substantiæ rei. De remißione nihil est quod quæras, quoniam nulla maxima remißio sine amplificatione alterius maxima esse potest, ut remißio non nisi secundum accidens rem uideatur perimere, propterea quòd remissæ ad temperandam exuperantiam nulla uis existat. Præterea sine differentia, eadem nequaquam res esse potest, cum tamen idem semper πάθος non existat, ut crasis eadem non est in corporibus & Substantiis iisdem (ea enim in animatis distinguitur ætatibus, & morbis) nihilominus tamen uita & anima permanet eadem. Huiusmodi qualitatibus permutatur Substantia in contrarium, nihilominus ipsa subsistens Specie eadem. Sed permutata & abolita differentia, ipsam quoq; desinere necesse est οὐσίαν. Ex his præterea quæ diximus, liquet, tametsi Species Substantiarum & habituum non sint, quibus res sit mobilis, ob id non mutantur tamen sine alteratione, autore Aristotele li. 7. Physicorum sic scribente. φανερὸν ὅτι οὔθ' αἱ ἕξεις, οὔθ' αἱ ἕξεων ἀποβολαὶ καὶ λήψεις ἀλλοιώσεις εἰσίν, ἀλλὰ γίγνεσθαι μὲν ἴσως αὐταὶ καὶ φθείρεσθαι ἀλλοιουμένων τινῶν ἀνάγκη. Quomodo igitur, ἀπορία. querat fortasse quispiam, definientur πάθη, quum suapte natura sint indefinita, nihil autem indefinitum compræhendi finitione poßit, propterea quòd actu nullo sint prædita per sese, quo rem tamẽ quamlibet intelligi oporteat? At magis & minus, infinitè diuidere πάθος λύσις. ipsum, tam est indubitatum, quàm maius & minus, indeterminatum quiddam & infinitum esse in quantitate, quæ per se & separatim considerans intellectus rem nimirum compræhendet infinitam. Respondemus, actum infiniti per se nullum esse. Quatenus enim ipsum per se dicitur esse, id ei propter notitiam accidit, qua δυνάμει scilicet γνωστόν, actu γνωστὸν appelletur, non quòd ipsius per se δύναμις permutetur in actum, sed in illum actum quo intelligitur & quo infinitum differre ab omni finito dici consueuit. Cœterum accidentia non seipsis, sed actu notionis differunt à quocunq; alio, ex quorũ numero est infinitum quoq;, quod definitione exprimitur, & percipitur intelligentia. Aristo. li. 6 Metaphy

LOCVS XXXVIII.

IAm si quis definiendo quod refertur, non constituerit differentiam, qua ad aliud aliquid referatur, errabit. Eorum enim quæ referuntur, tales etiam debent esse differentiæ quemadmodũ in scientiæ ratione usu uenit. Nam ea & Contemplatrix est cuiusdam, & Factrix præterea cuiusdam, & item Actrix.

Tam nihil est absolutum in rebus, ut ferè omnia uel partiũ suarum (quibus constituitur essentia) uel accidentium suorũ gratia referri uideantur ad aliud. Relatis essentiæ partibus fit unum per se, compositumq; absoluta quædam est οὐσία. Alijs relatis secundum accidens partibus (ut habitus si referatur ad habens, & Symmetria: ad id cuius est) constituitur unum per accidens. Et hoc quidem Genere utroq; relatorum, quæ referuntur inter se, unum numero constituunt. Alijs relationibus omnibus res numero discrepantes comparantur, quarũ fundamentum & terminus (ut uulgo scholæ loquuntur) partes rei, quoad est essentia una & composita, esse nequeunt. Sed inquies: Relatio cum sit accidens, quonam pacto pars essentiæ et definitionis esse poterit in rebus partes relatas secundum essentiam habentibus? qualis est δυνάμεως & ἐντελεχείας relatio in materia & forma Substantiæ naturalis, item generis & differentiæ ἐν νοητοῖς, quarũ rationes necesse sit respectibus explicari, qui, ut dixi, uidentur esse ex numero accidentium. Respondemus, tametsi Substantia omnis sit ipsum per se & absolutum quiddam, quam Aristoteles trifariam in materiam, formam, & compositum, distribuit: nihilominus ratione compositi partes absq; relatione non possunt definiri, quæ tamen relatio non sit accidens sed pars definitionis, nempe differentia, Nequaquam autem sit absurdum, id quod alioqui sit accidens, certo modo determinatum fieri differentiam. Vt duo, & fissum esse, accidentia sunt, sed determinata pede, ut bipes & fißipes, differentiæ sunt pedati. Haud longè secus, δύναμις & ἐντελέχεια, sunt relata uocabula secundæ speciei huius Generis: ueruntamen definienda Substantia materiæ, aut formæ, additamento quodam differentiæ rationem obtinent. Vt Materiam si quis finiat esse subiectum mutationis

Differentia hæc relatorum est in quarto libro Topicorum.

ἀπορία.

λύσις.

secundum

secundum ἐντελέχειαν. Aut subiectum primum capax ἐντελεχείας. Et formam hoc modo, ut sit perfectio rei nascentis, seu materiæ, particeps quatenus est ἐντελεχείας Substantiam constituentis. Proinde ut sine differentia sua nequit esse Substantia, ita absq; relatione, illæ nō possunt esse differentiæ, cum nec sine forma sua subsistat materia, nec forma sit absq; materia. Tum enim materia est (non equidem fientis, sed existentis Substantiæ) quando δύναμις actu, respicit ἐντελέχειαν actu existentem, simulq; tempore sunt. Et ut forma, quæ est ἐντελέχεια, nec prior est nec posterior essentia compositi sed simul: ita necesse est proximam nascentis rei materiam, esse simul ac simul perire etiam, cum forma & composito, quandoquidem ut scribit Aristoteles, ἑκάστου ἡ ἐντελέχεια ἐν τῷ δυνάμει ὑπάρχοντι καὶ τῇ οἰκείᾳ ὕλῃ πέφυκε γίνεσθαι, & μεταβολαὶ præterea formarum eueniant momento temporis. Proinde ut respectu compositi, materia & forma finiuntur referendo ipsas ad aliud, ita per se consideratæ nullam causam habent suæ essentiæ aut unitatis (quemadmodum ex iis compositæ res) sed semetipsis sunt ὅπερ ὄν, & ὅπερ ἕν. Simplicissima enim sunt, ac uacant materia, ut necesse non sit aliquam essentiæ & unitatis ipsorum causam existere. Quo in Genere etiam sunt prima Genera, & differentiæ, quibus tanquam materia & forma constituuntur definitiones. Quorsum hæc, inquies, paulo longius quàm par uideatur, repetita pertinent? Eò nimirum, ut intelligamus definiendis & cognoscendis rebus non idem omnibus esse propositum. Aliter enim contemplatur τὰ ὄντα primus, aliter secundus Philosophus, id est, Physicus, aliter postremo Artifex. Ac primus quidem Philosophus, seu Metaphysicus, cognoscit eas nullo respectu, sed simpliciter & quatenus ὄντα, seu ὅπερ ὄντα, quæ nimirum rationem primorum ac minimè compositorum obtinent. Physicus propemodum eadem cognoscit, sed causas & principia definiendo, respectum adhibet eorundem ad effectus, nec quatenus ὅπερ ὄντα, sed quoad sunt mobiliū rerum causæ, uel effectus contemplatur. Artifex deniq; non absolutè etiam naturas rerū considerat, sed aliorsum respicit quàm Physicus, nempe ad finē quendam earū, qui nimirum describatur quodam usu, et operis cuiusdam præstatione, cuius extremū sit non cognitio, sed effectus quidam. Quo

Aristo.li.8 Metaphy

Aristo.li.2 de anima.

Aristo.li.8 Metaphy in fine.

circa neuter istorum res suas absq; respectu definiet, siquidem absolutè ut dictū est, non considerant τὰ ὄντα, uerum alter ad effectus naturæ, quibus causis fiant aciem mentis conuertit, alter ad eos effectus, quos ipse præstare queat, animum aduertit, non tam scientia, quàm coniectura rerum, quas tractat, fretus, Ex his, quæ diximus, liquet, tantum in his discriminis esse absolutè, uel cum respectu consideratis, ut etiam toto genere disciplinæ & tractationis differant. Siquidem multa tractantur eadem à Physico & Medico, quorum tamen ille considerat absolutè naturam, hic uero, quatenus ad curam referuntur corporis humani. Idem facit Physicus respectu Metaphysici, qui rerum οὐσίας absolutißimè cognoscit. Physico autem omnes causæ, respectu quodam determinatæ finiuntur, etiam si alioqui sint separatæ penitus, aut separabiles λόγῳ, ut species est hominis, aut corporis cœlestis forma, quas tamen non ut absolutas, sed quatenus causæ alicuius rationem habent, cognoscit. Proinde ne quis dubitet, uere & consentaneè ista dici, Aristotelis hac de re dicta & scripta quædam commemorabimus. Quale illud est in secundo libro φυσικῶν ubi sic scribit. Μέχρι δὴ πόσου τὸν φυσικὸν δεῖ εἰδέναι τὸ εἶδος, καὶ τὸ τί ἐστιν; ἢ ὥσπερ τὸν ἰατρὸν νεῦρον, ἢ χαλκέα χαλκὸν, μέχρι του. τινὸς γὰρ ἕνεκα ἕκαστον. καὶ περὶ ταῦτα ἅ ἐστι χωριστὰ μὲν εἴδει, ἐν ὕλῃ δὲ, ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ καὶ ἥλιος, πῶς δ' ἔχει χωριστὸν καὶ τί ἐστι, φιλοσοφίας τῆς πρώτης τὸ ἔργον. In eandem sententiam de discrimine scientiarum dicuntur & scribuntur nonnulla Metaphy. li. κ. Illic formam definiri à physico scribit, non ut cauitatem, sed ut simum, id est, non quoad absolutè, sed quatenus in sua quadam materia species inest, considerari. Φανερὸν οὖν ὅτι καὶ σαρκὸς καὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ τῶν λοιπῶν μορίων μετὰ τῆς ὕλης ἀεὶ τὸν λόγον ἀποδοτέον. Plæraq; igitur Physicorum cum relatione quadam ad aliud sunt definienda. Non enim absolutum quiddam sunt, ut uerbi gratia, Natura, Elementum, Efficiens, Finis, materia, forma, & si quæ sunt his similia. Metaphysicus hæc, ut ὅπερ ὄντα, & tanquam principia per se contemplatur. Physicus non per se, sed propter demonstrandos effectus horum finitiones considerat, non enim contemplatur propria πάθη τῶν ἁπλῶς, sed τῶν ἐκ προσθέσεως ὄντων. Veruntamen principia quoq; his expressa uocabulis, definiuntur differentijs relatis, quandoquidem ferè sit nihil, quod

Quomodo res easdem considerat Physicus & Medicus.

quod

quod non aut habeat, aut habeatur ab aliquo, ἐπεὶ ἡ στέρησις, inquit Aristoteles, ἐστὶν ἕξις πως, πάντα τῷ ἔχειν εἴη ἄν τι. Naturam igitur nemo nescit quin respectu quodam sit finienda. Materiam autem respectu formæ definiri author est Aristoteles in secundo libro φυσικῶν, quam dicit esse πρός τι. ἄλλῳ γὰρ εἴδει ἄλλη ὕλη. Cætera quæ diximus, respectu aliorum finiri, superuacaneum sit probare, nec sunt idcirco ipsa per se relationes (ut supra diximus) sed ἴδια quædam, quarum differentias determinari necesse sit relationibus quibusdam. Ac multo magis quæ per se referuntur, definienda erunt & genere & differentijs ad aliud relatis, de quibus aliâs dicturi sumus, & nunc dicemus etiam. Per se refertur scientia, eam si quis finiens, dixerit esse appræhensionē rerū agendarum, pro differentia nimirum alienum ipsi respectum adiunxerit. Eius enim est quod respicit ἐπιστητὸν scilicet, & non πρακτόν. Etenim species scientiæ, ut θεωρητικὴ πρακτικὴ, ποιητικὴ, quælibet ad rem dißimilem alij refertur, ut θεωρητικὴ ad θεωρητόν, & ποιητικὴ ad ποιητόν, & πρακτικὴ ad πρακτόν. Harum rerum discrimina uocantur, quoad ipsæ etiam res quæ sunt termini relationum, suas habent energias, quas respectu mouentis cuiusdam intelligi oportet. Vt ποιητὰ sunt, quorum principium motionis non est in ipsis, sed in faciente, & πρακτὰ item, sed alio quodam modo. Quod si principium motus (ut in naturalibus) non in cognoscente est, sed cognito, id scilicet θεωρητόν erit, non autem πρακτόν aut ποιητόν. His differentijs Arist. Meta. li. κ. Physicῶn probat θεωρητικήν, non autem πρακτικήν esse, aut ποιητικὴν ἐπιστήμην, quæ & ipsæ motus quosdam considerent. Repræhendit itaq; locus hic definitiones, quæ respectu alterius res definiendas relatis ad idipsum differentijs non exprimant. Vt si quis animam humanam actum esse definiat organici corporis. Non enim id dixit subiectum, quod informationis gratia proprie respicit speciē hominis. In causarum respectibus præcipit Aristoteles, progrediendum ad proximas cum effectu iunctas, quas ipse ἀκρότατα αἴτια. Græci aliâs appellant προσεχεῖς αἰτίας, Latini, ut Cicero in libello de Fato, continentes, & efficaciter antecedētes, appellant. Mutilata hac finitione probari μετεμψύχωσις Pythagoreorum posset, siquidem in genere, corpus organicum, subiectione sua refertur ad animam humanam. Ergo non simpliciter, sed

Meta. 8.

Arist. li. 2. Physi.

suo quodam modo organicum est, ad quod anima hominis refertur informationis suæ gratia. Quod in suprema & perfectißima naturæ specie Pythagoreis, idem in materia corporum mixtorum: nempe Elementis euenit nonnullis, ut ipso nimirum etiam non legitimo respectu definierint. Etenim quatenus Elementa sunt, non formis substantiarum, sed qualitatum primarum differentijs, quarum uis et natura contagionib. mixtionibusq; mutuis describitur, erit definienda. Actiones hæ, perpeßionesq; Elementi naturã definiunt, quarũ causa sunt minimũ et primũ in compositione, itemq; dissolutione mixtorũ, ultimum, quo nimirum referenda est omnis natura & uis Elementi, Siquidem autore Arist. quoad substantiæ sunt non dicuntur Elementa, sed propter δυνάμεις illas qualitatum, ᾗ μὲν ὂν πῦρ, καὶ ᾗ γῆ, οὐδέτερον πέφυκε ποιεῖν ἢ πάσχειν. Quod non animaduertens Auerroes, mirũ non est, si hallucinatus fuit in eo, q̃ censuit species (quæ sunt substantia) Elementorum non permanere in mixtionib. integras, & easdem quodammodo medias esse inter formas, q̃ accidunt, & eas, quib. subsistat essentia rei. Definitione porro, quonã referenda sit Iustificatio, litigant nostri temporis Theologi. Sunt nonnulli hac opinione, ut putent Deũ esse, quoad inhabitet in nobis spiritu suo, iustificationem nostram. Alij nõ hanc nostram, id est, christianam Iustitiam esse dicunt (ut quæ appellanda sit æterna iustitia potius, q̃ Iustificatio) sed remißionem peccatorum, & imputationem perfectæ iustitiæ, quam exerceat in nobis Iustificationem instrumento fidei, Spiritus Dei sanctus. Et hanc appellant & christianam, & fidei Iustitiam. Profecto posteriore respectu rectius, quàm priore Iustificatio uidetur definiri, atq; ἀκρότατον αἴτιον in Iustitia Christiana, Fides, sed in Iustitia æterna (qua fides abolebitur) Deus rectè Iustitia nostra esse dicitur, Tametsi autem utroq; iustificemur, & quoad uidelicet propter fidem nos respicit Deus, & quatenus participes sumus Spiritus Dei, charitate nos iustificantis: uis tamen charitatis (quæ nimirum perfecta erit in uita & Iustitia æterna) non tanta est, ut præponderet merito fidei, quæ est quasi radix Iustitiæ nostræ, quæ nimirum perfectionem aliam desiderat, nempe fructus æternæ Iustitiæ, qui sunt adhuc in hac caduca uita inchoati, & crudi quodammodo ac decidui.

Elemẽtum definitur Relatione.

QVO

QVO igitur iustificamur, perinde duplex est, atq; id QVO uiuimus, quod geminum esse ostendit Aristot. libro secundo de anima. Alterum esse, quod describatur respectu habilis subiecti, quod nimirum est corpus animatum ritè formatum, & qualitatib. omnium partium conuenienter temperatum, in cuius cognitione, conseruatione & cura, uniuersa ars Medica est occupata. Alterum uerò, princeps est causa, nempe anima ipsa, quæ nimirum uitæ functiones omnes administrat in corpore, sed non absq; prioribus facultatibus & instrumentis corporei Habitus. Itaq; quod ad curationem & conseruationem pertinet uitæ caducæ, quo uiuimus, potior causa corporis habilitas, quam anima erit. Hæc similitudine quadam transferri possunt ad superius commemoratũ problema, quod deinceps Theologis discutiendum relinquo: sed hac lege, ut quandam adhibeant dialecticam, ne uera confundant falsis. Sed omißis illis, quorũ hypotheses sacris fundatæ sunt literis, physicis quibusdam exemplis locum hunc illustrare conabimur. Ac primum quidem pleraq; omnia, quid sint, apud Physicos definiuntur δυνάμεσι seu facultatibus certo aliquo subiecto determinatis. Quoniam in rebus Physicis nihil est simplex, & quod non aliud quiddam, quasi respiciat, siquidem actio passioq;, quib. hæ res finiuntur, inter se comparatis quibusdam & relatis conuenire soleant, ratione quadam naturæ ipsorum propria & peculiari. Quæ nimirum considerantur à Physicis absolutè: à Medicis autẽ & opificibus (ut antea dictum est) hoc respectu, quo cuiq; opus est ad sui operis effectionem. Illi enim, non quæuis & facultas naturarũ in uniuersum sit, perpendũt, sed duntaxat quoad inseruiunt usui et necessitati sui (ut ita loquar) opificij. Faber equidem sui operis respectu causas omnes perspicit, cui formæ quæ materia quadret, perpendens. Medicamentorum uires & facultates Medici, quoad nimirum sunt salutares, & opem ferunt afflictis morbo corporibus, definiunt. Nec corpus, quatenus substantia animata est, contemplantur, sed quoad temperatum est suis quibusdam qualitatibus, & quatenus ægrum aut sanum propter temperationem hanc esse solet. Itaq; cògnoscendis Medicamentorum, isto modo uiribus & facultatibus, in experiundo plurimas adhibendas cautiones (ad aliud nimirum relatis rationi-

 bus)

bus) Galenus admonet, alioqui finitiones plurimum errorum habituras, atq; omnino medico artifici futuras inutiles. Capita quib. distinguenda hæc sint & internoscenda, hæc ferè sunt. Primum, per se, an ratione accidentis uis quædam tribuatur medicamento. Deinde, actune an potentia efficax sit. Tertium, sua ne, an aliena atq; aduentitia qualitate quidpiam efficiat, Quartum, & si ui sua, respectu cuius patientis, & quo gradu item. Sed ut hæc diligenter obseruando & experiundo magis cognoscuntur, ita plus ingenij et solertiæ philosophicæ desiderant finitiones, quoad uidelicet à Physico cõsiderantur naturæ rerum, qui uidelicet, quid res quæq; sit, non usu & fine cuiusdam operis, sed absoluta naturæ ratione describit. Notitiam illam perplexam faciunt Accidentia, quorũ causa sæpenumero idem contrarias uidetur habere facultates. Quibus factum est ut cùm de alijs, tum præsertim de aceto & oleo, tam diuersa sentirent autores, quorum controuersias scriptas reperies apud Galenum in libro de simplicium medicamentorum facultatibus. Quòd si Substantiam, id est, naturam illorum uidere acie mentis posset quispiam, proprietatum & accidentium scilicet nulla ipsum ratio fugeret, αὕτη γὰρ ἂν ὀφθεῖσα ἡ φύσις (ut Aristoteles ait) ἅπασαν ἔλυσεν αὐτῶν ἄνοιαν. Veruntamen quanta sit ignorantia, & quàm difficilis harum rerum notitia, declarat id: quòd sensu notißima, quomodo sint distinguenda rationibus aut explananda, ferè nescimus. Verè enim id possum dicere, & difficultatem hanc uerbis exaggerare eisdem quibus eam exaggerat Aristoteles quodam in loco scribens εἰ τοσαύτην τὸ θερμὸν καὶ ψυχρὸν ἔχει ἀμφισβήτησιν, τί χρὴ περὶ τῶν ἄλλων ὑπολαβεῖν; Id est, Si tanta est de calido & frigido altercatio, quid erit statuendum de reliquis? Quid calido, sensu notius? at eius tam est obscura ratio & definitio, ut admodũ intelligatur à paucis. Argumẽto istius loci eam sic interpretabor, ut interim locus quoq; ipse, quam uim habeat, explicatione definitionis istius cognoscatur. Prius tamen quàm institutum exequar meũ, de quibusdam quæ ad omnia Physica definiẽda pertinent, admonebo. Formæ, itẽ materiæ suæ finitione Physica intelligũtur sic, ut quæ propriæ agendi uires in forma, quæ facultates patiendi in materia insint, definitionibus earum intelligamus. Verbi gratia partes

omnes

omnes definitionis formæ Absynthij propriam uim quandam habent informandi materiam absynthij. Ac præterea eisdem quoq; materia, paciendi facultates quasdam obtinet, quibus differentiæ eius describantur, quoad nimirū ab omnibus alijs discrepat materijs. Quas tamen cum formæ tum materiæ partes, haud scio an exquisita ratione & definitione quispiam poßit complecti. Herbarum differētias et species qui describunt, ferè figuris qualitatibusq; eas definiūt: Atqui earum species sic interdum nobis imponunt, ut tum etiam quando non sunt, eas esse putemus: tantum abest ut his uel formam uel materiam stirpium ritè & propriè definiri sit existimandum. Neq; enim uerè absynthium est, quod uiriditatem, et uigorem seu uegetatricem speciem amisit: nec porro materia ipsius προσεχής manet eadem, siquidem non poßit reuirescere, & quam, forma non superstite, perire sit necessarium, perinde re comparata ut in mortuo animalis corpore, quod uulgus iam non animal, sed cadauer appellat. Ac nihilominus tamen, propter speciem in māteria, sunt generatæ qualitates nonnullæ ratione temperamenti cuiusdam, quibus herbæ interdū propter efficatiam uidentur admirabiles, quas perempta Substantia earum, necesse tamen non sit aboleri, permanentibus nimirum alijs etiā quibusdam communibus qualitatibus è temperamento primarum natis & procreatis. Iam igitur absynthium illud dicitur quod non est, sed tanquam reliquiæ sunt eius quod fuit absynthium. Multo id magis nos latet in rebus quæ à prima materia (quæ ratione ignotißima est) propius absunt, quorū, ut Aristoteles ait, λόγοι ἥκιστα ἐστὶν ἀκριβεῖς. Omnium uero euidentißimè id noscitur, cuius species plures habet proprias energias, materia aūt ad paciendum, respectu suæ formæ, plurimas obtinet facultates & δυνάμεις. Sed de his dictum satis, nunc ad explicationem definitionis caloris me confero. Definiens illum Aristoteles ait esse συγκριτικὸν τῶν ὁμογενῶν. Qualitatis istius differētias nemo non intelligit exprimi relato uocabulo. Quis tamen nescit συγκρίνειν speciem esse actionis, & significare unitatem quandam, qua ex multis fiat unum quid? Verum ὁμογενὲς, materiæ ratione, quid sit, intelligitur. Vis porro hæc & efficatia est caloris propria quarto modo PER SE: nam propter calorem ignis, quatenus est ele- Quid calor

mentum, hanc habere dicitur efficatiam. Non enim Substantiæ gratia, sed qualitatibus & δυνάμεσι corpora hæc sortiuntur appellationem elementorũ, siquidem autore Aristotele, qualitates illæ sunt ἀρχαὶ φυσικῶν στοιχείων. Caliditas itaq; quatenus Elementi forma & species est, non definienda est quatenus ex ipsa uel propter ipsam generatur elementum, ut ignis uel aër, sed quoad ex ipsa, uel propter ipsam, fiunt mixta, ad quæ elementorum ratio refertur. Ergo laxare & extenuare, differentiæ non sunt ignis, quibus ipsius cõstituenda sit finitio, ut hoc maximè propriũ esse ignis Galeno concedamus, quemadmodum frigoris est proprium condensare, & astringere, quoniam in elementis etiam iste energeíæ locum habent, ut ijs nimirũ elementa quoq; generentur. At elementis quatenus elementa, non simplicia, sed mixta, ut diximus, generantur corpora. Non ergo ad materiam simplicium uis hæc referenda, sed ad materiam mixtorum, quæ nimirum est quatuor elementorum concretio. Proinde in mixto considerantur duo, Forma nimirum essentiæ, & mixtione primarum qualitatum temperata materia. Cœterum quoad ex elementis mixta est materia, contingit aliâs ex ipsis unum per accidens fieri, aliâs autem in unius Substantiæ speciem quandam coalescere, quam appellamus mixti formam, qua rem essentia formæ unã esse dicimus, non tantum mixtione & secundum accidens unam. Sine hac specie, mixtum nihil aliud est quàm confusa qualitatibus inter se elementa, quæ secundum accidens ita coustituunt unam Substantiam, pro eo ut aceruum lapidum, aut frumentorum, unum dicimus. Nec confusio hæc à quauis alia corporum aggregatione differt, quàm diuturnitate cohærentiæ, qua nimirum propter actionem & paßionem mutuam arctius cohærent elementa: & ut dissoluantur rursus, longiore opus est tempore, quo reliquiæ caloris extinctæ per putredinem, in causa sunt deinde, ut coagmentatum penitus dissoluatur. Eodem calore, congeries hæc & massa elementorum concrescit in unam speciem Substantiæ, motu nimirum συγκρίσεως, quo calor præcipuum ortus & conseruationis rerum est instrumentum. De mixtis elementis in rebus non efformatis specie una quadam Substantiæ, quòd his unum

Vnum per accidens, item unum per essentiam fit ex elementis.

secundum

ſecundum accidens conſtituatur, & quòd item inſtrumento caloris unum quiddam per eſſentiam fiat, Ariſtoteles Metaphy. li 5. docet, ſic ſcribens. Loquitur autem de forma Subſtantiæ, quam ſeparari, ut nihilominus ſuperſit alia quædam Subſtantiam conſtituens Species, negat. ὅταν δὲ χωρισθῇ, καὶ τότε ὄντα ὡς ὕλη πάντα, καὶ γῆ, καὶ πῦρ, καὶ ἀήρ, οὐδὲν γὰρ αὐτῶν ἕν ἐστιν, ἀλλ' οἷον σωρὸς πρὶν ἢ πεφθῇ καὶ γένηταί τι ἐξ αὐτῶν ἕν. Id eſt. Quando autem ſeparata fuerit Species, tum ſunt omnia reliqua nihil aliud quàm materia, nempe terra, ignis, aër. Horum enim nihil unum eſt, ſed unum ſunt: ut aceruus lapidum, priusquam concoquantur & ſubigantur & fiat ex ipſis aliquid, Unum. Itaq; calor inſtrumentum eſt naturæ: quo ex multis coaleſcentibus in unius ſpeciem Subſtantiæ, per σύγκρισιν fit materia una. Per ſe quidem in unum contrahit calor, ſed per accidens ſeparat, ἡ μὲν σύγκρισις καθ' αὑτό ἐστιν. τὸ γὰρ συνορίζειν καὶ ἑνοῦν, τοῦ πυρός. ἡ δὲ διάκρισις κατὰ συμβεβηκός. συγκρῖνον γὰρ τὸ ὁμόφυλον ἐξαιρεῖ τὸ ἀλλότριον. Ratio hæc eſt formæ caloris, nunc peculiaris Materia ipſius efficientiæ obnoxia quæ ſit conſiderandum. ὁμογενῆ porro materia ſunt, quoniam eo coaleſcunt naſcentibus rebus multa in unam ſpeciem. Ea ſunt hac conditione & natura prædita, ut actione & perpeßione mutua, uel unum ex alio generetur, uel omnia ſic ſint comparata & affecta, ut ex ipſis non abolitis fiat aliquid unum mixtum, uicißimq; in hæc multa poſtea diſſoluatur. Elementa quidem, poſteriore modo, reſpectu caloris appellantur ὁμογενῆ, cauſa mixtionis ſcilicet, διὰ τὸ (ut inquit Ariſtoteles) κινεῖν κινούμενα τὰ ὁμογενῆ, quibus ſuo quodam modo alteratis, mixti Species naſcitur una. Secretiones uero ſeu διακρίσεις quædam non impediunt, quo minus calor ſit συγκριτικός. Quo enim ex partibus ſuis geminis coaleſcat naſcens Subſtantia, et ut perfectè generari poßit, ſecretione inutilium, & illarum, quæ concoctionem impediunt, reliquiarum ſeparatione opus eſt, quæ nimirũ accidit concretioni, qua Subſtantia mixta naſcitur. Hac mirum in modum partes quoq; dißimiles naſcuntur in mixtis ἀνομοιομερέσι, quæ non ſunt minus atq; ipſa elementa, totæ per totas alias diffuſæ, quæ ſeparari licet poßint (ut lactis partes) ſeparatim tamen non gignuntur. Unum igitur illud ſic

Ariſto. li 3 de cœlo.

mixtum, continere ἑτερογενῆ, quamuis natum ſit ἐκ τῶν ὁμογενῶν, dicere quid probibet? Siquidem ἑτερογενῆ ſunt, quorum unum in aliud προσέχοντα ἕνεκα τῆς ὕλης non mutatur. Neq; enim Caſei materia eſt butyrum, nec butyrum ſeri, ſed tum quando lac naſcitur, illa quoq; gigni eſt neceſſe: quippe lactea ſpecies cùm ſit horum principium. Frigus contraria eſt efficatia, quoad nimirum Elementi differentia eſt. In cauſa enim eſt frigus, ut mixtum non ſit unum ſpecie, ſed ἀλλόφυλα contineat, id eſt talia, è quibus, cauſa caloris, aliquid ſecundum naaturam unum ſpecie poßit naſci. ἀλλόφυλον enim uocabulum compoſitum eſt ex uocabulo φύεσθαι, tanquam ſi dicas, in mixto propter frigus eſſe, ex quo aliud, & perfectum, & unum, cauſa caloris poßit naſci. Ut uerbi gratia. In crudo Phlegmate, frigoris cauſa, ſi non permutetur in ſpeciem ſanguineam, ineſſe dicimus ἀλλόφυλα, tanquam ἄλλο π κατὰ φύσιν πεφυκότα γενέσθαι. Hæc ipſa quoq; ſunt ὁμογενῆ, quoad ſcilicet priuata ſunt motu & ſpecie, qua appellatur mixtum ſpecie & perfectione Unum, ſuntq; materia συγκρίσεως, propterea quòd actione & paßione mutua poßint in idem coaleſcere. Ac ὁμογενῆ quidem, quòd eandem habeant materiam, ſed ἀλλόφυλα, quia ex ipſis una quædam ſpecies naturæ & ſubſtantiæ fieri poſit, appellantur. Proinde quæ propter calorem ἑτερογενῆ concreta, una ſpecie mixti efformantur, illa nimirum ipſa genuino calore reſtincto, ſeparantur, ut lactis partes, quibus ſeparatis, ξυγγενῆ poſtea feruntur, & aggregantur ſuopte & naturali impetu unum in locum. Quamobrem frigus collectione ξυγγονῶν, quemadmodum calor collectione & συγκρίσει ὁμογενῶν, definitur. Huiuſmodi diſſolutio & collectio quoq; locũ habet, ſi penitus abolito genuino rei calore, quodуis Elementum ſuum in locum colligitur. Ex quo liquet, etiã Hippocratem ſimilarium partium generationem non rectè definiuiſſe in libro de Natura pueri: collectione nimirũ ſimilium particularũ ad ſimiles: dicit enim eam eſſe τῶν ξυγγενῶν πρὸς τὰ ξυγγονῆ φορὰν. Collectio enim hæc fit, ut dictum eſt, non calore genuino ſed eo reſtincto propter frigus euenit. Calor enim non ξυγγονῆ, ſed ὁμογονῆ colligit. Terra fertur ad terram, & dicitur ξυγγονεῖσθαι & ξυγγονὴς, non ὁμογονὴς autem, quoniam ex terra non fit terra, nec terra reſpectu terræ materiam obtinet. Exemplo illo facile apparet, quàm cautè & conſideratè ſit

circumſpiciendum

circumspiciendum, ne in definitionibus aliquid eò referamus, quò non sit referendum, cùm ferè in Physicis nihil sit, quod non ad aliud relatum definiatur: idem haud dubiè fit in reliquis.

LOCVS XXXIX.

ILlud etiam cōsiderandum est, vtrum, qui definit, adhibeat quoduis eorum, quæ respectu alterius intelligun tur, ad id, ad quod suapte natura pertinet. Sunt quidem nonnulla, quibus vti licet sic, vt duntaxat adhibeantur ad vnum, atq; id solum respiciunt, nec præterea aliud quicquam. Quædam vero sunt, vt eorum vsus etiam pertineat ad alia. Vt verbi gratia, uisu duntaxat ad videndum uti possumus. Gutturnio ad hauriendum quidem vti possumus, at nihilominus, si quis Gutturnium definiat instrumentum quo hauriatur aliquid, definiendo erit hallucinatus. Non enim ad id est suapte natura & propriè destinatum. Metienda autem cuiusq; rei propria vis, qua refertur ad aliud, iuditio eorum, qui tales res intelligunt, pro eo scilicet, vt propria quælibet ars et scientia usum illum definit.

Præcedente loco arguitur is, qui absolutè definit quidpiam, quod tamen respectu quodam ad aliud erat definiendum. Isto uerò præsente reprehenditur is, qui non accommodata eius relatione utatur, siquidem id, quod definitur, adhiberi ad multa, atq; in multis usui esse poßit, quib. tamen non omnib. ipsum sit definiendū, quum unius non sit nisi una definitio. Potest autem fieri, ut unius rei sint multæ utilitates, quæ non modo specie, sed etiam genere inter se differant, quarumq; una sine alia separatim ratio & definitio poßit ipsius, quod proponitur definiti, uideri. Nam quæ sic coniunctæ sunt utilitates, ut ad rem referantur eandem (quemadmodum benè legere et item scribere, ad Grammaticam: item, calefacere & nutrire uniuersum corpus, ad sanguinem) ea ne definitione quidem separari poßunt. Sed sunt nonnullæ aduentitiæ, & quæ ad essentiam rei definitæ non pertine-

ant, quas à definitionib. remouendas eſſe præſens admonet locus. Vtilitatibus compluſculis ſæpenumerò, per omnia cauſarum genera, res explicamus. Vt materia Animæ uegetatricis, quæ eſt Nutrimentum, ſi definiatur hoc modo, ut nimirum ſit, quo non modo uegetari poßit corpus, ſed etiam adoleſcere. Vegetatrix uero ipſa, quæ eſt forma, ſi hoc modo, ut ſit, quæ uim habere dicatur ad uegetandum, ad amplificandum corpus, nec non ad procreandum. In his, ſi quæ deſideratur utilitas (ut ſi quæ ſunt orbata facultate gignendi aliud) ea ſic affecta pro imperfectis numerantur, & ab Ariſtotele πηρώματα, in genere Animalium ſolent appellari. De finibus & efficientibus idem eſt iudicandum. Sua igitur et una ut eſt cuiuſq; rei natura, ſic actiones quoq; erunt & perpeßiones, ac præterea energiæ & uſus à quibusuis alijs diſcrepantes. Etenim determinata ad unum eſt quælibet cauſa, quod ſic accipiendū eſt, ut unum illud ſit & dicatur ratione eſſentiæ unius, non partium, quæ cōplures in una definitione eſſe poſſunt. Quòd ſi præterea quiddā aliud hac efficiatur cauſa, ut ſi Calor refrigeret, aut ſi lingua formetur ſermo, id nimirum, quia accidit, alienum erit à natura & definitione rei & cauſæ. Naturales & ἀλόγους δυνάμεις hoc loco uolumus intelligi, quibus reſpectu eiuſdem ſubiecti & materiæ, unus per ſe ſemper reſpondet Effectus, ut Ignis lutum perpetuò indurat, & ceram idem ſemper liquefacit. Facultas autem intelligens & logica, una & eadem cum ſit, contrariorum in materia eadem poteſt eſſe effectrix cauſa. Qua ratione etiam ſcientiā unam contrariorum eſſe dicimus, & ſcientias contrarijs finimus, cùm tamen phyſicas cauſas ſemper iiſdem definiamus effectibus, quę tametſi plures uideantur, εἴδει tamen & definitione nihilominus ſint una cauſa. De proximis illud eſt intelligendum cauſis, & efficaciter aliquid conſtituentibus, alioqui plures unius effectus poſſunt eſſe antecedentes cauſæ. Vt uerbi gratia impedimenti, quo minus adoleſcat aliquis & pumilus maneat, una eſt princeps cauſa, quæ definitur humidi à natura inſiti contrā naturā affectione. Quæ cauſa eſt καθόλου προσεχής. Vt autem contra naturam ſe habeat, aut qualitatis ratione fit (ut autor eſt Galenus) aut quantitatis. Nam aut non ritè temperatum ſi fuerit, impeditur incrementum, aut ſi quantitas ſit minor,

Al-

Alterutra enim sufficit, ut impediatur adolescentia. Caus: ũd & unum, ex utrisq; constituitur causis definiendo habitu adolescentiæ, sed priuatione explicanda, una satis esse potest. Et ut duæ possunt unius effectus esse causæ, ita una potest duorum effectuum esse causa, uerum unius per se, secundum accidens, alterius. Ut uerbi gratia Gutturnium per se usurpatur, ut eo stillatim aqua aut minutè efluat, Per accidens adhibetur ad hauriendum. Lingua ut degustet, et mãdendo cibo motibus et flexibilitate sua inseruiat. Per accidens, ut eãdem sonus ac uox articuletur. Huiusmodi complures in corpore sunt particulæ, præsertim humano quarum fabricam & usum Galenus, & Arist. in hist. partium corporis humani, atq; etiam reliquorum animalium, docent, quæ persequi longius hîc nolo. Attamen in plerisq; omnib. unum duntaxat ad unũ à natura destinatum esse uidemus, quoniam autore Arist. in Politi οὐθὲν ἡ φύσις ποιεῖ τοιοῦτον οἷον χαλκοτύποι τὴν μάχαιραν πενιχρῶς· ἀλλ' ἓν πρὸς ἕν. οὕτω γὰρ ἂν ἀποτελοῖτο κάλλιστα τῶν ὀργάνων ἕκαστον μὴ πολλοῖς ἔργοις ἀλλ' ἑνὶ δουλεῦον. Hac rerum, & quasi propria causarũ et naturarũ circumscriptione, omnia inter se cohærent, et iustitia, qua suum quæq; res munus exequitur agendo patiendoq;, dispensantur immutabili. Iustitiæ huic omniũ naturæ partium, qua quæq; res alieni non appetens sui operis est effectrix. Plato comparat humanam, in 4 lib. de Repub. ad hunc modum scribens. ἐθέμεθα δὲ δήπου καὶ πολλάκις ἐλέγομεν εἰ μέμνησαι, ὅτι ἕνα ἕκαστον ἓν δέοι ἐπιτηδεύειν τῶν περὶ τὴν πόλιν εἰς ὃ αὐτοῦ ἡ φύσις ἐπιτηδειοτάτη πεφυκυῖα εἴη. ἐλέγομεν γάρ, καὶ μὴν ὅτι γε τὸ τὰ αὐτοῦ πράττειν, καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν δικαιοσύνη ἐστίν. Sed ut diximus, licet natura unum duntaxat uni operi destinatum sit, nihilominus inseruire alteri cuipiã potest secundum accidens, quib. in plerisq; alterum necessariũ est opus ad essentiam, alterum, non ut sit, sed ut benè habeat, aut ut uulgo loquuntur, ad bene esse suppeditat usum. Nam ut scribit Galenus. σύνηθες ἐν τοῖς μάλιστα τῇ φύσει τὸ σόφισμα, μηδαμόθεν παραλιπεῖν ὀργάνου μηδεμίαν ἐνέργειαν, ἢ χρείαν, εἰ οἷόν τ' ἦν πολλὰς ὑφ' ἑνὸς ἀποτελέσαι καλῶς. Cui Aristoteles astipulatur Libro quarto de partibus Animalium ad hunc modum scribens. ὅπη γὰρ ἐνδέχεται χρῆσθαι δυσὶν ἐπὶ δύ' ἔργα, καὶ μὴ ἐμποδίζειν πρὸς ἕτερον μηδὲν, ἡ φύσις εἴωθε ποιεῖν. ὥσπερ ἡ χαλκευτικὴ δι' εὐτέλειαν ὀβελισκολύχνιον. ἀλλ' ὅπου μὲν ἐνδέχεται καταχρῆται τῷ αὐτῷ ἐπὶ πλείω ἔργα.

Lingua sensus gratia prægustandis ciborum saporibus necessarium exhibet usum animali, & quatenus flexibilis est mandendo cibo non minus necessarium motum exercet. Eandem in homine ad uocem articulandam adhibuit, quod ipsum cum ei accidat, opere illo atq; effectu, linguæ ratio non erit explicanda. Nam quod accidit, ad essentiam rei non pertinet. Eadem est spirationis ratio, & duplex usus. Vnum per se, secundum accidens alterum definimus. Eos usus in libro de sensu & sensili sic distinguit Aristoteles. κατακέχρηται ἡ φύσις τῇ ἀναπνοῇ ἐπὶ δύο. ὡς ἔργῳ μὲν ἐπὶ τὴν εἰς τὸν θώρακα βοήθειαν, ὡς παρέργῳ δὲ ἐπὶ τὴν ὀσμήν. *Accidit sæpenumero tamen in his quæ sunt ambigui usus (qualem ferunt Delphicum fuisse gladium) ut qui principalis, et quo res finienda sit usus ignoretur. Ab imperitis enim sæpenumero* ἔργον, *id est, principale, censetur esse* πάρεργον *quod uulgò uocant accessorium, & contra* πάρεργον, *iudicatur esse* ἔργον. *His discernendis tanquam regula quædam adhibenda est ratio & definitio doctorum ac peritorum in quouis Genere doctrinæ, ne hallucinari nos peruerso iuditio definitionum contingat propter ambiguitatem. Nam si quæ accesserint, nõ ut accidentia, sed ut partes essentiæ rei numerentur, specie different scilicet principale & accessorium, ac nihil habebunt idem præter nomen Homonymia claudicans. Ex professione sua quiuis exempla potest huic præcepto adiungere. Nonnunquam tamen uidetur quidpiam* πάρεργον *esse, quod tamen* πάρεργον *non sit, ut nerui quidam duntaxat uim habent ad sentiendum. In nonnullis ad sensum, motionis quoq; facultas accedit. Quæritur, principalis ne illa sit, hæc autem accessoria? Quòd si principales ambæ sint energeæ, & prior sine posteriore poßit esse, neruos specie differre oportebit. Aut motrix si accessoria est facultas, nerui hæc non erit definitio, ut sit instrumentum sensus & motus in animali, quippe* τῷ παρέργῳ *(pro eo ut dictum est) cùm nihil debeat finiri. Nec est quòd neruos illos mollitie & duritie differre dicas. Nam cum ambæ istæ sint neruorum propriæ energeæ, quarũ Substantia ipsorum sit causa, non est ut putemus accidens Substantiæ posse differentiam esse. Quare eadem cùm sit omnium Substantia neruorum, & eiusdem spiritus (nempe animalis) sint participes: quid est causæ, quod motu & sensu*

Definiendo distinguendum principale ab accessorio.

ἀπορία.

ſenſu definiantur omnes, non tamen omnes quemadmodum ſentiant, ita quoq; motum corporis adminiſtrent? Si per ſe energias has neruis λύσις.
ineſſe (ſecundo modo, eorum quæ PER SE *dicuntur) quiſpiam exiſtimet, eidem fatendum erit: ſecundum naturam habentibus neruis ſentientem quemlibet fore etiam mouentem neruum. Sed multi ſunt nerui qui ſentiant, quibus tamen nulli moueantur articuli. Qua ratione igitur aſſequemur ut ambæ facultates ſint, quibus definiendus non* παρέργως *ſit quiuis neruus, ut nihilominus quidam non ambas ex-* λύσις.
erceant energeias? Quæcunq; per ſe proprias exercent energeias: interuentu alicuius medij, cui pathos illud, cuius cauſa eſſe dicuntur, proprie accidat, eorum ſpecie & ſubſtantia eadem exiſtente, poteſt fieri ut unam ſine reliquis energeian exerceant. Vt nerui ſentientem in cute facultatem habent ſine mouente, in muſculis autem eandem habent cum ſentiente coniũctam. Πάθος *ſenſionis in carne uel cute eſt, propter neruos. Et pathos contractionis, & porrectionis, quibus mouentur artus, in muſculis, ſed propter neruos, Iidem Subſtantia nerui utrunq; faciunt ſeu exercent* πάθος*: ſed quòd non in omnibus uis eadem, in cauſa eſt ſubiectum diuerſum, habile & capax harum affectionũ. Iſtius Generis energias proprias continet Quartus modus, quo differentibus ſpecie ſubiectis* παθῶν *cauſas non item differre ſpecie oportet, ut in diuerſis ſubiectis una cauſa per ſe, aut unius, aut plurium* παθῶν *rationem includat. Alioqui ſi ſecundo modo per ſe uim & energeian ſentiendi quiſpiam aſcripſerit neruo, perinde uis motrix, ſi quam habebit neruus in parte aliqua, aduentitia erit exiſtimanda, atq; linguæ tribuitur articulandæ uocis facultas* πάρεργος*. Verum in Quarto modo* PER SE *dicitur quidpiam plures habere energeias & diſsimiles, non quatenus earum ipſum ſit tanquam ſubiectum capax aut particeps, ſed quoad ſpecie eàdem exiſtens, exercere multas uariasq; in ſpecie differentibus ſubiectis poteſt energeias. Illo reſpectu omnes animæ energeias definimus. Et energeian quoq; nerui ſentientis ſpeciebus multiplicem ſubiectarum rerum, ut uiſus, auditus, & reliquorum ſenſuum, ut ipſius interim Subſtantia ſit una & eadem, eſſe fatemur. Iidem enim ſunt Subſtantia & natura, opticus: &* ἀκουστικὸς *neruus, non minus atq; cerebrum ipſum, quo ſenſus*

& motus omnis exercetur, ac multo magis animæ uis sentiens. Sed de his disputatum satis superq́.

LOCVS XXXX.

PEccabit etiam definiendo: qui subiecti cui primò insit definitum, cum aliâs plura sint de quibus uideatur dici, mentionem non faciat. Vt si quis (exempli causa) prudentiam definiat, hominis aut animi uirtutem, & non partis eius qua exercetur ratiocinatio. Primò enim in ratiocinatrice ui, prudentia inest, & propter rationem, anima, uel homo prudens esse dicitur.

Duo finitionum Genera docet esse Aristoteles Metaphy. libro 5. Vnum quo definiantur substantiæ rerum, quæ nimirum declarant res per se existentes, & quarum essentiæ ratio non sit ex alio nexa. Alterum, quo proprietates (nam communia accidentia propter infinitatem suam non possunt compræhendi finitionibus) non seipsis, sed per subiecta sua, quibus primò insunt, definiuntur. Definitiones has ostẽdimus aliâs appellari ἐκ προσθέσεως quia uidelicet appositis primis subiectis propria finiri sit necesse. Quærat hoc loco non iniuria quispiam, quænam differentia sit inter Physicas Substantiarum definitiones, & proprietatum, quandoquidem Aristoteles libro tertio de cœlo, hoc nomine Physicum Mathematico opponit, quoad nimirum ille ἐξ ἀφαιρέσεως, hic uero ἐκ προσθέσεως res definiat? Respondemus, proprietates, tanquam propria quadam accidentia absq́ subiectis suis nullo modo considerari. Substantias autem & causas naturales, non subiecto quo sint & constituantur, sed quòd constituant, & tertij cuiusdam gratia, quod his nimirum fiat ad aliud relatas, atq; ἐκ προσθέσεως rationibus definiri. Considerant enim Substantias Physici, quoad ijs aliquid in aliquo fit aut gignitur, ut motus, quietes & omnis Generis πάθη, Nec ut ὅπερ ὄντα, quemadmo-

Definitio usurpatur ἁπλῶς & ἐκ προσθέσεως.

ἀπορία.

λύσις.

admodum Metaphysicus: Substantias & causas Physici contemplantur absolute, de quibus supra satis abundè diximus, Quæ sine subiecto non possunt intelligi, dicuntur à Dialecticis Propria, quorum nonnulla sunt ἀχώριστα, ut grauitas in terra, & tres duobus rectis habere æquales, in triangulo. Quædam sunt χωριστὰ, ut prudentia, & musica, in homine, quoad actu scilicet existentia considerantur, & non potentia: quo nomine in naturam transeunt accidentium, Propria, utpote quæ suapte natura sint à subiectis causa facultatis inseparabilia. Subiectum porro tametsi numero sit & Substantia unum, habilitas nihilominus in eo est multiplex, qua cuiusq; proprietatis sit capax, quæ nimirum habilitates tanquam πρῶτα δεκτικὰ Definitionibus propriorum exprimendæ & distinguendæ erunt. Suum enim cuiq; proprio, quare subiecto insit, ratio constat & demonstratio ex causa subiectionis, quam in præsentia appello habilitatem. Exempli causa, propria quæ sunt in homine consideremus. Prudentia propriè dicitur ei inesse, sed non alia ratione quàm qua πρῶτον eius δεκτικὸν in homine inest, nempe rationis uis & facultas. Deinde posse sentiendo res appræhendere, proprium est Animalis, non quia uiuit, sed quia in ipso insunt sensus. Præterea, posse uidere, proprium est hominis, cuius πρῶτον δεκτικὸν aliud sit quoddam, & alia ratione explanandum, quàm πρῶτον δεκτικὸν prudentiæ. Cæterum communia subiecta, loco propriorum subiectorum plærunq; usurpantur à Dialecticis, quo fit ut definitionibus Dialecticis quædam uideantur Synonyma, quæ tamen Physicis (quippe πρῶτα δεκτικὰ illi considerant) sint & iudicentur merito Homonyma. Comparant Dialectici motus celeritate & tarditate inter se discrepantes, quorum unus recto, alter rotundo fiat corporum interuallo. Iidem enim Specie motus illi in loco uulgò reputantur esse, quos tamen propter Species interuallorum seu subiectorum diuersas, Physici statuunt esse incomparabiles, nec motionum istarum secundum locum Definitio est eadem. Perutilis itaq; locus hic est, ut erudiamur quo pacto propria rerum sint à nobis definienda, eiusq; magnus in Aristo.

omnibus professionibus est usus, quando de Proprietatibus instituta fuerit disputatio, quas in omnibus rebus quærunt disciplinæ, uel definiendo eas, uel demonstrando. Ecclipsis igitur, somnus, ira, uoluptas: item maius esse sua parte, item duobus rectis tres habere æquales, suorum subiectorum propria sunt πάθη, quorum ratio & definitio explicatur habilitate subiecti ipsorum, quæ habilitates, si operosius explanantur ratione causæ, pro medio demonstrationis scilicet assumuntur. Propria enim Axiomatum, ipsa per se, ratione subiectorum suorum, conspicua sunt menti, suntq; propter simplicitatem euidentissima. Siquidem non quæritur, quo modo totum, sit maius parte sua, sed quæritur, quo pacto cor moueatur & afficiatur ira. Difficilis et ardua quæstio est sæpenumero de primo subiecto quorundam παθῶν, propioribus sensui & communibus, etiam uulgo non ignotis subiectis, ut somnum πάθος esse Animalis, nemo nescit. Sed quodnam ipsius sit πρῶτον δεκτικόν, ne inter Physicos quidem satis constat, alijs cor, alijs cerebrum dicentibus primum esse δεκτικόν. Ecclipsis cuius corporis sit πάθος, uulgò non est ignotum, sed causa & demonstratio ignoratur. Quinetiam ira, quòd sit feruor quidam cordis, plerisq; est persuasum, sed utrum sit in sanguine, an in carne & substantia cordis, dubitationem habet. Galeno, quod mihi quoq; placet, causa iræ uidetur esse in ipsa substantia cordis. ὁ δέ γε θυμὸς οἷον ζέσις τις καὶ κίνησις σφοδρὰ τῆς θυμοειδοῦς δυνάμεως ἐν τῷ σώματι τῆς καρδίας καθιδρυμένης. Idem, mea quidem sententia, errat, quando Phrenitida definiens, dicit, eā esse inflammationem membranarum cerebri, aut ipsius substantiæ cerebri. Est enim proprij cuiusq; πάθους unum subiectum primum. At in cerebro esse sedē ratiocinantis facultatis, ipse quoq; fatetur Galenus, quod per Idiopathian in Phrenitide affici constat, non autē membranam. Tametsi cuiusq; proprij πάθους suum et unicum sit subiectum, nihilominus uidentur esse quædam multorum communia, ut duobus rectis tres habere æquales, et triangulo tribuitur, & præterea duabus rectis lineis super rectam inidē incidentibus punctum. Præterea Febris πάθος, cordis est proprium, quod tamen subiectione causarū in multas distinguitur species, ut unum non uideatur unius esse propriū. Ad causam igitur & speciē subiecti respiciendū, quæ definitione aut demonstratione

Gale. lib. 1. de diffe. febrium.

stratione explicatur, ut exempli causa, habere tres duobus rectis aequales, in genere figurae, nulli rei alij, praeterquam triangulo conuenit: aut habere tres duobus rectis aequales, rectis lineis duabus congruit duntaxat: incidentibus super lineam rectam. Et, inflammari cor propter spiritus contra naturam incensos calore non naturali, diariae seu ephemerae Febris definitio est. Quapropter aut genere, aut specie, suum cuiq; proprio unicum aßignandum esse subiectum, hac ratione & necessarium, & consentaneum uidetur. Sunt enim ut subiectorum, ita quoq; proprietatum genera & species similiter distributa.

LOCVS XXXXI.

PRaeterea si pathos aut diathesis, aut si quid aliud definitum, cuius dicitur esse, id ipsius propriè capax non sit, vitiosa nimirum sit eius definitio. Omne enim Pathos, omnisq; Diathesis in eo fieri atq; esse consueuit solo, cuius est Pathos aut Diathesis. Quemadmodum scientia ipsa in Anima, quoniam Diathesis est Animae. Interdum autem in his ipsis peccatur, velut ab ijs, qui Somnum aiunt esse sensus imbecillitatem: &, Dubitationem aequalitatem rationum contrariarum: &, Dolorem, diremptionem partium natura coniunctarum violentam. Neq; enim Somnus inest in sensu, quod necesse esset, si esset sensus imbecillitas. Itemq; ne dubitatio quidem in contrarijs rationibus inest. Nec dolor in partibus natura copulatis. Alioqui dolebunt res inanimae, siquidem dolor eis aderit. Atq; etiam illa, ex eo genere, Valetudinis Definitio est haec, Apta compositio caloris & frigoris. Hac ratione enim necesse erit, valere res calentes & frigidas. Nam cùm cuiusq; rei apta compositio in illis sit, quorum apta est compositio, certè in eis etiam Valetudo insit necesse est.

Vt praecedens Locus repraehendit finitionem Proprij, cui communius aliquid, quàm par sit, subijciatur: ita praesens hic locus, alieni

subiecti reprehensionem non habet, sed definitionis Proprij, qua intelligatur non unum duntaxat subiectum ipsius esse capax, sed plura. Omnino per se non subsistit Proprium, quare definiri ipsum necesse est, uel suo primo & peculiari, uel communiore aliquo subiecto, uel ita definiri, ut pluribus possit accommodari. Posterioris uitij duplex est admonitio, una præsente, altera, subsequente comprehensa est loco. Maximum istius loci pronunciatum est. Quodq; Pathos, item quamuis διάθεσιν: deniq; quicquid propriè alterius esse dicitur, in suo uernaculo & genuino subiecto inesse, consentaneum uideri. Sentire, uegetari, ambulare, per se Animalis non animæ sunt affectiones propriæ, quales sunt etiã diatheses animati corporis: sanitas nimirum & morbus, quæ unice ei insunt, nec alij possunt inesse subiecto. At scientia, uirtus, prudentia, tametsi animali, nẽpe homini insunt, non tamen ei propter corpus, sed quia his anima intelligens est prædita, dicuntur inesse. Quòd si propria hæc ita definiãtur, ut propter ambiguitatẽ definitionis, corporea πάθη non tantum corpori, sed etiã animæ uideantur quadrare, et animæ q̃ sunt, non tantum ipsi, sed etiã corpori conuenire putentur, istæ nimirum nõ propriorũ, sed communium παθῶν definitiones censendæ erunt. Accidit plærunq;, ut imperfectæ propriorũ finitiones hoc laborent uitio, ut si febrim quis finiens, dicat ipsam esse caloris in corpore animalis contra naturã exuperantem feruorẽ. Certè calor non naturalis, non quãcunq; coporis affecerit partẽ, febris appellatur, sed tum, quando cor ipso fuerit inflamatũ. Nec uero q̃libet ἀδυναμία et impotentia sentiendi somnus est, sed talis, qua suo quodam modo princeps afficiatur sensus. Qualis ea sit, Aristot. & Galenus alicubi docẽt. Reprehensio similis est definitionis ἀπορίας, quæ est perplexitas rationum, qua, quid uerum sit, non satis perspicit mens nostra. Eam Arist. lib. 2. Meta. uinculo cuidã comparat, quo ligatus animus, solui & expediri rationib. cupiat. Dubitationem igitur seu ἀπορίαν sic definiendo, ut dicatur esse discrepãtia in rationibus oppositis, ratio nimirum hæc ad plura pertinebit, in quib. tamen locum non habeat dubitatio. Oppositæ enim rationes, non sunt definitio, sed pars definitionis ἀπορίας, alioqui non uni, sed duobus subiectis proprietas inerit. Nihilo melior definitio quoq; Do-

Quid Dubitatio.

loris

loris est, quando dicitur diuulsio eorum, quæ natura erant coniuncta. Etenim diuulsio quoq; in his est, in quibus tamen sensus doloris nullus inest, aut inesse potest. Quamobrem solutio unius, subiectum doloris proprium nequit esse. Omnia quæ dolorem faciant, naturam continuam sentientis corporis diuellere, & ob id ipsum omnem dolorem esse hulcus, Galenus ostendit libro tertio suorum Commentariorum, quæ conscripsit in librum Hippocratis de fracturis. Veruntamen doloris πάθος, quo subiecto & quibus causis finiendum sit, quia controuersiam habet non mediocrem: primum id ipsum, quale nobis uideretur, planum facere, deinde si quis in eo explicando error uersaretur, eum, quoad fieri potest, breuiter & paucis confutare placuit.

Doloris uitiosa definitio.

Constat itaq; inter omnes, DOLOREM perceptionem & sensionem esse, quæ contra naturam impendio sensus tactus deprehendatur aut sentiatur esse affectus. Sensus equidem omnes (ut quælibet partes aliæ, quæ principijs quibusdam, à quibus sunt nexæ, gubernantur & uigent) non proprij actus gratia, & separatim, sed quatenus sunt pars alterius, uires suas & energias obtinent. Quapropter δυνάμεις potius appellandæ sunt οὐσιῶν partes illæ, quàm οὐσίαι, quia uidelicet suo proprio quodam actu subsistere nequeant separatim, quod ipsum tamen peculiare sit substantiarum, quibus solis PER SE tertio modo, & separatis subsistere conuenit. Sensio porrò non tantum est πάθος, quo extrinsecus ab obiecto sensus organum afficiatur, sed præterea etiam energia quædam principalis sensus, quem Communem nimirum Physici appellant, eumq; cerebrum, aut partem ipsius aliquam esse dicunt. Hanc energian, non esse πάθος, uel alterationem asserunt, sed perfectionem quandam, quæ sit extremum affectionis, nō affectio. Quoniam id ipsum, quod hanc energian exercet, nihil extrinsecus oblatis rebus sensilibus patitur, sed paciens subiectum sua quadā energia perficit, estq; cerebrū, ut Physici loquuntur, non sensus, sed sensus sensuum hac de causa nuncupandū. Cœterum neruos ipsos per se non sentire, demonstratum à nobis est in commentarijs librorū Galeni de locis affectis. Energia enim sensionis propria est primi sensus, nempe communis, quā exercet qualitate spiritus animalis penetrante per neruos, pro eo ut lumen diffundit sese in pellucido. Sentit itaq;

Arist. li. 7. Physi.

princeps ille sensus omnia instrumento externorum sensuum, sed praeterea etiam sentit & percipit suas sensiones, & quasi animaduertit eas & internoscit semetipso. Atqui dolor est sensio, eius igitur energεια administratur à principali. Interdũ aũt non percipitur doloris πάθος, ut si maior sensionem minoris obfuscat, uel omnino non percipitur ullus, si uidelicet morbo quopiam quasi obstupescat cerebrum seu princeps sensus. Absurdum proinde nequaquam est, si quis dicat, in alio inesse πάθος sensionis, & in alio subiecto esse energειαn, quandoquidem efficiens sensionis causa sit πάθος, non autem ipsamet energεια sit sensionis, quod subindicat etiam Aristoteles proximè sequente loco sic scribens. οὐ γάρ ἐστιν ἀλγηδὼν ἡ διάστασις τῶν συμφύτων μερῶν, ἀλλὰ ποιητικὸν ἀλγηδόνος. Energεια proinde sensionis impeditur, aliâs per se affecto sensu principali, aliâs eodem affecto non per se sed per συμπάθειαν, nempe neruis affectis, quibus ad percipienda obiecta tanquam instrumentis utitur. Coeterum solutio continui, quaedam perfecta est, quaedam imperfecta, & adbuc (ut sic loquar) fiens. Prioris Generis impedita & abolita sensio, est symptoma, hac enim non sentitur πάθος quod contra naturam afficit corpus. Posterioris Generis perceptio atq; sensio est affectae, nondum autem perfectae solutionis continui, quae doloris, id est, sensionis contra naturam causa est. Siquidem autore Hippocrate, τὴν φύσιν διαλλασσομένοισι ἑκάστοισι καὶ διαφθειρομένοισιν αἱ ὀδύναι γίνονται. Ergo affectus excludens spiritum animalem à neruo, ut sensione ita quoq; dolore partem affectam priuat, ut si obstruatur per συμπάθειαν, aliquando sensu orbatur particula, aut si per ἰδιοπάθειαν neruus frigore densatus obstupescat: quae cùm primis dolori opposita est affectio, quoniam, ut inquit Hippocrates, ἡ νάρκη τῆς ὀδύνης λυτική. Coeterum non ut aliquando per συμπάθειαν, νάρκη & ἀναισθησία symptomata sunt neruorum affectorum, ita quoq; dolor, similiter in ipsis oboritur penitus non affectis. Omnino enim necesse est illorum continuiatem aliquo modo solui, aut nimium scilicet repletis, aut nimis exhaustis & resiccatis, aut ardore inflammatis, aut acribus humoribus compunctis, aut contusis, aut non omnino concisis. Enimuero uoluptas & dolor, tametsi alterationes & γενέσεις non sint, nihilominus sequuntur eas, si ijs uehementer moueri

Istius affectionis mẽtionem facit Hippocrates in Apho.

Hippo. περὶ τόπων τῶν κατὰ ἄνθρωπον.

ueri corpus sentiens contingat. Ambo hæc, alterationes & πάθη quædam esse censuit Plato, contrà uerò Aristoteles energeias esse statuit, quæ nimirum, ut sensiones consequuntur mediocria πάθη, sic illæ comitentur sensionibus uehementibus quibusdam corporis perpeßionibus excitatis. Accidentia igitur quædam sensionum uoluptas sunt & dolor, quorum percipiendorum ipse per se communis facultatem obtineat. Percipiendi doloris autem quòd illæ partes facultatem non habeant, in quibus affectus soluens unitatem insidet, non tantum ratione, uerumetiam autoritate Galeni est perspicuum & euidens, qui in Methodo dolorem phlegmones nõ ad sensum, id est neruosum locum sed ad sensum sensionum pertinere, his testatur uerbis. ἅμα τῇ φλογώσει καὶ τάσιν ἔχει περὶ τὸ μόριον, ἥμιν δ' ἁπτομένοις φαινομένην, αὐτῷ τε τῷ κάμνοντι διὰ τῆς ἰδίας ὀνομαζομένης συναισθήσεως. Itaq; in dolore πάθος quidem est solutio unitatis, cuius symptoma existat dolor, non PER SE secundo modo, sed PER SE quarto modo, id est, propter ipsam solutionem continui, communis sensus doloris sensionem & energian exercet, quæ quidem energeia uitiosa, non sit πάθος sed symptoma quoddam. Per se enim affecto communi sensu, sensiones, uti supra diximus, torpent adeoq; uoluptati & dolori in corpore locus non est, quoniam non nisi per συναίσθησιν ambæ energeiæ sensibus tribuuntur. Quapropter nec factus, nec fiens affectus, quo creatur dolor, in communi illo potest consistere sensu. Nam si per συμπαθείᾳ afficeretur, & pro fiente haberetur affectu, tum profectò perfectus quoq; posset in cerebro & communi sensu consistere, quo dolor gigneretur, affectus. At ipsum cerebrum per se (secundo modo) sentiendo non affici iam ante dictum fuit, quamobrem dolor πάθος nequaquã erit, sed symptoma duntaxat, et energeia, perpesso alio quopiam, proueniens. Doloris quæ sit germana & uera definitio, quandoquidem hæc nõ est, qua dicitur esse diremptio seu diuulsio natura suapte concretorum, nunc deinceps cõsiderabimus. Proprium itaq; Dolor cùm sit, non physicum, sed logicum πάθος cerebri, subiecto nimirum suo & causis sic definiendum erit opinor, ut sit sensio contra naturam, propter solutam unitatem, affecti corporis. Definitio hæc generis est eius quod distrahitur propter differentias causarum, in species duas.

Vacuitas doloris definitur habitu naturali, quo cohærent inter se & conspirant partes omnes natiua unitate continuationis & temperamenti. Duplex equidem est unitas corpori à natura ingenerata, una est, qua continuationem suam habet natiuam, & συνεχὴς existit. Altera, qua temperamentum obtinet congruens quod nimirum contra naturam non alteretur & paciatur, qua ratione συμφύες, & σύμφυσιν habere dicitur. His duabus unitatibus, respondent è regione solutæ unitatis Species duæ, quibus contra naturam affectum corpus species constituit doloris duas, cōtrarijs causis definiendas. Alteratis uehementer contra naturam partibus, actione nimirum & perpeßione, naturalis hæc corrumpitur σύμφυσις, quæ alteratio non sine dolore potest percipi. In quibus porrò actio paßioq; interceßit: Unum ista per σύμφυσιν esse nequaquam possunt οὐ γὰρ συμπέφυκεν ἕκαστον οὐδὲν πάσχει αὐτὸ ὑφ᾽ ἑαυτοῦ. Etenim τὸ συμφυὲς, autore Aristotele, principium est ἀπαθείας ἐπὶ τὸ χεῖρον, καὶ τῆς φθορᾶς ὑπ᾽ ἄλλου ἢ ἄλλο ἀρχῆς μεταβλητικῆς. Quæ cum ita se habeant, unitas συμφύσεως naturæ nerui, propria ipsius est, quæ externo contra naturam afficiente & alterante quodam dissoluitur. Idipsum πάθος quando fit adhuc, & non omnino perfectum est, dolorem habet comitem, qui nimirum est sensus quidam nerui: quatenus contra naturam suam (quæ nimirum est συμφυὲς quiddam) male afficitur propter temperamenti solutionem. Hac equidem ratione nihil uetat quemlibet morbum (pro eo ut uisum est præstantißimo Hippocrati) nominare ἕλκος, siquidem in uno secundum naturam, absq; morbo, separatum, aut distractum, aut non aptè cohærens, nihil esse poßit. Dolor itaq; quoad Genus, non nisi unum sui capax habebit subiectum definitum τῷ πάθει, quod ipsum quoq; ut Genus, causa est doloris in Genere, quemadmodum suum quoq; Speciebus duabus est subiectum, quibus separatim solent definiri, una uidelicet, priuatione συνεχείας, altera, priuatione & orbitate τοῦ συμφυοῦς. Discrepantia subiecta hæc (quotquot autores tractarunt doloris Definitionem) uel confundunt in rationem unius Speciei, uel duas Species subiecti, Generi istius Symptomatis uni primo subesse dicunt, utroq; repræ-

Duplex unitas corporis.

Metaphy li. θ.

repræhendendo errore, quippe unius proprij non nisi unum subiectum, causa, aut Definitio una esse potest. Galenus in commento quodam, eius quem supra commemoraui libri Hippocratis de fracturis, Dolorem ut Genus, Specie solutæ continuitatis definit, eodemque reuocari rationem doloris, qui excitetur solutione συμφύσεως existimat, ad hunc modum scribens ὅτι καὶ κατὰ δυσκρασίαν ἀθρόα μεταβολὴ λύσιν τινα ποιεῖται συνεχείας. Quocirca doloris unam duntaxat fatetur causam ac subiectum primum, nempe diuulsionem continui, quam nos supra Speciei alterius, non uniuersi Generis doloris πρῶτον δεκτικὸν esse demonstrauimus. Quod ipsum astruere uidetur etiam in quarto de causis Symptomatum libro. At idem ille Galenus doloris Speciem soluta συμφύσει quæ definitur, cum alijs in locis, tum in commento quodam in Hippocratis librum de natura humana, diuersum quiddam esse, & quæ eadem non sit τῆς συνεχείας λύσει astipulans argumento cuidam Hippocratis, fatetur. Proinde si uerum & consentaneum est argumentum Hippocratis, uelit, nolit Galenus, fateri ei necesse erit, per se quandam doloris esse Speciem solutionem κράσεως, diuersam à solutione continui. Valet argumentum Hippocratis contra eos qui unius elementi natura corpus humanum subsistere dicunt, & ex quatuor illis mixtum esse negant. Si unum duntaxat est elementum, ait Hippocrates, corpus scilicet erit impatibile & doloris expers. Quòd si doloris τὸ πρῶτον δεκτικὸν, continuum est & partium causa poßit diuidi, argumentum certè inualidum & plane nullum erit. Quoniam simplex etiam & solitarium elementum sectionem hanc admittit. Quamobrem ideo impatibile & doloris expers ex uno generatum elemento corpus hominis Hippocrates illo absurdo probare uult, quia si non concretum sit ex contrarijs elementis, ut non solutioni κράσεως, qua σύμφυσις dicitur, ita quoque dolori non erit obnoxium. Sed experimur ipsum omnibus contrarijs solui, & dolorem sustinere; quare mixtum quoque erit ex contrarijs, & non unicum duntaxat erit. Nam si fuerit unum duntaxat principium, nihil scilicet ei contrarium erit, aut si duo etiam sint, & tamen non contraria, quod ex ijs constitutum erit, nihil patietur, & nihil patiens, nullum sensum quoque doloris habebit. Nam quæ pa-

ciuntur, duo esse oportet principia, & contraria, ut in Physicis est demonstratum. Viderit nunc quispiam, quonam pacto ipse sibi consentiat Galenus, si probans Hippocratis argumentum, nihilominus affirmat δυσκρασίαν: non quia contraria sit crasi, sed propter continui solutionem, dolorem excitare. Quanquam alijs nonnullis locis, ut de inæquali temperie, & libro secundo de locis affectis (libens multa prætereo) duas doloris species esse fateatur. Auicenna, Dolorem utrisq; specierum causis definiendum censet, & Galenum insimulat, tanquam si duntaxat solutione unitatis eum definiuisset. Auerroes cum Græcis quibusdam ad Dyscrasian duntaxat causam doloris refert, hoc nimirum fretus argumento, quo tactum non nisi à tactilibus qualitatibus affici arbitratur. Solutionem autem continui non esse qualitatem: quamobrem ea sensum per se doloris non excitari. Non tantum primarum tactilium qualitatum gratia, sed etiam secundarum, sensum suum habet tactus. Nam & tensile & sectile corpus esse, & compreßile, & similia πάθη, pertinent ad tactum, quorum actus acri cum sensu doloris interdum percipimus, ut sectionibus neruorum, contritionibus, distensionibus seu spasmis. In his excitandis doloribus efficientes causæ sunt, dura, acria, acuta, extendentia, quorum gratia non minus patibilis neruus, quàm primarum Qualitatum causa existit. Deinde si in secundis qualitatibus tactilibus est esse tensile, aut ruptile, aut sectile, quid mirum, si cum perpeßionibus his sensus quoq; doloris est coniunctus, quando naturæ unitas his perimitur? Ex quo concludendum, nullum sine tactili prima aut secunda qualitate sensum doloris ab his extrinsecus afficientibus neruos, oboriri, ut hac exceptione nimirum Auerroi nequaquam opus fuerit. Πάθος igitur doloris, quomodo definiendum sit, ut nihil uitij in definitione insit, liquet satis ex his, quæ antea sunt dicta & disputata.

LOCVS XXXXII.

AC interdum sic definientibus accidit, ut id, quo definiunt, tanquam fiente, id rationem habeat efficiẽtis, aut contra quod positum est ut faciens, id rationem habeat fientis. Neq; enim dolor diuulsio est partium natura,

natura coniunctarũ, ſed eſt quod dolorem efficit. Nec imbecillitas ſenſus, eſt ſomnus. Sed alterutrũ potius eſt efficiens alterutrius: quippe cum aut propter imbecillitatẽ ſenſus, ſomno opprimamur, aut propter ſomnum ſenſuum munere non fungamur. Præterea Dubitationis quoq; efficiens cauſa videri poſſet contrariarum rationum æqualitas. Cùm enim in utramq; partem de aliqua re cogitamus, & paria ſunt momenta rationum, tum deniq; quid nobis agendum ſit, dubitamus.

Vitioſæ definitiones ſunt propriorum, quæ ſi fuerint, ob id tamen definita ipſa, nempe propriæ, eſſe non oporteat: ut ſi Impotentia eſt ſentiendi: idcirco ſomnum eſſe non eſt neceſſe, quod præcedente loco repræhenſum eſt uitium. Non minus illæ quoq; ſunt uitioſæ, quando Proprium, quod rationem cauſæ habeat effectricis, id tanquam effectus quidam definiatur, aut contra, effectus pro efficiente exprimatur definiendo, ut ſi quis motum definiens, dicat, Naturam eſſe rei mobilis. Aut ſi quietes & habitus, & ſimilia definiens, Naturas rerum, in quib. inſunt, appellet. Omnia enim hæc in rebus natura non ſunt, ſed effectus naturæ, quæ eſt principium propriorum accidentiũ, ut ex ipſius liquet definitione. Itaq; quando non modo ſubiecto ſuo & certo, uerum etiam cauſa definiendũ eſt quidpiam, quod genus definitionum (ut ſcribit in Analyt. Ariſt.) non niſi θέσει & formula orationis diſcrepat à demonſtratione, dupliciter ſcilicet peccare contingit. Nam aliâs poteſt fieri, ut proprium ſubiecti (quod nimirum eſt effectus) tanq; cauſa effectrix proprietatis uſurpetur: aliâs uero quòd rationem habeat cauſæ, tanq; effectus quidam in ſubiecto ineſſe definiti proprij dicatur. Ut uerbi gratia, ſolutio unitatis, in eo quod ſuapte natura eſt concretũ, ſi pro definitione doloris ſit poſita. Dolor qui eſt energia, & non πάθος, in cerebro eſt, & quidem effectus ſolutæ unitatis, quæ in cerebro nõ ſit, ſed extra ipſum efficiens ſcilicet cauſa doloris, non ipſe dolor. Quartomodo PER SE continentur propria hæc, in quib. per ſe aſcribitur effectus quidam cauſæ, non hac ratione tamen, qua ei tanq; ſubiecto inſit, ſed qua, propter ipſam alij cui-

piā subiecto πάθος huiusmodi, tanquam effectus quidam insit. Paucæ uerbi gratia, exempla, apponam. Natura definitur proprietate, nēpe motu et quiete, q̄ ambo non in ipsa tanq̄ subiecto insint, sed quæ in illo inhæreant, quod naturæ nimirum effectus est, nempe, in re et substantia composita naturali, quarū affectionum propriè causa sit natura, non autem capax earum subiectum quoddā. Materia namq; & forma in causa sunt, ut res moueantur naturales, & quiescant, quib. si quis hanc proprietatē inesse dixerit tanq̄ subiectis, nimirum is causæ transcribit, quod proprium sit effectus. Temetū (Græci uocant μέθυ) causa est ebrietatis seu temulentiæ, ipsum uero nequaquam potest dici ebriū aut temulentū. Definitur enim eò, quod faciat ebrios, non quia in ipso sit ebrietas, q̄, cui insit per se subiecto, nemo nescit. Aut si quis animam dolere, gaudere, irasci. sentire, dixerit, simili errore hallucinabitur. Nā hæc omnia sunt effectus animæ in corpore animato, non autem ipsius animæ tanquàm subiecti, sed tanquam causæ efficientis propria sunt: quoniam ab anima proficiscuntur, ac non in animam redundant motus isti animalis proprij. Internoscendi itaq; modi quibus multifariam res dicuntur PER SE esse, quorum differentia est apud Arist. in Analyt. E regione peccāt, qui ei, quod causam declarat proprij, effectus rationem tribuunt, quod quale sit erratum, paulo ante definitione doloris falsa ostendimus. Sæpenumero ut constet de causa proprietatis, non tamen de modo quonam sit causa, satis liquet, Proprium est Pharmacorum purgantium, ut suos quosdam & certos humores purgent. Galenus, ui à natura insita Pharmacis, & propria tractrice, expurgari humores illos censet, Sed mihi non uidetur propria hæc causæ descriptio, propterea quod imposita etiam uentri, imò interdum manibus duntaxat retenta, huiusmodi pharmaca aluum mouēt, et excretiones incitant. Quòd si tractus in causa esset, his partibus imposita magis impedirent, & in contrarium humores reuellerent. Quamobrem propria & prima uis Pharmaci purgantis mihi uidetur, qua nimirum uasa afficiens, quibus humores isti contineantur, separansq; humores (quos mouere dicuntur propriè) expultricem stimulando facultatem uasorum, excretionem hanc efficit humorum. Quod ipsum si hoc modo eueniret, excretio hæc non Phar-

Priore libro Analy. poste.

maci, quoad traheret, sed uasorum facultatis excretricis propria existeret. Sed exempli causa id à me dictum uolo: quid in hac quæstione ueri insit, Medicis discutiendum relinquo, & plura de hac, in commentarijs nostris super libros Galeni de facultatibus naturalibus disseremus. Igitur quid quæq; causa primò efficiat considerandum, item in quo primo subiecto efficatia hæc recipiatur, similiter effectus quoq; perpendendus. Finitima sunt interdum effectus et causa, ut quid intersit, non facile poßit cognosci, quare tanq; septis quibusdam accuratarum definitionũ distinguenda erunt. Reciproca ratio somni & imbecillitatis sensuũ uidetur esse: ut utrum sit utrius causa uel effectus, perspici non facile poßit. Causa enim est somnus, ut quispiam non sentiat. At uicißim imbecillitate sensus generari somnum, consentaneum est. Ambiguitatẽ hanc facit uocabulum somni. Imbecillitas enim sensus interioris causa est somni, quoad intelligitur ratione efficientis causæ. Effectrix enim somni causa imbecillitatẽ conciliat primo sensui, deinde per illũ languidi fiunt etiã exteriores, quorum imbecillitas duntaxat est effectus, et non causa. Aliquando confusionem hanc causæ & effectus, non uocabuli homonymia, sed rerũ ipsarum ignoratum discrimen parit. In proprijs enim sæpe dubitatur, utrũ sit utrius causa, uel effectus. Atq; in Mathematicis una interdum per alterã, quasi reciprocè demõstratur proprietas. Tonitru uox significat aliâs causam, ut restinctionem ignis in nube, aliâs autem effectũ, ut sonitũ & fragorem nubis. Alterum tamen respectu alterius est causa, ut restinctus ignis est causa fragoris, & nõ contra. Prius à posteriore distinguitur: uel quia simplicius, ut causa est respectu effectus: uel quia unũ respectu alterius subiectum est, quod nimirum λόγῳ prius est sua proprietate. Vel si non satis constet, quænam proprietas respectu alterius, causæ aut effectus rationem obtineat, consideranda ratio causæ per se. Ea si latius se proferat quàm effectus, præpostera nimirum permutatio erit facta causa cum effectu, Vt, Imbecillitas sensus, non causa, sed effectus est Somni, quia latius se profert. Causa autem per se Somni, quæ est naturalis quædam Affectio, qua sensus communis stupet, extra Somni rationem sese non profert. Imbecillitatis autem communior est ratio, & causis pluribus, ut Apoplexia, Caro, Lethargo, potest creari. Aristoteles in præsentia

relinquit in suspenso, utrum utrius sit causa. Nam exquisitio hæc pertinet ad Analytica. Quod ad locum hunc attinet satis est scire, somnus si proprietas sit causæ cuiusdam, non fore eundem subiecti quoq; & effectus proprietatem, aut si fuerit effectus quidam, & proprium subiecti cuiusdam, non adhibendum scilicet ad causam, cui alia quædam quam effectui conueniat proprietas. Vltimi exempli interpretatio hæc est. ἀπορία seu dubitatio: non est æqualitas rationum, quod nimirum πάθος quoddam est in contrarijs animi propositis. Veruntamen, πάθος illud seu proprium, ratione efficientis causæ ἀπορίας est describendum potius, quippe contrariæ rationes & pugnantes cum non sint ipsa ἀπορία, sed ipsius sunt causa effectrix. Parit enim ἀπορίαν æqualitas hæc pugnantium rationum. Quamobrem effectus nempe ἀπορία quatenus est effectus, & in subiecto quodam πάθος, non est sic definienda, sed hoc modo, ut sit detentio animi anceps generata per æquales rationes oppositas, quibus non progredi ulterius ratiocinando poßit. Perquàm utilis est locus ille ad discernenda causarum propria à proprietatibus effectuum, qua discrepantia non perspecta neutrum definiri potest appositè & consentanee.

LOCVS XXXXIII.

IAm omnium temporum habenda ratio sicubi discrepent, ut si quis, immortale animal, quod nunc interitui non sit obnoxium, definiat. Quod enim nunc interitu uacat, nunc etiam immortale existit. Nisi fortè in hoc id non est uerum. Est enim ambiguum, Nunc interitus expers esse aliquid. Aut enim non interijsse nunc, significat, aut non posse interire hoc tempore, aut esse hoc tempore eiusmodi ut nunquam intereat. Quum igitur dicimus, Nunc interitus expers esse animal, non hoc dicimus, tale esse nunc animal ut non occidat, sed quod omnino non occidat, quod idem sit cum immortali. Quare non accidit Nunc ipsum esse immortale. At nihilominus si aliquando acciderit ut id quod Definitione est expositum,

uel nunc existat, uel prius extiterit, & id quod nomine dicitur, non sit tamen. Definitio scilicet & nomen non erunt idem. Vtendum itaq; loco pro eo ut dictum est.

Falsæ sunt definitiones propriorum quæ alicui subiecto inesse possunt, quibus tamen definitum non insit, ut impotentia sentiendi inest in Lethargo, cui tamen somnus non attribuitur, ex quo definitionem hanc somni non esse fit perspicuum. Sunt & illæ uitiosæ definitiones, quum aliquando de rebus uerè dicuntur definita uocabula de quibus tamen definitio non queat enunciari, ut definitio somni si posita sit, esse quies qua reficiantur uires. Definitum quidem, nempe somnus, aliquando est corporis eius, cuius uires tantum abest ut reficiantur, ut multo grauius certe post somnum ægrotent, & imbecilliores sint, quàm fuerint ante somnum. Quapropter temporis duntaxat causa de somno uerè dicitur, quòd recreet uires, & recuperetur eo firmitas corporis: quod cum accidat, definitio eius certe esse nequit. Simili ratione καύσου definitionem quispiam hanc redarguat, si dicatur esse febris quæ permutetur in becticam. Est enim καύσων qui nõ permutetur, & aliquando duntaxat accidit hæc permutatio, ut temporis, non essentiæ ratione facta uideatur. Quia καθόλου est omnis finitio, ea scilicet temporis, aut loci gratia rebus definitis non poterit accommodari. Aliud porro non est quo sensio opponatur intelligentiæ, præterquam quia illa locis & temporibus, hæc aũt propria duntaxat natura & essentia rei circumscribitur & definitur simpliciter. Quoniam autore Aristotele αἰσθάνεσθαι ἀναγκαῖον τό δε τι, καὶ, ποῦ, καὶ νῦν τὸ δὲ καθόλου ἐπὶ πᾶσι ἀδύνατον αἰσθάνεσθαι. οὐ γὰρ τόδε οὐδὲ νῦν. οὐ γὰρ ἂν ἦν καθόλου, τὸ γὰρ ἀεὶ καὶ πανταχοῦ φαμὲν καθόλου εἶναι. Itaq; in causis, nec non subiectis proprietatum, item quibusuis alijs, quorum Species & ratio motu aliquo, uel ortu definitur, remouenda hæc à definitionibus erũt quæ temporis causa ipsis accidunt, quæq; non simpliciter esse aut fieri, sed nunc esse aut fieri dicuntur. Quod ipsum aliud nihil est, quàm non semper ita hæc comparata esse, nec eandem semper & immutabilẽ eorum esse rationem, quando sint aliquid propter tempus aut fiant. Nec est caduca aut non sempiterna ratio eorum quæ suapte naturæ non semper sunt, quia in definitionibus quid ipsæ per se sint res considerantur

derantur, nõ autem quid ipsis materiæ locis, aut tempori, gratia accidat. Accidunt itaq; πάθη rebus et non propriè itidẽ insunt quatenus temporis gratia actu suo quo cadũt sub sensum nõ semper sed aliquando insunt, ut hic, & nunc somnus, animali, & defectio hæc luminis, soli. Nõ ergo quib. conditionibus ista sentiuntnr (id est circumscriptione quadam præsentis temporis inesse percipiuntur) eisdẽ intelliguntur etiam, ac ratione cõpræhendi solent. Nam semper ac per se non præsentis temporis gratia ueræ & necessariæ definitiones sunt, quod ipsum nihil aliud est quàm per se talem causam esse, et per se in subiecto πάθος huiusmodi, nõ temporis gratia et secundũ accidens inesse. Quare nec definiẽda sunt illa actu quo cadunt sub sensum, nec ijs quæ temporis gratia accidũt, quale est illud somni, quo dicitur reficere uires. Physica porro non definiuntur actu, sed δυνάμει, quæ propria est et inseparabilis: nec temporis causa aliter se habere possunt ratione δυνάμεως, ut animalis propriũ est dormire, non quoad dormit, sed quatenus potest, & capax est istius πάθους. Et graue est, non quod nuuc, sed quod potest deorsum suapte natura moueri. Sunt etiam quædam ex oppositis propria composita, quibus alioqui separatis temporis determinatio nõ necessaria, sed quæ accidat (hãc uocabulo NVNC expreßit hoc loco Aristoteles) includatur: ut est sanum esse uel ægrũ. Alterutrum n. ex neceßitate actu inest animali, alterũ tamẽ accidit, & temporis, nõ definitionis gratia inest, quòd tamẽ respectu potentiæ subiecti sit etiã necessarium & perpetuum, ut sanũ posse esse, perinde propriũ sit animalis, atq; γελαστικὸν est hoīs. De præterito & futuro non est quod laboremus, quorũ causa ut non inest quidpiam, ita nec propriè inhærere quicq; dicetur, At quod NVNC inest, tale existit ut uel semper insit, uel aliquando, quorũ illud propriũ rei, hoc uerò accidens est: eadem differentia uocabulo etiã NVNC usurpato. Quoad immobile et immutabile est NVNC, eatenus nihil aliud est quàm sempiternitas. Quoad uerò ei accidit motus, uniuersum scilicet constituit tempus, semperq; aliud est, & aliud (ratione nempe prioris et posterioris) tametsi essentia sit idem, ut in Physicis docet Aristoteles. Propria rerũ, NVNC esse dicũtur, quia sempiterna & immutabilia. Sed accidentia rerũ, NVNC sunt, sed per accidens, id est, propter tempus, quod ipso NVNC determinatur ratione

Nunc duplex.

tione motus, quoniã NVNC pars nõ est temporis, sed eius ut dixi, determinatione constituitur tempus. Quamobrem ut per se determinãtur tempore Accidentia, ita NVNC, per accidens (id est, mobile) attribui his ipsis, est cõsentaneũ. Ei quidem quod per se, id est sempiternũ est, & aliter se habere nequit, NVNC per se aßignatur, quod uerò per accidẽs aliquid est, ei secundũ accidens, id est, causa motus, NVNC ipsum, ascribitur. Absq; his, quæ diximus, præsens Locus nequit intelligi, quẽ Aristo. mira breuitate et obscuritate perstrinxit, cuius cõtextus quomodo accommodari poßit his quæ dicta sunt uidebimus. Temporis sunt, inquit, differentiæ considerãdæ oẽs, an uidelicet aliquo tempore id, quo finitur quidpiam, non insit. Propria quædã definiuntur certis temporib. ac pleraq; Physica non semper sed ut certis de causis, ita quoq; temporib. fiũt, nihilominus in his neceßitas est sic determinata tempore, ut aliter fieri nõ poßint. Definitione. n. compositis his, nihil erit quod definito temporis causa accidat. Id est, rẽ definitam sic esse in tempore nõ oportet, ut mutabile quiddã sit, quoniã tempus per se nõ circumscribitur tempore, habetq; tempus illud in definitione rationẽ immutabilis Nunc quo nimirũ res propter rationẽ perpetuã sese nequit aliter habere. Etenim aliud est, tẽporis ratione et definitione esse uerũ, et aliud in tempore esse uerũ, quale falsum etiã esse poßit. sed nõ ἀδύνατον, ut illud est quod secũdũ finitionẽ est falsum. In æternis enim esse, & posse, ut ait Aristote. nihil differunt. Proinde ratione ac definitione dũtaxat æternis, quemadmodũ NVNC ipsis cõueniat, sine circũscriptione aliqua temporis ostendimus. Atq; id ipsum in reb. per se, ac non tantũ intelligentia æternis (ut est uerbi gratia, animal immortale) magis euidẽs est & perspicuũ. Itaq; uidebitur inepta hæc esse finitio immortalis, si dicatur animal esse quod nũc sit expers interitus. Præsenti n. tempore finire absurdũ est, quod tempore nullo cõtinetur. Alioqui nũc immortale, id est, nõ simpliciter dicetur uacãs interitu, sed quia modo nõ sit morti obnoxium. Fortasse nihil impedit, quo minus etiam uocabulo NVNC, quispiam utatur conuenienter hac in definitione, inquit Aristoteles. Ambiguum est enim quid eo significetur. Nunc immortale, aut significat quod in præsentia non sit obnoxium morti, aut quod non poßit nunc mori, aut quod tale nunc sit

Immortale propriũ est animalis cuiusdã.

utrunq; poßit mortem oppetere. Tertia significatione si quis usurpare hanc uelit uocem, idem nimirum definitione & definito significabitur, nec in Definitione proposita accidentis cuiusdam uocula erit ipsum NUNC. At si pro eo ut accidens quoddam significans usurpatur, Definitio nimirum & καθόλου eo non exprimetur. discrepaturis scilicet definitione, & definito, quibusdam temporibus, ut si somnum quis definiens, dixerit esse πάθος, quo calor & sanguis ab exterioribus ad interiora repant. Deprehenditur nimirum πάθος illud quodam tempore esse, quo tamen somnus non sit, istiusq; loci argumento falsitas huius arguetur definitionis. Nam internis inflammationibus uiscerum, atq; alijs de causis sæpe euenit, ut humores intrô reuocentur. Quare somni hæc non erit definitio. In textu quædam sunt obscurius dicta, ut hoc, ὥστε οὐ συμβαίνει νῦν αὐτὸ ἀθάνατον εἶναι, quod interpretationem hanc habet. Significatione hac tertia si usurpetur NUNC, non accidet, id est, αὐτὸ ἀθάνατον, ipsius NUNC, sua in definitione erit particeps, non ut accidentis cuiusdam. ἀλλ' ὅμως ἐὰν που συμβαίνῃ. Id est, si per accidens usurpetur NUNC ipsum, erit nimirum cui ratio hæc immortalis conueniat (nempe τῷ νῦν ἀθανάτῳ, & non, αὐτῷ ἀθανάτῳ) cui tamen simpliciter nomen definiti non poßit accommodari. Quare simpliciter immortalis hæc non erit definitio, cum de quo nomen, de eodem quoq; ratio dici debeat, & uicißim.

LOCUS XXXXIIII.

Atque etiam illud uidendum est, id ne quod definitũ sit, alia oratione aptius, quàm ea, quæ proposita sit, explicetur. Vt si Iustitia definiatur, potentia suũ cuiq; tribuens. Iustus est enim potius, qui suũ cuiq; vult tribuere, quâm qui potest. Ex quo fit, vt non sit Iustitia, potentia suum cuiq; tribuens: præsertim cum is demum Iustus sit, qui suum cuiq; pro dignitate tribuere velit.

Unius quando duæ, aut plures proponuntur definitiones, quæ potior sit, & magis quadret definito, considerandum: quoniam unius nõ

potest

potest esse, nisi una definitio uera & genuina. Qua declaratur, quid per se fiat ab aliquo: præstat omnibus modis ei, qua ostenditur id, quod fit secundum accidens. Aut quod efficit aliquid per se, ei, quod secundum accidens efficiat, definiens oratio. In effectuum quoq; finitionibus magis apposita est hæc ratio, qua princeps, quàm qua instrumentalis exprimitur causa. Appetitus, bono, & prosecutione eiusdem per se finitur. Secundum accidens, malo, & ipsius fuga. Item ὁμογενῆ colligere in unam speciem, uim caloris per se declarat. Qui definiunt calorem, ut sit quo separentur ἑτερογενῆ eo quod simul cum hac collectione accidit, explanant ipsum, colligendo enim ὁμογενῆ, contingit ut separentur ἑτερογενῆ. Præterea effectus non instrumentorum, sed principum causarum effectionibus sunt definiendi. Motus Animalis igitur definiendus non est, neq; phantasia, neq; neruis, sed appetitu. Princeps hæc est causa, reliquæ sunt adiuuantes, & sine quibus non fiat aliquid. Concoctio nutrimenti definienda est non ui caloris insiti, sed animæ efficatia: adiuuans autem causa est calor, autore Aristotele libro secundo de anima, δοκεῖ δὲ τισὶν ἡ τοῦ πυρὸς φύσις ἁπλῶς αἰτία τῆς τροφῆς καὶ αὐξήσεως εἶναι. οὐ μὴν ἁπλῶς γε αἴτιον, ἀλλὰ μᾶλλον ἡ ψυχή· ἡ μὲν γὰρ τοῦ πυρὸς αὔξησις εἰς ἄπειρον, ἕως ἂν ᾖ τὸ καυσόν. τῶν δὲ φύσει συνεστώτων πέρας ἐστὶ καὶ λόγος μεγέθους, καὶ αὐξήσεως. ταῦτα δὲ ψυχῆς, ἀλλ' οὐ πυρὸς, καὶ λόγου μᾶλλον ἢ ὕλης. Proficiscantur ne à potentijs, an ex habitibus facta & dicta hominum, quæ laudari solent aut uituperari, quæritur. Bonitate & malitia indefinita sunt, quoad proueniunt á potentia uoluntatis opera ipsius aut effectus. Eatenus enim bona sunt, aut mala, laude digna uel uituperio, quatenus fiunt à potentia animi, et appetitus determinata habitu quodam, cui uirtus sit, aut uitium nomen. Non igitur potentijs, sed habitibus definienda sunt, quæ laudi dantur aut uitio. Vis quidem ad efficiendum aliquid tribuenda potentiæ, sed quod isto uel alio modo quid faciat, ad determinationem pertinet habitus, quo creantur nimirum species dictorum & factorum, quæ sunt materia tribunalium & iuditiorum, & de quibus homines inter se iure contendunt & litigant. Quapropter iustus est sic definiendus, ut sit, qui uelit, non qui poßit suum cuiq; tribuere. Ratio similis est iniusti, atq; aliorum quorumuis, quæ definienda sunt habitu & non potentia uoluntatis.

Definiendo separari debet, quo per se definitur aliquid, ab eo quo definitur secundũ accidens.

tatis. Sophista est, non qui potest fallere captiosis rationibus, sed qui studio id facit, & uult decipere. Arrogans, inquit Arist. in Ethicis, definitur, non quia poßit, sed quia uelit, & qui libenter sua ostentat & iactat. οὐκ ἐν δυνάμει δ' ἐστὶν ὁ ἀλαζών, ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει. κατὰ τὴν ἕξιν γάρ, καὶ τῷ τοιόσδε εἶναι ἀλαζών ἐστιν ὥσπερ ὁ ψεύστης. *Mendax est, non qui potest, sed qui delectatur mentiendo. Eum sic definit Arist. li. δ. Metaphy.* ψεύστης ὁ εὐχερὴς καὶ προαιρετικὸς τῶν τοιούτων λόγων, μὴ δι' ἕτερόν τι, ἀλλὰ δι' αὐτό, καὶ ὁ ἄλλοις ἐμποιητικὸς τῶν τοιούτων λόγων. *In Hippia Socrates apud Platonem, colligit argumentando eundem esse Veracem & Mendacem, quam absurditatem concludit ratione Mendacis, qua definit ipsum non habitu sed potentia. Item colligit eadem specie argumenti, meliorem esse eum, qui uolens faciat iniuriam, eo qui faciat ignorans & inuitus. His similia reperies apud Xenophontem quoq; libro quarto* ἀπομνημονευμάτων. *Quæ quidem omnia argumenta falsis, & hoc loco repræhendendis definitionibus positis, repræhenduntur. Quòd si speciem facti determinat habitus, & non potentia, quid causæ est, quod Politici iudicandis controuersiis magis considerant qualitatem facti, quàm propositum & uoluntatem, quibus tamen definienda uideantur dicta & facta hominum præsertim? siquidem autore Aristotele.* τῆς ἀρετῆς καὶ τοῦ ἤθους ἐν τῇ προαιρέσει τὸ κύριον. *Quamobrem scribit idem in Ethicis ad Eudemum.* ὥστε καὶ δίκαιον τοῦτο μᾶλλον ἐστί, *ut ratio simpliciter iusti iuditij magis Ethico, quàm Politico conuenire uideatur. Politicum quidem interdum ex hypothesi iustum est, neceßitas enim quædam ut iura, ita quoq; iudicia introduxit. In hac enim uitæ atq; ingeniorum imbecillitate, non quid fieri debeat, sed quid fieri poßit, & non semper quid melius, sed quid neceßitas postulet, consideratur,* ἐξ ὑποθέσεως δίκαιον *appellat Aristoteles Politicum, quemadmodum Ethicum,* ἁπλῶς δίκαιον. *Etenim Leges, ut Cicero scribit in offitijs, præscribunt iustum, quatenus manu teneri res possunt, Philosophi quatenus ratione & intelligentia. Vsui est præterea locus hic in Physicis ad refellendos eos, qui uim & efficatiam principalium causarum transcripserunt instrumentalibus, de quibus Aristoteles libro altero de ortu & interitu, sic scriptum reliquit.* ἔτι καὶ τὰς δυνάμεις ἀποδιδόασι τοῖς σώμασι, δι' ἃς γεννῶσι

Mendax qui.

ἀπορία.

λύσις.

Ciuile iustum quid.

Idem sentit Plato in Philebo.

λέγειν ὀργανικῶς, ἀφαιροῦντες τὴν κατὰ τὸ εἶδος αἰτίαν. *Qui plura uolet, inde requirat Exempla facientia ad huius loci explanationem.*

LOCVS XXXXV.

ILlud etiam vitiosum est genus definiendi, cùm quod definitur, Magis & Minus dici potest, definitio autem respuit has rationes comparationis, aut contra, definitio quidem eas recipit, sed definitum, non est capax earum. Aut enim vtrunque, aut neutrum capere debet. Siquidem est idem, quod oratione explicatur, & res ipsa, nempe definitum.

Quia pariter magis & minus, finitum finitioque participant, si quo finitur quidpiam, magis aut minus tale esse poßit: finitum autem comparationis istius sit expers, liquet nimirum hanc, quæ proponitur definiti ipsius, non esse finitionem. Argumento huius loci Socrates in Phædone, animam non esse harmoniam ostendit. Quoniam una Harmonia poßit alia aptior & concinnior dici. Animam uero non esse magis, aut minus animam, quacunque alia. Eadem ratione perspicuum est, calorem non esse ignis οὐσίαν, nec qualitates cœterorum elementorum, esse substantias ipsorum. Refellitur etiam hoc loco opinio illorum, qui sanitatem definiunt absolutißima symmetria. Sanitas enim magis ac minus recipit ratione temperamenti qualitatum primarum, & ut Galenus sentit, latitudinem quandam habet gradibus diuiduam, quæ in perfectißima symmetria nulla esse potest. Repræhensio eadem est eorum, qui iustitiam humanã stoicè definiunt. Quippe ratio eadem non est, quoad est & consideratur ipsa per sese iustitia, & quatenus noscitur cum materia concreta. Fœlicitas, quoniam alterius boni acceßione non crescit (quia ipsa secundum se perfectißimum quiddam est) ineptè scilicet faciunt, qui definiunt eam bonis, quæ augeri possunt aut miniui. Ratio loci ipsa per se satis est plana, nec desiderat interpretationem.

Animam nõ esse harmoniam.

Sanitas nõ est perfectißima κρᾶσις.

LOCVS XXXXVI.

VItiosum etiam illud Genus est, quando utrunque recipit quidem magis, sed non simul sint. Vt si amor definiatur esse cupiditas congressus. Cum enim qui ardentius amat non magis congressum appetat, fit, ut ambo non recipiant simul accessionem quandam, quod quidem deberent, siquidem idem ualerent.

Ambobus interdum, definito nimirum & definitioni, si magis & minus conueniant, sed nō simul tamen intēdantur & remittantur definitio proposita scilicet talis si fuerit, istius loci argumento claudicabit. Vt si famem quispiam dicat esse suctum uenarum, quo uidelicet, Chylo suo, quem ex alimentis hausit, uentericulus priuatur. Nō enim quo magis chylus exugitur, eo magis ingrauescit fames. Nam calidus uentriculus, aut pituitosus admodum, non quo inanior, eo famelicus est magis. Quamobrem fames erit non hæc suctio uenarum, sed sensus inanitatis, qui simul esse secundum magis & minus cum fame consueuit. Depræhendimus hoc loco multarum, quæ uulgo usurpantur, definitionum uitia, pleraque enim non sunt ratio rei propter se, sed propter aliud quiddam, quod ipsum si magis & minus recipit, definitum quoque eodem modo affectum esse oportebit, Vt si humidum & calidum natiuum sunt ratio & definitio uegetationis, & adolescentia corporis animati, quo magis illa erunt, eo magis crescet corpus & firmius erit, quo minus, eò erit imbecillius. At sublata differentia hac natiui scilicet & genuini, quod reliquum est, non erit definitio. Quippe humidum aliâs, & calidum, quo magis exuperant, eo minus uegetatur corpus atque adolescit: quàm aliâs etiam uitiosissimam esse intemperiem, & qua plurimi & pestiferi morbi oriantur, docet Galenus in libris de temperamentis, qui tamen perperam huius loci argumento sit usus contra Hippocratem disputans, qui in libro de Natura humana, sanguinis temperamentum calidū & humidum esse dixit, quod Galenus, fretus hoc loco, non uerè tamen dictū esse opinatur. Omnibus artibus & disciplinis obseruanda hæc regula est, qua istius Generis et loci definitiones dirigant ad uerum, et dubias examinent. Ea uero huiusmodi est. Si quid non se ipso, sed propter

Famis falsa finitio.

Regula omnibus disciplinis obseruāda.

ter aliud uim habere aliquam dicitur, id nimirum sic comparatum erit, ut non, si magis tale id fuerit, ipsum etiam, cuius est causa, magis tale esse oporteat. Aut contra, si definitum auctius sit, ob id ipsum quoq; id quo definitur tanquam causa, magis tale & intensius ex necessitate erit. Ut, suctus uenarum, causa est famis, sed propter aliud, nempe propter sensum inanitatis. Itaq; sine illo sensu, non necesse est, quo magis intenditur suctus, eo maiorem & grauiorem esse famem. Et rursum, etiamsi maxima sit fames, non ob id uehementissimus quoq; uenarum erit suctus, et in βυλιμία qua famelicum est animal, ut interim parum aut nihil uenæ sugendo attrahant. Ex quo perspicuum est famis naturalis definitionem non esse suctum uenarum, sed addendum est, cum sensu inanitatis in ore, uentriculi. Definitio hæc simul cum definito augetur & minuitur, itemq; definitum cum definitione pares habẽt gradus comparationis. Exemplũ istius loci ab Aristotele propositum paulo difficilius est, quod tamen paucis & breuiter, quoad fieri potest explanabo. Amor, si definiatur esse cupiditas congressus, eaq; si uera sit definitio, quo maior erit amor eo cupidior aliquis erit congressus Sed non ita res habet, quoniam non omnis qui magis amat, magis etiam congressum expetit. Amor certe affectus est, quo expetit quispiam & studet, ut benè sit amato, non semetipsum, sed amatum respiciens. Is affectus, quia in medio est concupiscentiæ & amicitiæ, utrius potius ratione definiendus sit dubitatur, quarum illa complectitur amore quidpiam aut propter se, quod non propter se tamen sit diligendum aut propter aliud quiddam id quod per se est expetendum tamen, hæc uero in ipsa dilectione & charitate amati acquiescit, eaq; fruitur tãquam fine quodam. Concupiscentia in congressu non definit amorem. Non enim qui congressum magis concupiscit, idem quoq; magis amat, siquidem amare est complecti amatum hoc nomine, ut in ipsum conferat quàm plurima benefitia, gratificeturq; ei gratuitò, non ut aliquid ab ipso consequatur, neq; sui commodi uel uoluptatis gratia sit beneficus. At isti quo magis potiuntur amato crebris congressibus, & quo magis ultima (ut dici solet) linea amant, eo magis cauent ne sapiens & frugi homo fiat amatus, id est, eo minus amant uerè & complectuntur

Fames naturalis quid.

Amor amicitiæ, & concupiscẽtiæ.

tur ipsum. At quò amicior, eò debebat cupidior & studiosior esse bonorum amati. Sed quo cupidius congreditur, non eò magis amat, sed magis suæ inseruit libidini ut eam expleat. Quocirca aut amor non est congrediendi desiderium, aut si quis est congressus, propter amicitiam ad ipsum pertinebit amorem, autore Aristotele in altero libro Analytικῶν priorum. Lysias apud Platonem in Phædro: Amorem seu amatorem cupiditate congressus definiens, amato persuadere argumentis conatur, quòd magis obsequi, & gratificari debeat non amatori quàm amatori. Hanc definitionem postea Socrates reijcit ac duplicem amorem esse ostendit, unum uerum & salutarem, nempe amicitiæ, alterum concupiscentiæ: falsum & fucatum, & aspernandum propter dedecus & libidinem. Argumenta referre nimis longum esset, quo planius autem & melius omnia intelligantur ex Phædro, ut dixi, requirenda erunt. Lysias amorem definit ἐπιθυμίᾳ τοῦ συνεῖναι uel συνουσίας: sed ut dixi, perperam. Amoris enim finis est, non τὸ συνεῖναι, sed τὸ φιλεῖσθαι, ita ut amare sit amatum ipsius causa complecti amicitia. Aliud apud Græcos significatur uocabulo ἔρωτος, & aliud, φιλίας uocula, ut ἔρως cupidinem quandam significet: quæ nimirum ipsius ambiguam faciat definitionem. Aristoteles in Analyticis, eo quo supra dictum est libro, comparatione quadam ostendit, ἔρωτα potius esse φιλίαν: quàm ἐπιθυμίαν τοῦ συνεῖναι. Fructus uidetur esse amoris χαρίζεσθαι id est, gratificari & obsequi amato. Quæritur utrum sit optabilius, talem esse ut dignus sit cui gratificetur quis, & tamẽ obsequij non fieri compotem, an talem non esse, ut nihilominus ei præstetur obsequium, At melius est et optabilius, talem esse ut dignus sit, quem propter se prosequatur quispiam amore sine obsequio, quàm obsequi, qui tamen dignus non sit qui ametur, aut cui benignè fiat ipsius causa. Ex quo concluditur, melius esse et præstare amari amore amicitiæ, quàm concupiscentiæ, cuius finis est congressus & obsequiũ. Sed ἔρως, cum ex numero bonorum sit (amor enim per sè præstat odio) potius amicitia quàm concupiscentia definiendus erit, potiorq́; in amore ratio erit τοῦ φιλεῖσθαι quàm τοῦ συνεῖναι, atq; ob id magis eligendum. Ergo qui magis

φιλία.
ἔρως.

amat,

amat, magis amore amicitiæ fruitur, quàm ut congreßus, & gratificationes, & obsequia exoptet, aut ijs magnopere indulgeat. Quæ si præstiterit, non propter se, aut alterius gratia libidinis, sed propter amicitiam, quæ est affectus in amatum, præstabit: nam his omnibus potior est amicitia, quoniam ipsa non est propter obsequia, sed obsequia sunt propter ipsam uel acquirendam, uel conseruandam, cùm uidelicet habeat rationem finis in amore, simulq; ambo & augeri contingit & minui. Ergo amor nō est bene merendi studiū, sed amicitia quædam qua ipsum per se amatum complectimur cum bene merendi studio & obsequijs coniuncta. Similis huic est definitio Iustitiæ Christianæ, quæ nimirum, est fides operans per charitatem, ut nimirum potior sit ratio fidei, quàm operum, Absq; fide enim opera carent iustitia, qua ratione peccatum esse dicitur quicquid extra fidem est. Quare propter fidem opera dicuntur iusta. Orandus igitur Deus, ut nostra confirmetur & augeatur fides, quò Iustitia quoq; nostra sit auctior & fructuosior bonis operibus. Eodem modo Virtutem dicimus esse habitum honestum non actiones, quibus generatur habitus, Simulq; augentur habitus ille & uirtus, sed non simul sunt incrementa bonorum operum, & incrementum uirtutis, Bona enim opera, nisi rectæ rationis, id est, uirtutis finibus determinentur, quò plura peraguntur, eo deteriorem faciunt hominem, Hypocritam uidelicet, quo Genere hominum, uel Platone autore, ut interim non allegem sacras scripturas, nullum est aliud improbius & malitiosius. Quamobrem si apud Ethicos opera non sunt iustitia hominem, sed habitus: multo id minus in Iustitia Christiana consentaneum erit, in qua nimirum fidei uocabulo habitus iustitiæ significatur, quem bonis operibus actuosum esse oporteat. Opera quæ proficiscuntur ab habitu præstant, inquies, habitui, cùm propterea quod habitus propter actiones est, tum quòd actionibus etiam, non habitu, definiatur fœlicitas. Rectè quidem ista dicuntur, uerum in præsentia non quæritur, quid cui præstet aut potius sit, simpliciter, sed utro potius sit definienda iustitia Christiana, habitu ne fidei an operibus, quorum nonnullis

Iustitia Christiana quid.

ἀπορία. λύσις.

generatur habitus, quædam autem habitu ſunt poſteriora, & ad alterius rei definitæ rationem præſertim pertinentia. Nam ut illæ actiones ad fœlicitatem, ſic habitus ad uirtutem comparari ſolet. Sed de his dictum ſatis. Haud longè ſecus intemperantia Crapulæ, uoluptate potius, quæ percipitur repletione eſculentorum & poculentorum, quàm repletione ipſa eſt finienda. Nam aut omnino non eſt repletio (quum ea poßit etiam ſine crapula eſſe) aut ſi fuerit & nomen habuerit Crapulæ, non per ſe, ſed gratia uoluptatis id nominis habebit. Alioqui quo magis crapulatur quis, non eo magis repleri ipſum & ingurgitari, ſed plus uoluptatis percipere oportet. Nec quò maior fuerit ingluuies, eò ex neceßitate maior quoq; uoluptas erit. Eadem ratio ualet in Voluptate finienda, quæ non motu, ſed energia ſenſionis eſt finienda. Non enim quo motus, ſed quo energia ſenſionis ſecundum naturam affecti corporis uehementior ſit, eo uoluptas quoq; maior eſt. Opum quoq; & diuitiarum dubia eſt & anceps definitio. Neq; enim ſatis conſtat, utrum quoad acquiruntur multa et poßidentur, an quatenus uſui ſuppetant & liberalitati multa, finiri debeant. In his certè conſiderandum, quam rationem & definitionem rei cum definito augeri ſimul & minui contingat, & quidnam cuiuſnam reſpectu aut per ſe, aut propter aliud eſſe dicatar. Quæ ſi obſeruantur in diſciplinis & artibus, dictu eſt incredibile, quantum ad cognoſcendam ueritatem, & ad rectè agendum & iudicandum ualeant. Quid Diuitiæ ſint quæritur? Quod ſit ratio earum uſu finienda, & non acquiſitione, hac nimirum comparatione eſt perſpicuum. Nam ſi ſatius eſt pauca acquirere, & his, prout decet, uti, quàm multa acquirentem non rectè uti, appellatio diuitiarum ſcilicet potiori ac meliori, eiq; quod magis eſt eligendum, cùm ſit tribuenda, conſtat ſanè fine & uſu potius, quàm acquiſitione diuitias eſſe finiendas. Deteſtabilis eſt, & prohibita legibus Vſura. Hanc pleriq; definiunt prouentu & fructu, qui habeatur ex pecunia collocata apud aliquem. Verum Ariſtoteles fine eam & propoſito definit, nec quemlibet prouentum pecuniarum ex pecunia τόκον ſeu uſuram appellat, ſed eam duntaxat, quæ propria ſit negotiationis & καπηλικῆς. Cœterum ſtudium acquirendæ pecuniæ, quam ipſe χρηματιστι-

κὴν

κὴν nominat, duplex deſcribit *Ariſtoteles in Politicis*, διὸ κατὰ φύσιν ἐστὶν ἡ χρηματιστικὴ πᾶσιν ἀπὸ τῶν καρπῶν καὶ ζώων. διπλῆς δ' οὔσης αὐτῆς, καὶ τῆς μὲν καπηλικῆς. τῆς δ' οἰκονομικῆς. καὶ ταύτης μὲν ἀναγκαίας καὶ ἐπαινουμένης. τῆς δὲ μεταβλητικῆς ψεγομένης δικαίως. οὐ γὰρ κατὰ φύσιν, ἀλλ' ἀπ' ἀλλήλων ἐστίν, εὐλογώτατα μισεῖται ἡ ὀβολοστατικὴ διὰ τὸ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ νομίσματος εἶναι τὴν κτῆσιν, καὶ οὐκ ἐφ' ὅπερ ἐπορίσθη. μεταβολῆς γὰρ ἐγένετο χάριν. ὁ δὲ τόκος αὐτὸ ποιεῖ πλέον, ὅθεν καὶ τοὔνομα τοῦτ' εἴληφεν, ὅμοια γὰρ τὰ τικτόμενα τοῖς γεννῶσιν αὐτά ἐστιν, ὥστε καὶ μάλιστα παρὰ φύσιν οὗτος τῶν χρηματισμῶν ἐστίν. *Vſum ergo & prouentum pecuniæ, qui non iniqua ratione, & prohibita legibus percipiatur, ut neceſſarium domui adminiſtrandæ, ita boneſtum quoq; & laudabilem in Oeconomia ſtatuit Ariſtoteles. Qui autem exigunt illum prouentum iniquè, nec determinant eum fine & uſu œconomico, uoluntq; nihil aliud, quàm prolẽ parenti ſimilem facere, id eſt, prouentus pecuniæ non ad legitimum uſum accommodare, ſed rurſus alijs fœnoribus fœcundum facere, his et definitio & definitum (uſura ſcilicet) quadrabit, habentq; paria incrementi & decrementi momenta, ſiquidem magis eſt uſura, prouentus pecuniæ ex pecunia, quo magis acquiritur & fœcundior eſt, nullo fine legitimi uſus determinata. Sed canamus, ut dicitur, receptui, ſentiamusq; prouentus pecuniarios ex collocata pecunia, non eſſe hac conditione, ut his criminoſum illud fœnus definiatur. Cùm ut aliarum rerum ad uitæ neceßitatem pertinentium, fructum, ſic uſum pecuniæ comparandis neceſſarijs adhibitum nemo uituperare poßit. Quare uſura non prouentu pecuniæ ex pecunia, ſed fine uitioſo, id eſt, infinitate acquiſitionis erit definienda.*

LOCVS XXXXVII.

PRæterea vitioſa quoq; eſt definitio, propoſitis duob. de quorum altero definitum magis dicatur, ſi de quo magis definitũ dicitur, de eo definitio minus dicatur. Vt ſi ignis definiatur tenuiſſimum corpus. Flammæ quidẽ magis nomen ignis conuenit quàm luci: at nilominus ratio propoſita luci, magis quàm flammæ congruit. Atqui vtrunq; id eſt, finitum & finitio, eidem magis conuenire deberet, ſiquidem idem valent.

Istius loci sententia hæc est, Si propositis duobus, quorum alteri magis definiti uocabulum conuenire uideatur, sed definitio minus quàm alteri, certum est, id, quod propositum sit non ritè definitum esse. In proprijs & accidentibus quædam quibusdam magis aut minus uidentur inesse. Vt energia sensionis magis inest principali sensui, quàm externis sensibus. Hæc energia si finiatur esse πάθος quoddam, quod àb externis obiectis in sensibus oboriatur, magis uidelicet definitio hæc congruet sensibus externis, quàm interno & principali. Item uulgò diuitis uocabulum magis conuenit ei, qui copiosus est & abundat opibus, quàm ei qui contentus est rebus suis. Quòd si posita sit hæc definitio diuitis Stoica, ut sit cui nihil desit, qui nihil appetat, nihil requirat, nihil optet amplius, ea nimirum opulento cuidam minus conueniet, quàm mediocri, & contento rebus suis. Ex quo constat, uulgo diuitem secus, quàm à Philosophis finiri. Præterea Aristoteles in Ethicis Philautiam magis conuenire bonis, quàm improbis censet. Eius si fuerit hæc definitio, ut sit amor, quo ipse sibi quispiam placeat, aut præstare se alijs putet propter res secundas. Honesto nimirum homini definitio hæc non potius quadrabit, quàm uano & uitioso. Item, Ius ciuile si definiatur esse ratio æquißima in omnibus controuersijs, distribuendi cuiq; quod suum est. Definitum quidem Iuri quod Legibus sancitum est, magis conuenit, quàm ἐπιεικείᾳ, id est, æquo & bono. At definitio contra, magis conuenit æquitati. Quoniam interdum summum Ius ciuile, in quibusdam dirimendis litibus, summa dicitur iniuria. Quòd si definitioni addatur, legib. descripta æquißima ratio, eidem nimirum definitio quoq; magis conueniet. Item uocabulo σήψεως significatur concoctio cibi in uentriculo, ut apud Hippocratem, ac præterea corruptio rei: crebrius tamen & magis. Quare si quis concoctionis definitionem ei adhibeat, definitum scilicet alij rei magis, & alij, definitio magis erit accommodata. Ita quoq; ignis significandæ flammæ magis adhibetur, sed esse λεπτομερέστατον magis conuenit luci. Lucem pro specie ignis habitam, declarat uersiculus ille Empedoclis.

ἠέλιον μὲν λευκὸν ὁρᾶν καὶ θερμὸν ἁπάντῃ. *Id est,*

Vndiq;

Vndiq; candidus, & calidus Sol, conspicuusq;.

LOCVS XXXXVIII.

VItiosum etiam definiendi genus est, si definitum similiter utrisq; propositis rebus conueniat, definitio autem non similiter, sed alteri magis.

Potest fieri, ut definitum ex æquo conueniat utrisq;, definitio autem alteri magis. Vt libido ex æquo est incontinentis & intemperantis. At si hæc definiatur esse appetitus persequens uoluptates, nulla id prohibente ratione recta, intemperantis hæc magis erit, quàm incontinentis definitio, nec proinde ut definitum, ita definitio quoq; communis erit. Tractus appellatio conuenit ex æquo ei, quod inanitatis causa attrahit. Et ei item, quod similitudinis & qualitatis causa, cuius uigore attrahit. Item ei, quod conglobatione rectarum fibrarum tractum exercet in corpore animato. Tractus igitur definiendus est in genere, ut quemadmodum his omnibus definitum, ita pariter definitio etiam quadret. At si tractus finiatur, esse successio, ad id quod est uacuatum (sic enim Erasistratus tractum definiuit) finitum scilicet & finitio non eisdem pariter accommodata erunt. Sed copiosius de his in commentarijs nostris super libros Galeni de facultatibus naturalibus, differemus.

LOCVS XXXXIX.

PRæterea uitiosa est definitio, si duorũ quidẽ definitorũ sit, sed utrumq; complectens, alterutrũ definiat separatim: ut pulchrũ si definiatur, quod iucunditate afficiat per oculos, uel demulceat aures. Item, id quod EST (τὸ ὄν) esse, quod agere uel pati possit. Sic enim idem simul et pulchrum erit & non pulchrum. Itemq; idem erit, & non erit ENS. Quoniam quod aures demulcet, idem est ipsi Pulchro, sequitur, vt id, quod Auditum mulcet, non sit ipsum Pulchrum. In his enim, quæ simpliciter idem sunt

eorum etiam opposita sunt eadem. Oppositum autem pulchrum est, non pulchro, & mulcens auditum, ei quod non mulcet auditum. Quare idem erit, non mulcens auditum, ei quod dicitur non pulchrum. Si quid ergo erit iucundum uisu seu aspectu, quod auditu non sit gratum, idem aliquid pulchrum erit & non pulchrum. Eodem modo demonstrabimus etiam idem esse ENS et NON ENS.

Aliquando fit ut definitorum duorum aut plurium rationem in se contineat definitio, ita ut separatim unius sit aut poßit esse absq; alio definiti ratio, is non unam constitui definitionem per absurdum demonstrat locus præsens. Per rationes Specierum coniunctas definitur interdum Genus, quarum definitiones ita separatas esse constat, ut una, negationem alterius in se contineat. Sit ergo definitum .a. quod definitione complectente duas rationes Specierum, nempe .b. & .c. quid sit declaretur. Itaq; .b. est ipsum .a. & item .c. est ipsum .a. Definitio enim & definitum sunt omnino idem. Quapropter si .b. non est ipsum .c. sequitur ut .a. ipsum non sit ipsum .a. quo nihil nec dici nec fingi potest absurdius. Exemplum istius loci, quod proponit Aristoteles, desumptum est ex Hippia maiore Platonis. Eo in Dialogo quærit ex Sophista Socrates, quid sit ipsum pulchrum: Tum Sophista uniuersum Genus per Specierum rationes definiens, dicit ipsum esse oblectamentum quod uisu percipiatur, uel auditu. Hanc definitionem suo more Socrates disputando falsam & ridiculam esse ostendit, Ne longior essem, argumentis recitandis supersedendum putaui, quæ reperiuntur in extremo ferè dialogi. Vnicum nobis Aristotelis satisfacit argumentum modo expositum, quo liquidò appareat, fieri nullo modo posse ut huiusmodi definitionibus ullius rei essentia explanetur, quibus necesse sit idipsum quòd sit quidpiam, istud non esse ipsum fateri. Vt si pulchrum est ipsum oblectamentum uisus, ac rursum, si pulchrum sit ipsum auditus oblectamentum. Visus porro delectatio, non sit etiam ipsa delectatio auditus. Sequitur etiam ut ipsum pulchrum non sit ipsum pulchrum.

Absurdo

Absurdo illo laborant, ut dixi, definitiones omnes, quæ implicitis Specierum rationibus definiunt Genus. Quocirca Epilepsia suis non est definienda Speciebus, nec Melancholia suis, nec Iustitia hoc modo, ut sit habitus tribuens cuiq; quod suum est, uel commutando, uel distribuendo. Aliâs in Definitionibus copulatis utimur partibus ut Grammatica quando dicitur esse ars legendi & scribendi. Aliâs disiunctis simpliciter, ut in oppositis actu, quæ simul esse nullo modo possunt, quibusq; nihil soleat definiri, unum. Vel disiunctis & oppositis quidem actu, potentia autem & facultate coniunctis, & in eodem existentibus subiecto: ut ratio est motus & quietis in definitione Naturæ: Vel disiunctis quidem sed non oppositis, ac subiecti quidem causa separabilibus, ut Pulchrum si finiatur eo quo superius modo, esse uidelicet oblectamentum quod aut uisu percipiatur, aut auditu. Græci appellant συνημμένα, διαζευκτικὰ ἁπλῶς, & συνημμένα, & παραδιαζευκτικά. Ex his postremi, quam uim & usum habeat, sic explanat rationem Galenus, αἴσθησις τοῦ βάρους γίγνεται ἤτοι δι' ἢ ἐκ τῶν φλεβῶν ἢ ἐκ τῶν ἀρτηριῶν, ἢ ἐκ τῆς πιμελῆς, ἢ ἐκ τῶν ὀστῶν, ἢ ἐκ τινῶν, ἢ ἐκ πάντων γενήσεται. Δῆλον δὲ ὡς εἰ καὶ παραλίποιμέν ποτε κατὰ τὰς τοιαύτας διαιρέσεις, τὸ ἐκ τινῶν, ἢ ἐκ πάντων, αὐτὸ χρὴ προσυπακούειν, εἰδότας ὅτι κατὰ τοὺς τοιούτους ἅπαντας λόγους οἱ σύνδεσμοι οὐ διαζευκτικοὶ ἀλλὰ παραδιαζευκτικοί εἰσιν. Sub istus loci repræhensionem uenit definitio hæc πληθώρας proposita à Galeno in libro περὶ πλήθους, qua nimirum definit eam παραδιαζευκτικῶς particulis βάρους & ὄγκου παρὰ φύσιν hoc modo πληθωρικὴ διάθεσις ἐστὶν ὅταν ἢ βάρος ἢ ὄγκος ὑπὲρ τὸ κατὰ φύσιν ᾖ. Repræhendit Galenus Erasistratũ, quòd una duntaxat Specie πληθώραν definierit tumore scilicet uenarum contra naturam, cùm sit etiam alia quædam qua prægrauentur propter imbecillitatem artus, etiam absq; distensione uenarum & arteriarum. His utrisq; iunctis causis, si definiendam Plethoram censet Galenus, cum una separatim absq; alia possit subsistere Species, eodem absurdo, quo superius exemplum, ipsam Plethoram non ipsam esse oportebit. Enunciari tamen partes illas atq; affirmari παραδιαζευκτικῶς de Genere, nihil probibet, quantumuis partibus his ipsum definiri sit absurdum. Causarum enim distributione, respectu effectuum, & Specierum respectu Generis, subinde παραδιαζευκτικ-

Vsus particularum connectentium uel separantium in definitionibus.

Definitio πληθώρας falsa.

Galenus li. δʹ de causis sympto. ferè in fine.

διαζευκτικοῖς τοῖς συνδέσμοις utimur, quæ tamẽ ad definiendas res nõ pertineant. Græci quidam Aristotelis interpretes particulam hanc in definitione Naturæ, motus & quietis: διαζευκτικῶς exponunt tanquam si dixisset Aristoteles, motus uel quietis. Propterea quòd sint nonnulla quæ semper quiescant, ut terra, & quæ semper moueantur, ut cœlum. Quod si uerum sit, Species nimirum hæ & non Genus ipsum erunt Naturæ, quum separatim poßint esse, & una alterius essentiæ negationem contineat. Itaq; non διαζευκτικῶς συνημμένως, ut supra dixi, sed παραδιαζευκτικῶς partes hæ compræhensæ erunt definitione Naturæ. Hac interpretatione faciunt hanc Aristotelis definitionem repræhensioni istius loci obnoxiam, dum student nimirum eam rectæ intelligentiæ asserere, peruertunt eam & faciunt absurdam. Eos Simplicius in secundo libro ἀκροάσεως, physicis quibusdam refellit argumentis, qui plura uolet inde petat. Proinde ut in definitione Naturæ rectè iunguntur motus & quies, sic perperam in definitione τοῦ ὄντος uel copulatis uel disiunctis utimur uoculis AGERE uel PATI Species enim faciunt τοῦ ὄντος agere & pati, uniuerso Genere differentia, Præterea sunt quædam quæ duntaxat patiantur ut materia prima, quæ moueant tantum, & per se nihil patiantur ut formæ rerum, ut animæ, ut corpus cœleste respectu elementornm. Quare & hac definitione: VEL, est παραδιαζευκτικὸν, & eodem uitio: quo superiora, claudicans.

LOCVS L.

IAm uerò si orationes pro nominibus sumamus & Generum & differentiarum, & eorum omnium quæ definitio complectatur, an aliquid eorum discrepat uidendum est.

Efficientia, item materia Generum, aut differentiarum sæpenumero pro ipsis ponuntur Generibus aut differentijs. Hæc atq; similia his si posita in definitionibus fuerint perperam pro Gene-

re aut differentia, deprǣhenduntur ſcilicet ſi pro nomine illorum poſita fuerit oratio. Fœlicitatis Genus ponitur à quibusdam Virtus. At propter aliud cum ſit uirtus (habitus enim propter actionem eſt) fœlicitas autem per ſe ſit in rebus expetendis, conſtat ſanè uirtutem non Genus eſſe ſed ex efficientibus cauſis fœlicitatem. Proinde nec uiolenta illiſio qua uerberatur äër (ut uiſum fuit Pythagoricis) ſonus eſt, ſed eius qualitatis, quæ appellatur ſonus, cauſa eſt effectrix: Nec porro differentia eſt Subſtantiæ ex elementis conſtituta, CRASIS, quippe Subſtantias illas quidam nihil aliud eſſe dicunt quàm elementa certo quodam temperamento mixta. Formam: gratia cuius mixtum Subſtantia ſit & appelletur, non ipſam per ſe (quoad nimirum definitur) conſtitutum quiddam & concretum ex elementis, uerum ex numero principiorum eſſe docet Ariſtoteles in Metaphyſicis. Quòd ſi craſis erit quædam, ex alijs conflatum ſcilicet quiddam erit, quoniam aliter definiri craſis & temperamentum non poteſt. Et multis præterea definietur Subſtantijs, nempe elementis, quæ ſunt Subſtantia mixti corporis, quibus non niſi ſecundum accidens unum, uidelicet temperamentum, efficitur, cum tamen Subſtantiæ cauſa unum, non niſi propter Speciem οὐσίας unicam dici conſueuerit. In hoc errore uerſantur hodie nonnulli, & apertè affirmant rerum inanimatarum Speciem nihil aliud eſſe quàm exuperantis elementi craſis. Galenus hanc ſententiam non ambiguè defendit, inquiens, τὴν ἑκάστου τῶν σωμάτων οὐσίαν ἰδίαν ποιάν τινα κρᾶσιν εἶναι. In libro de plenitudine ſeu περὶ πλήθους & alijs multis locis. Sunt etiā nonnulli qui ut continentem cauſam, quam ego interpretor proximè et efficaciter antecedentem, in morbis nullā eſſe contendant, & probent, morbi Genus, uel differentiā, dicant eſſe Subſtantiam. Vt in obſtructionis morbo, uerbi gratia, pituitam ipſam dicunt eſſe morbū, non quia ei accidat aliquid nempe διάπλασις παρὰ φύσιν, quæ non ſit ipſa pituita: ſed fiat ab ea tanquam à materia. Sed materia non eſt Genus, aut differentia, effectus, ipſa per ſeſe, quòd ſi ab ea denominetur quidpiam, non Subſtantiæ ſed accidentis habebit rationem, at pituitoſa obſtructio non eſt ipſa pituita.

Error Cardani.

Galeni error

Illi ergo morbum ſubſtantiæ genere compræhendi, malunt fateri, quàm proximam & προσεχῆ cauſam morborum admittere. Veruntamen diſputare illud non eſt, ſed φυλάττειν θέσιν, id eſt, nullo reſpectu uerarum rationum habito, cœlum, ut dicitur, terræ miſcere. Iſtius loci argumento repræhenditur etiam Pulchri definitio apud Platonem in Hippia maiore. Sic enim ille definit Pulchrum, ut ſit, Voluptas quæ proſit. Quid, inquit, Socrates: nonne quod prodeſt, efficit bonum? At bonum ipſum, itemq; efficiens ipſum, idem nequaquam ſunt. Ex quo concluditur pulchrum non eſſe bonum, nec bonum eſſe pulchrum, quod perabſurdum dictu Hippiæ uidebatur, cuius finitionem confutabat Socrates.

LOCVS LI.

QVod ſi res quæ definitur, in iis ſit, quæ cum aliquo conferuntur, uel per ſe, vel generis cauſa, conſiderandum erit, an in definitione expreſſum non ſit id, ad quod vel ipſa res per ſe, vel generis cauſa confertur. Vt ſi quis ſcientiam, appręhenſionem, quæ mutari, aliud ſuadendo, non poſſit, vno verbo id ἀμεταπείσου Græci exprimunt. Aut voluntatem, appetitum indolentem. Eorum enim omnium, quæ cum aliquo conferuntur natura, ad alterum refertur, quandoquidem vnius cuiusq; iſtorum, quæ huius ſunt generis, natura id ipſum eſt, ad aliquid quodammodo eſſe affectum. Debuit ergo Scientia definiri ſic. Appręhenſio ſcibilis: Et, Voluntas, Appetitus boni. Simili modo, ſi Grammaticam definijt, Scientiam eſſe literarum. Oportebat enim uel commemorare ad quod ipſa refertur ſpecies, aut ad quod genus refertur ipſius.

Aliquot Loci, qui deinceps ſequuntur, quo modo, quæ ad aliud relata intelliguntur, definienda ſint, præſcribunt. In quibuſdam definitio et definitum ſimpliciter & omnino ſunt relata. In nonnullis, definita quidē ſunt abſoluta, ita ut definitio uniuerſa, Genus & Diffe-

Differentias habeat absolutas. Sed in aliis quibusdam definitio quidem tota est absoluta: sed uel genus habet quod poßit referri, uel differentiam. Veruntamen si definitionis duntaxat altera pars hac conditione sit, ut queat referri, definitum ob id ex relatis esse non oportet. Vt uerbi gratia. Materia substantia est, quæ causa facultatis poßit informari à specie. Referendo intelligitur (informari) differentia. Atqui ipsum per se differentia non est, sed accidens (relatio enim omnis accidit) si non determinetur addito quopiam (ut hoc exemplo, specie) quo astringatur ad genus, quo cum definitionem constituit materiæ. Grammatica porro definitur sic, ut sit scientia literarum. Scientiam posse intelligi & definiri ad aliud relatione, nemo ignorat. Sed in definitione Grammaticæ, pro genere usurpatur absoluto, & qualitate quadam. Nam si relatum esset, differentiam quoq; ex relatis esse oporteret, quoniam absoluta nequit esse differentia relatorum generum, quando iis species definitur. Species itaq; relatas utrisq; relatis partibus necesse est finiri, ut duplum, patrem, aspectabile & similia. In his definiendis, ponimus pro genere unum aliquod istorum trium generum, quib. uniuersum genus relationis ab Arist. libro quarto Metaphysicæ est distributum. Quorum primum est, quo exuperans comparatur exuperato. Alterum, quo agens pacienti, seu perficiens perfecto. Tertium, quo mensurans mensurato, ut ἐπιστήμη ἐπιστητῷ, & ὁρατὸν ὁρατῷ. Generi postea pro differentia adiungimus id, ad quod refertur definitum. Vt, Dupli definitio hæc est, qua dicitur esse Exuperantia dimidii. Et dimidii hæc, qua dicitur Exuperatum dupli. Scientiæ, quoad refertur, hæc est definitio, ut sit apprehensio ἐπιστητοῦ, non enim libenter utor uocula hac parum latina, Scibilis: quando uno uerbo, ad quod refertur Scientia, non commodè potest exprimi. Sic Patrem definimus, ut sit efficiens geniti. Definiendis omnibus relatis, eadem est & similis ratio. Arist. protinus initio loci, quæ differentia sit definitorum in genere Relationis collocatorum, ostendit. Ac quorum species extremæ atq; indiuiduæ referendo ad aliud definiantur, absolutè seu ἰδίως relata appellat, ut sunt duplum, pater, & similia. Sed quorũ relatio non descendat ad species infimas, ac propter species absolutas traduci etiam poßint in

genus aliquod absolutū, ut scientia qualitate continetur, quia Grammatica, Dialectica, eodem continentur genere: hæc, inquam, τῶν τινὸς relata ad aliud appellantur. Non enim quatenus pars sunt definitionis absolutarum specierum, referuntur, sed quoad sunt à speciebus separatum quiddam. Ut uocabulum Scientiæ, quoad extra definitionem est suarum specierum. Nam ut in Elenchis scribit Aristoteles, οὐ ταυτὸ σημαίνει διῃρημένον καὶ συγκείμενον, οὐδ᾽ ἡ ἐπιστήμη τῶν εἰδῶν. Quoad ergo separatim ac sine specie consideratur uocabulum Scientiæ tanquam Genus, si definiatur ut relatum quiddam, & non ut qualitas, tum hæc ipsius non uera erit definitio, qua dicitur esse appræhensio ἀμετάπειστος, id est, cuius gratia diuersum non possit persuaderi. Quoniam differentia relati nec absoluta esse potest, nec ex alieno genere Relationis transferri. Ut ἀμετάπειστον differentia, secundi generis est relatorum, cum ἐπιστήμη, atq; genus ipsius, nempe ὑπόληψις sit ex tertio. Etenim ut Aristoteles ait libro tertio de anima, λόγος πείθει, sed πείθων refertur ad πιστεύοντα, qui sub genere sunt secundo Relatorum, actione nimirum & paßione. Scientiæ itaq;, quatenus refertur, hæc uera est & germana definitio, ut sit uidelicet appræhensio ἐπιστητοῦ. Ratio definitionis constat ex superius dictis. Ita quoq; semẽ, seu sperma finitur, ut nimirum sit efficiens organicum geniti cuiusdam. Alioqui quod absolutè & ratione suæ substantiæ est, definitur hoc modo, ut sit περίττωμα ἐσχάτης πέψεως. Scientia uero ut qualitas, sic definitur, ut sit habitus demonstratione acquisitus. Omnino necesse est in definitionibus relatorum, genus & differentias ex eodem genere, ut paulo ante diximus, asciscì. Alioqui quid prohiberet, quin absoluta quædam pro relatis haberentur, ut morbus, cuius partes definitionis propemodum omnes referuntur, ut Diathesis, primò, impediens, actionem. Quid enim horum est, quod non referatur, id est, referri possit? At posita in definitione non referuntur. Quoniam οὐ ταυτὸ σημαίνει διῃρημένον καὶ συγκείμενον uocabulum, ut supra diximus. Nec impediens actionem, quoad compositum quiddam est, refertur, quæ nimirum morbi est differentia. Cœterum noli mirari, si diuersorum generum uocabulis aliquando describuntur differentiæ, cum idem in plerisq; usu ueniat; ut definire Synochon febrim non possumus, quin uocabu-

lum quantitatis adhibeamus, nempe continuum, quod qualitatis non est differentia, sed accidens: sed sit Differentia, quando ratione Paroxismi ad genus duntaxat Febris astringitur. Sequitur enim propositi generis naturam differentia, nec sine genere aliquid esse potest. In definiendo triangulo, figura, quæ est sub genere qualitatis, pro differentiis asciscit uocabula quantitatis, ut tres, & lineas, sed determinatio, quæ est habere, in causa est, ut non amplius quantitates, sed differentiæ sint definitæ istius qualitatis. Si quid ergo aut ipsum per se definitur relatione, aut genus habet, quod poßit relatione definiri, si definiantur ut relata, ac eorum, ad quæ referuntur, nulla mentio fiat, pro non ritè definitis nimirum habenda erunt. Quicquid enim sunt relata, id omne respectu aliorum esse dicuntur. Proinde genere quædam duntaxat nonnulla autem penitus & ἰδίᾳ relata esse docet Aristot. libro δ. Metaphysicæ, sic scribens. τὰ μὲν καθ' ἑαυτὰ λέγεται, τὰ δὲ ἂν τὰ γένη αὐτῶν ᾖ τοιαῦτα. οἷον ἡ ἰατρικὴ πρός τι, ὅτι τὸ γένος αὐτῆς ἡ ἐπιστήμη δοκεῖ εἶναι τῶν πρός τι. Definiens ergo uoluntatem, quatenus non est οὐσία, sed quoddam συμβεβηκὸς & relatum ad aliud, ne dixeris ipsam esse apetitum indolentem, sed appetitum βουλητοῦ. Species ὀρεκτοῦ est βουλητόν. Eius loco bonum posuit Aristoteles, quo uidetur absolutè aliquid significari, tametsi autore Aristotele in Ethicis βουλητὸν nihil aliud sit, quàm bonum aut reuera, aut apparens. Et in tertio libro de anima, bonum distinguit, ut quoddam sit absolutum, quoddam alicui bonum, & relatum, quoad nimirum est, quo terminatur relatio desiderabilis. Sic enim scribit. τῶν γὰρ ἁπλῶς διαφέρει καὶ τινί. Ergo boni uocabulo utitur hîc tanquam relato. In definitione etiam eius, quod causa generis refertur, ut Grammaticæ, si referri ipsam aliquò quispiam dixerit, uel generis id explanandum, uel ipsius definiti ratione erit, quorum neutrum fit hac definitione Grammaticæ, qua dicitur esse scientia literarum. Sed de hoc loco dictum satis.

LOCUS LII.

Considerandum quoque, si quid ad aliud relatum intelligatur, id ipsum non retulerit ad finem. Cuiusque

 enim

enim finis est optimum, & id gratia cuius reliqua fiunt. Exprimi debet igitur uel optimum, uel extremum. Vt definiens concupiscentiam si dicat eam esse appetitum iucundi, & non uoluptatis. Nam propter uoluptatem iucunda quoque expetimus.

Concupiscentia species est appetitus, quæ terminatur bono iucundo, uel effectu iucundi, nempe uoluptate. Vtrunque horum, respectu intelligitur ἐπιθυμητοῦ: subijci enim absoluta quædam oportet relatis. Nam ut absoluta relationibus, ita relationes absolutis quibusdam, fundamento scilicet & termino referri necesse est. Relationes quidem absolutis accidunt, sed absoluta relationibus non accidunt, nam sine his relationes sunt nihil. Si quis ergo definiendo quidpiam quod relatione ad finem sit exprimendum, ipse id aut materia, aut efficiente finis expresserit, huius nimirum loci reprehenditur argumento, quoniam præsertim ut propter finem res est & generatur, ita quoque noscitur & definitur. Valet locus ille non tam in relatis, quàm absolutis definiendis, qualia sunt ferè omnia in his disciplinis, quibus absolutè aliquid, de quibus supra quodam loco est dictum, non cõsideratur. Voluptas est ἐπιθυμητόν, quin etiam iucundum, quod efficit uoluptatem: sed illa per se est, hoc uerò, quia est efficiens uoluptatis, ἐπιθυμητὸν appellatur. Scientia quoque cum sit ὑπόληψις ἐπιστητοῦ, quæritur: num præmißis an conclusione in demonstrationibus terminetur ἐπιστητόν. Respondere oportet conclusionem, quia finis est demonstrationis. Itaque si quæ ratio finiũ in perfectè relatis occurrat, ne uitio laborent quod reprehenditur isto loco, prouidendum est. In absolutis quoque definiendis quomodo adhibeantur uocabula relationum supra ostendimus. Propemodum omnes & materiæ rerum, & effectrices causæ, cum instrumentis & motionibus definiuntur finibus quibusdam, qui sunt bonum & perfectio, quo illa quæ diximus, diriguntur & aspirant. Sine forma quidem (quæ nimirum finis est) materia quid sit non intelligitur, ἄγνωστος γάρ, ut Aristoteles ait, καθ' ἑαυτὴν ἡ ὕλη. Quum sit ignotißima materia, forma autem, seu finis notißimus naturæ rerum, & effectus, itemque causæ effectrices,

finis

finis ratione potius quàm materiæ necessitate definientur. Veteres Physici rerum naturalium fermè omnia πάθη non finiente causa, sed necessitate materiæ definiunt, cuiusmodi definitiones passim ab Aristotele reprehenduntur, præsertim autem in primo libro de partibus animalium. Ac præterea Plato quoq; in Phedonæ uituperat Anaxagoram, qui cùm statueret in omnibus quæ fierent in natura, finem ut diuinissimam, ita quoq; præstantissimam causam, mox, tāquam sui oblitus in αἰτιολογίαις eraducit rationes omnes ad necessitatem quandam, qua aliquid fiat, non quia sit melius, sed quia necesse sit. Infinitum est, omnia conquirentem ex autoribus exempla pertractare, Nec uerò puto magnopere profutura hæc commentaria cuiquam, qui non uel mediocriter in Philosophia Aristotelica sit uersatus. Quin etiam, ut aliæ magnæ & præstantes artes sine præceptore non facilè addiscuntur, ita in primis eximia hæc & regina aliarum Dialectica ars, ut scientissimum, ita quoq; diligentissimum desiderat præceptorem: non modo quæ ad præcepta attinent acutè explicantem, uerum etiam usum præceptorum exemplis & crebris disputationibus accuratè tradentem. Nos quantum stylo & scribendo consequi possumus, dabimus operam, ne quid neglectum, ne quid obscurius quàm par sit, tractatum & explanatum à nobis uideatur. Atq; utinam, qui lecturi hæc sunt, tam sine fastidio & inertia cognoscenda potius quàm contemnenda ducerent, quàm nos propter iuuanda communia studia, non oscitanter, & quasi aliud agentes in his explanandis Topicis uersandum nobis esse putauimus: cùm antea multum & temporis & operæ in uniuersæ Philosophiæ cognitione posuissemus. Quibus autem laboribus id assecuti simus, æquus & non obesæ, ut dicitur, naris lector facile iudicabit. Nec spero ingratos fore eos, qui sese nonparum profecisse his nostris commentarijs senserint. Sed reuoco me rursus ad pensum meum. Physicis, item his qui de moribus & rebus politicis disputant, deniq; omnibus artibus & disciplinis, quæ considerant motus & materias rerum ad certos fines destinatas, perutilis est locus ille, Quodam etiam superius commemorato loco ostendimus, ueteres Physicos plærosq; hallucinatos, cùm rerum naturas non

forma & fine, sed materia, eiusq; affectionibus definirent. Empedocles finit nutricationẽ, motu, quo leuia et ignea in cibo ferantur sursum, grauia & ponderosa subsidant in partibus inferioribus: Democritus, globosis atomis animam definit, quia sint mobilißimæ, alij eandem frigus esse dicunt, alij calorem, alij humorem quendam animatis corporibus ingeneratum. Detineri in medio terram, non quia melius sit & grauitatis causa putat Anaxagoras, sed quia propter latitudinem aëre circumfuso fulciatur. Empedocles propter cœli uertiginem incitatißimam cohiberi undiq; terram arbitratur, ut in nullam cœli partem decidat. Aristoteles in Physicis Finem ostendit, esse principem causam, & pleraq; propter finem esse et fieri: Nonnulla tamen fieri, non quia sit melius, sed quia necesse sit, propter materiam scilicet rebus aliquo modo affectis. Quod contra naturam afficiuntur, ac præterea causa interitus nulla reperitur alia præter materiam in rebus. Quod autem fiant optime omnia, ratio est in forma, quæ est Finis CVIVS, & item CVI (prior motionis, posterior subiecti, perfectio est) de quibus differentijs diximus in commentarijs nostris in Acroamata Aristotelis. Est duplex etiam Neceßitas. Quædam enim simpliciter sunt necessaria, ut æterna, quæ carent materia, nonnulla autem ex hypothesi, ut Physica, propter materiam. Sunt præterea necessaria quædam propter materiam, ut his nec deterius res habeat, nec melius, ut sunt plani aut crispi capilli, uox clara, aut obscura, oculi nigri, uel glauci, quæ πάθη rebus secundum naturam affectis propter materiam accidunt, nec prouehentia nec impedientia in effectibus cursum & motum melioris naturæ. Alijs interim neceßitatibus materiæ impedientibus progressum finientis causæ, quibus impedimentis subinde morbida & monstrosa nasci uidemus. Tractum, ut aliâs diximus, in corpore animato definit Erasistratus neceßitate uacui, non fine nutricationis. Quemadmodum eodem Timæus anhelitum quoq; definit. Sed exemplorum satis est. Extremum motionis (quæ est imperfecta energeια) aut optimum est quiddam, & perfectio rei, aut deterrimum: quo autem malum dicitur quid-

piam

piam, aut miserum, aut penitus peremptum & abolitum. Cum autem finis omnis ipse non finiatur alio, sed sit infinitus, consentaneum est improbos etiam semper esse miseros, quatenus scilicet ad finem miseriæ peruenerunt. Is, quia non optimum quiddam est, imò deterrimum, ἔσχατον potius quàm τέλος appellatur. Idipsum quoque est gratia cuius (qui apparet bonum esse) improbi multa moliuntur, non secus atque boni sui consequendi finis gratia. Aristoteles in Metaphysicis non propriè τέλος & τελευτὴν in malis usurpari scribit, ἐπειδὴ τὸ τέλος τῶν ἐσχάτων τί ἐστι καὶ ἐπὶ τὰ φαῦλα μεταφέροντες λέγομεν τελέως ἀπολωλέναι καὶ τελέως ἐφθάρθαι, ὅταν μηδὲν ἐλλείπῃ τῆς φθορᾶς καὶ τοῦ κακοῦ, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ ἐσχάτου ᾖ. *Ergo auaritia non est accumulare magnas opes, aut eas perpetuò exaggerare, sed collectis non liberaliter uti. Nec aboleri & perire Substantiam, est temperamentum mixtionis dissolui, sed Speciem deleri, quæ nomen & essentiam rei naturali dedit. Refertur enim interitus non ad materiam sed ad Speciem rei, quæ fit et perit propter crases elementorum. Quare non rectè naturam definiuit Empedocles quando ait,* φύσις οὐδενός ἐστιν, ἀλλὰ μόνον μίξις διάλλαξίς τε μιγέντων.

LOCVS LIII.

CONsiderandum præterea, num id, quo exposuit definitionem: motus sit rei aut actio. Nihil enim horum finis est. Egisse enim, & natum esse, finis potius nomen, quàm uel oriri, uel agere, obtinet. Quanquam non in omnibus rebus ita est. Ferè enim omnes uoluptatem capere ex quaque re malunt, quàm desiisse capere. Quare agere finis sit potius quàm egisse.

Quo fit aliquid id non est finis ipse, sed est id quo tenditur ad finem, qui est ἐντελέχεια *perfecta, cum Motus sit energia imperfecta, quæ γενέσει rerum prior est, cùm* ἐντελέχεια φύσει & λόγῳ *sit prior. Ergo prius* λόγῳ *definiendum non est utroque modo posteriore. Actio item propter effectum est: nec domus quid sit, intelligitur ædifica-*

tione, ſed contra, domo ratio ædificationis explanatur. Contra præſcriptum huius loci nutricationem definiunt, qui eam dicunt diſtributionem & digeſtionem nutrimenti per uniuerſum corpus. Neq; enim motus digeſtionis nutrimentum eſt, ſed aßimilatio, qua ſcilicet ipſum ſpecie ſimile redditur nutrito. Autore enim Galeno, οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἢ θρέψις ἐστὶν παρὰ τὴν τελείαν ὁμοίωσιν. Et in Philebo uoluptatem Plato nō recte motu finit, quo ſecundum naturam aliquid moueatur uehementius. Non enim motus eſt (ut ait Ariſtoteles) uoluptas, ſed finis quidam & energia, comes motionis. Quamobrem finis, aut effectu motionis definiri debet, aut energia propria ἐνεργοῦντος, quam effectus nullus ſequatur alius, quæ ſcilicet energia ineſt rebus, aut cum motu, aut ſine ipſo. Cum motu finis & energia, ut eſt Voluptas, ut eſt Praxis. Quo in genere conuerſio quoq; rotunda eſt corporis cœleſtis. Rotatio enim hæc finis eſt, quia ad ipſum non tendit, nec eſt propter finem quendam, quoniam motus cœli (ut ſcribit Ariſtoteles) ἀεὶ ὂν τέλος ἐστίν. Viſio, auditio, contemplatio, energiæ ſunt, non coniunctæ cum motu. Senſus enim communis ſunt energiæ, qui motu nullo τοῦ πάθους αἰσθητοῦ attingitur. Contemplationem porro non eſſe motum, ſed energian mentis, Ariſtoteles libro primo de anima, contra Timæum Platonis diſputans, probat. Secretis à materia ſubſtantiis & formis huiuſmodi energias præcipuè tribuimus, quibus in ſemetipſis acquieſcunt, & ut Ariſtoteles ſcribit, ἠρεμήσει μᾶλλον ἐοίκασι ἢ κινήσει. Idem Metaphyſicæ libro θ, πρᾶξιν tanquam genus partitur in duas ſpecies, In motum ſcilicet, quo tametſi res perfecta non ſit, perficitur tamen: & in energian, quæ non ad finem dirigatur aliquem, ſed ipſamet ſit finis & perfectio. Quibus iſta non ſatis faciunt, legant prius à me citatum ex Metaphyſicis locum. Voluptas in numero finium ponitur hoc loco ab Ariſtotele, cuius rationem dicit eſſe, quòd omnes malint ſe uoluptatibus affici, quam affectos eſſe. Sed roget forſan aliquis, quî fiat, quòd uoluptates non maneant eædem, ſed finiantur moleſtia quadam? Voluptatibus id per ſe non ineſt, cum ſint perfectæ energiæ, ſed propter motum id ipſis, & propter materiam accidit. Quorum enim non una & ſimplex eſt natura, illorum quoq; energia ſine defatigatione eſſe nequit, nec uoluptas eadem ſemper

ἀπορία.

λύσις.

durare

durare sine molestia potest. Aristotelis hæc est ratio libro septimo Physicorum εἴ του ἡ φύσις ἁπλῆ εἴη ἀεὶ ἡ αὐτὴ, πρᾶξις ἡδίστη ἔσται. διὸ ὁ θεὸς ἀεὶ μίαν καὶ ἁπλῆν χαίρει ἡδονήν. οὐ γὰρ μόνον κινήσεως ἐστὶν ἐνέργεια ἀλλὰ καὶ ἀκινησίας. καὶ ἡδονὴ μᾶλλον ἐν ἠρεμίᾳ ἐστὶν ἢ ἐν κινήσει.

LOCVS LIIII.

IAm in quibusdam si quanta, qualiaq́ sint, & ubi fiant: itemq́ cœteræ differentiæ non explicentur, vitiosa erit definitio. Vt si non dicatur, qualis & quantæ gloriæ cupidus sit ambitiosus. Nam quoniam omnes gloria ducuntur, non satis est gloriæ cupidum dicere, eum qui gloriæ sit appetens, addendæq́ sunt differentiæ, quas enumerauimus. Itemq́ si auarus definiatur, quanto studio pecuniæ teneatur, exponendum est. Aut si Impotens, quarum uoluptatum sit, in quibus uersetur. Neq́ enim si quis, qualiscunq́, & quauis voluptate vincatur, is continuò Impotens habendus est, sed is demum, qui certa quadam superetur. Eiusdem generis sunt Definitiones, & qua Noctem definiunt, vmbram terræ, & qua, Terræ motum, concussionem terræ, & qua Nubem, aeris spissitudinem, & qua Ventum, aeris motionem. Addendum enim quantum, & quale id sit, & vbi fiat, & vnde. Quod eodem modo de aliis eiusdem generis iudicandum est. Qui enim quamuis differentiam prætermittit, is naturam rei non explicat. In id autem quod prætermissum est, omnis dirigi semper debet Argumentatio. Non enim si quomodocunq́ quantumlibet terra concussa sit, continuò terræ motus est. Nec si aer quoquo modo, aut quiuis pellatur, Ventus est.

Nonnulla sunt, quæ quando definiuntur multifariam determinari oportet loco, tempore, qualitate, aut quantitate, aut modo certo, quæ nimirum tanquam differentiæ species describunt rerum definitarum,

quas causis quibusdam necesse est explicari. Quemadmodum igitur effectus definire causis ad finem relatis debemus, non autem ipsa per se materia, uel motu, uel efficiente quopiam, ita causæ etiam suo quodam loco & tempore, aut modis & conditionibus alijs sunt determinandæ, si fuerit opus, cùm absq; his certa species effectus interdum definiri nequeat. Causis limitatas definitiones effectuum, aliâs diximus nulla re discrepare à demonstrationibus, præterquam positu et figura orationis. πάθη sunt porro quædam, quæ in eodem primo quidem insunt subiecto, quæ tamen, quoad differentibus limitantur causis specie differant, quamuis eadem esse uideantur genere. Vt uerbi gratia, criticus sudor, & symptomaticus, quamuis genere uideatur idem, & in ægrotante, tanquàm eodem primo subiecto, insit, idem tamen nequaquam est determinatione causarum, locorum, temporum, quibus Criticæ nimirum differunt à symptomaticis excretionibus. Magnum usum habet locus ille in disciplina Iuris, qua species his circumscribi differentijs plerunq; est necesse. Nam quod uidetur aliquando idem esse, unica uel temporis, uel loci, uel qualitatis differentia addita, specie penitus diuersum apparet. Quare ad suum quoq; usum locum hunc accommodabunt Iuris studiosi, ut perfectas & solidas habere poßint definitiones, id est, ratione generis non nimis laxas, aut exceptionibus mutilas. Ad medica me confero & Physica exempla. Cruditas est (ea nimirum Symptoma quoddam est malè affecti uentriculi) priuatio concoctionis cibi in uentriculo, si non conficiatur, qui aliâs potuit, & eo tempore, atq; hoc modo, quo debuit. Non enim omne, quod non concoctum subsistit in uentriculo, cruditas debet appellari. Vt si quis nucleos integros, aut acinos deuorans, non concoquat. Sed cruditas tum dicitur, cum aliquid, & quando, & quomodo, qualitatis & quantitatis gratia debebat concoqui, secundum naturam à uentriculi calore non conficitur. Nec imitatione expressum Salmonei fulmen, his causis, quibus ipsum imitabatur, definiendum est. Siquidem id Maro talibus definiuit & expreßit uersibus.

Quatuor hic inuectus equis, & lampada quassans
Per Graiûm populos, mediæq; per Elidis urbem

Ibat ouans, Diuumq; sibi poscebat honores
Demens, qui nimbos, & non immitabile fulmen.
Aere, & corni pedum cursu simularat equorum.

Tonitru porro & fulmen ipsum multo propius, & causæ descriptione, & sonitu, imitantur Bombardæ, quàm Salmonei istud ludicrum, quo insanam quandam ambitionem testatus est stultus homuncio, & dignus qui de Cœlo tangeretur. Isto in genere, si cui absolutè & uerè adhibetur definitum, omnibus scilicet conditionibus perfectam esse oportet finitionem, ita ut nulla ex his conditionib. definito desit. Quæ tametsi uocabula rebus interdum quoq; aliis accommodentur, non prima tamen & præcipua, sed posteriore ratione, & quodammodo homonymως ipsis conueniunt. Significantur his aliquando multa, sed ut Aristoteles ait κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον. At unum quid significant κυρίως; quod suis quibusdam & certis conditionibus perfecte finitur, Qualis est Contactus apud Aristotelē in priore de ortu & interitu libro definitio, quæ duntaxat Physicis, non item Mathematicis corporib. definitio conuenit. Præterea, Incrementum, quod adolescentibus propriè corporibus inest, suis nimirum conditionibus & causis, modo suo & tempore limitatis, habet definitionem quæ nullis aliis poßit accommodari crescentibus reb. ut igni, uel aquæ. His equidē κυρίως res definitur, nihilominus propter similitudinem quandam aliis quoq; definita uocabula hæc posterius accommodantur, ac non uerè sed quasi in genere, eisdem appellantur nominib. quo tamen nomine propriè una duntaxat species erat nomināda. Ignorantia autem definitionis rerum & causarum uulgò peccatur, ut q aliquo modo est, id simpliciter & omnino esse uideatur. Quæ similitudines in plerisq; insunt, aut analogia similib. aut genere eisdem. Imperfectè noscit uulgus rerum naturam, & ferè, quid sint, generatim duntaxat perspectum habet. Quo fit, ut eundem contactum esse physici corporis & Mathematici opinentur, eodemq; modo crescere ignem, quo corpus animatum, putent. Quamobrem causa generis appellationem unius speciei transferunt in aliam, ut non temere Aristoteles in Physicis homonymias reb. aut uocabulis specierum

& rerum plures accidere propter Genus earum monuerit. Mixtile seu μικτὸν uocula, aquæ & igni ὁμωνύμως accommodatur, quippe utrunque, quia respectu alterius agit & patitur, mixtilis appellationẽ obtinet, ac Generis quidem causa hæc ipsis communis est definitio. At ratio qua ignis mixtilis dicitur, & qua aqua, ea nimirum nihil idem habent præter appellationem, quam (quia res scilicet ea non significantur eadem) Homonymon esse oportet. Quoad enim Synonyma existunt quædam, misceri non possunt, quoniam quæ sunt omnino eiusdem naturæ, nequaquam miscentur, qualis nimirum est ea natura quæ rebus causa Generis attribuitur. Quod animaduertens Aristoteles, cùm loqueretur de Mixtili, sic scriptum reliquit in fine prioris libri de ortu & interitu ἐστὶ μικτὸν μὲν ὅταν εὐόριστον ὄν, παθητικὸν ἢ καὶ ποιητικὸν καὶ τοιούτῳ μικτὸν πρὸς ὁμώνυμον γὰρ μικτόν. Itaque πάθος omnino & simpliciter idem est, quod non modo unum est, sed una & eadem causa, eidem primo subiecto inest. Quòd si idem sit, quod inest πάθος subiectum autem & primum δεκτικὸν non sit idem, uocabulum commune ut forsan Dialecticis sit Synouymum, Physicis tamen erit Homonymum. Nulla est alia causa quòd Motus uocabulum apud Dialecticos Genere unum est, sed apud Physicos Genere multiplex, quàm quòd Physici considerant in quo primo insint subiecto species illæ quarum causa res dicuntur mobiles. Dialectici autem πάθη rerum considerantes sine causa, non in quo subiecto primo, aut quibus causis proueniant, sed quodammodo separatim illa definiunt καὶ παρὰ τὰ πράγματα. Physicè autem definientibus ut motus, ita πάθη reliqua, οὐκ ἐστὶ παρὰ τὰ πράγματα. Ergo enim & merito causarum & propriorũ subiectorum quibus Generantur & fiunt hæc, in Physicis πάθη considerari solent. Agitatio igitur in aqua, & in aere, specie eadem non est, quarum illa fluctus, hæc uentus appelletur, subiectis nimirum et causis non eisdem existentibus. Sine causa & subiecto proprio definitur à Dialecticis agitatio, ut sit nimirum uehemens quædam corporis commotio. Eius in omnibus corporibus species una atque eadem uidetur inesse Dialectico, & ob hanc causam ὁμωνύμως abuti uocabulis uidetur Dialecticus, quòd uidelicet Generis uocula loco utatur speciei. Quædam non λόγῳ uidentur eadem (cùm

reuera

reuera sint diuersa) sed ἀναλογίᾳ, quorum definitiones non esse easdem interdum sit admodum euidens, ut claritas in uoce, & colore. In quibusdam obscurior, ut plane habeatur pro eodẽ quod analogia duntaxat sit unum, ut proximi Generis comparatione, eadem specie uidetur agitatio uentorum, & fluctuum. Regulam, qua sic confusæ Species rerũ discerni possint, mira breuitate perstrinxit in Physicis Aristoteles, sic scribens πότε ἕτερον οὖν τὸ εἶδος; ἐὰν ταυτὸ ἐν ἄλλῳ ἢ ἂν ἄλλο ἐν ἄλλῳ. Καὶ τίς ὅρος; ἢ τῷ κρινοῦμεν ὅτι ταυτὸ τὸ λευκὸν καὶ τὸ γλυκὺ ἢ ἄλλο; ὅτι ἐν ἄλλῳ φαίνεται ἕτερον, ἢ ὅτι ὅλως οὐ ταυτόν. Horum uerborum sensus hic est, pro una specie nõ numeratur, quæ in diuersis specie primis subiectis eadẽ inesse nequit. Vt fluuij ratio eadam non est profluẽtis utcunque propter effusionẽ aquæ, & per scaturiginem à fonte quodã manantis perennem. Tametsi utrisque aquis, quòd profluunt, commune sit, nihilominus causis discrepant, quibus nõ eisdem specie profluuium illud accidit. Fluuij igitur, quæ posita est, hæc non erit definitio, quoniam si rationes non fuerint eædem, & nomen si fuerit idem, ὁμωνύμως scilicet Generis uocabulum Speciei assignatum erit. Multo magis id apparet, si aliud non tantum Specie, sed etiam Genere discrepans, in alio primo insit subiecto, quamuis alioqui subiectum habere uidentur Idem, ut album & dulce in Saccaro. Ea uero sunt πάθη quæ compræhenduntur diuersis sensibus, quæque uno in subiecto sic insunt, ut unum sine alio esse possit, ut album sine dulcitudine, quorum illud oculis, hoc uero percipitur gustatu. Qua ratione, non modò Specie, uerum etiam Genere definita discrepare dinoscuntur. Exempla quæ sunt in textu, facilem habent interpretationem. Ambitiosi definitio est, ut appetens sit honorum, sed qualium, quo loco, quo tempore, determinabit Ethicus. Eadem sunt consideranda quando auaritia definitur cupiditas pecuniæ. Item: non quæuis opacatio terræ Nox est, sed quæ sua quadam causa prouenit. Nec quilibet motus terræ σεισμὸς est, sed is qui definitur ea causa quæ est in Meteoris. Nec densitas aëris quælibet est Nubes. Nec motus quiuis aëris est Ventus, aut quilibet fluxus aquæ dicitur Flumen. His omnibus definiendis adhibenda sunt ea à quibus fiant, & Vbi, & quando, & quomodo se habentibus, qualitatis aut magnitudi-

Physicω̃ lib. 7.

nis gratia. Quacunq; enim conditione omissa, res definita non erit, & definitio (in qua desideratur horum aliquid) isto loco, & argumento poterit tanquam falsa coargui.

LOCVS LV.

EOdem modo peccatur in Appetitionibus definiendis, cùm non adiicitur τὸ φαινόμενον, id est apparens, & quale uideatur, ac præterea in cœteris etiam in quibus illud adiiciendum est. Vt si uoluntas definiatur appetitio boni, & Cupiditas, appetitio rei quæ uoluptatem efficit, nec addatur, eius quod bonum uideatur, aut eius rei quæ uoluptatem efficere uideatur. Sœpe enim ignorant ii qui cupiditate tenentur bonum esse, aut iucundum esse id quod cupiunt. Ita non est necesse id esse bonum aut iucundum, sed modo uideri, debuit ergo hoc pacto explicatio fieri. Quòd si ita ut dixi, rem tradat & aperiat, ad Ideas impellendus erit is qui ponit Ideas esse. Neq; enim Idea est in ulla re quæ uideatur & appareat, Et Species quidem seu Idea ad Ideam referri uidetur, ut Ipsa cupiditas, Ipsius iucundi est, & Ipsa uoluntas, Ipsius boni. Non igitur eius quod bonum esse uideatur Ipsa uoluntas erit, neq; rei quæ uoluptatem afferre uideatur, Ipsa cupiditas. Quare non est apparentis boni, Ipsa uoluntas, nec apparentis iucundi, Ipsa cupiditas. Absurdum est enim, esse aliquid Ipsum uisum bonum, aut Ipsum uisum iucundum.

Est respectus quidam in rebus (quæ nimirum tertij sunt Generis Relatorum) quo aliâs uerè aliquid esse dicuntur hoc nomine: quo ad ipsa refertur aliud, interdum non uerè id ipsum sunt, sed apparent esse, ut bonum, ens, uerum, & similia. Refertur ad hæc appetitus, uoluntas, appræhensio, opinio, & reliqua his similia. Diffe-

Differunt Specie, Bonum reuera, & Apparens. Idem de cæteris iudicandum. Quæritur: uoluntas cum sit una facultas, cuius uis ad res Specie dißimiles relata, nempe ad Verum, et ad Adparens bonum, sit definienda, quonam pacto ipsius una poßit esse finitio? Nam quod ad Species discrepantes bonorum attinet, ipsius duæ nimirum erunt definitiones, cum tamen unius non sit nisi una definitio: Idem quæri de reliquis potest Rebus Specie discrepantibus, ut per se unum non constituitur, ita nec definitur. Quamobrem si rei unius definitione compræhendantur, necesse est ut aliquid idem sint, & ambo quasi coalescant in unius formæ Speciem, cuius ratione ut sint quiddam unum, ita quoque sub unius rei & facultatis definitionem ueniant. Proinde ut Materia ENTIS & NON entis, amborum scilicet Specie differentium (quandoquidem priuatio quoque Species quodammodo est) particeps, causa mutationis intelligitur: ita bonum, quod reuerâ est, & quatenus fallax & fucatum, ad uoluntatem referuntur communi & una quadam ratione Apparentiæ. Etenim bonum duplicem habet rationem, absolutam scilicet & relatam (nam autore Aristotebe libro 7. Ethicorum τὸ ἀγαθὸν διχῶς λέγεται, τὸ μὲν γὰρ ἁπλῶς, τὸ δὲ, τινὶ) relata quidem ratione duntaxat pertinebit ad uoluntatem, quæ nimirum explicatur Apparentia, & quatenus uidetur. Quantumuis enim bonum sit reuera: nisi uideatur etiam, profectò non expetitur, adeoque uerum est Timonis illud, καὶ τό γε φαινόμενον πάντῃ σθένει οὗπερ ἂν ἔλθῃ. Ergo alicui bonum esse nequit, siue uerum, siue fucatum sit, nisi alicui uisum quoque fuerit. Illud nimirum amborum κοινὸν εἶδος existit, gratia cuius βουλητοῦ appellationem habent ambo. Alioqui si per se & reuera bono, uoluntatem definiamus, tum scilicet fucati uoluntas non erit, aut necesse erit unius definitiones esse duas, quorum utrumque absurdum esse per se est euidens. Cum ergo non simul utroque, neque etiam alterutro poßit definiri Voluntas, & unius non sit nisi una definitio, quatenus ambæ Species una quadam ratione φαινομένου deuinciuntur, eius nimirum hæc erit definitio & ratio, autore Aristotele libro tertio Ethicorum, ut sit Voluntas,

Id est. Nempe ualẽt multum nobis quæcunque uidentur.

appetitus boni, pro eo ut ipsum cuiq; apparet, τῷ μὲν οὖν σπουδαίῳ τὸ κατ' ἀλήθειαν εἶναι, τῷ δὲ φαύλῳ τὸ τυχὸν φαίνεσθαι. Vt βουλητὸν duplex specie, ita quoq; opinabile, & item ὀρεκτὸν. Modus omnia hæc definiendi est idē, Quin etiam ὀρεκτικὸν, autore Aristotele in tertio libro de anima, quibusdam specie duplex esse uisum est: Νοῦς uidelicet, & ὄρεξις. At quod primo mouet Animal, ὀρεκτικὸν scilicet, specie unum est. Quare si ambo hæc specie differentia, ὀρεκτικὰ erunt, una quadam & communi specie participabunt, qua nimirum ὀρεκτικὸν, quod est itidem unum, definiant. ἓν δή τι τὸ κινοῦν πρώτως τὸ ὀρεκτικὸν, εἰ γὰρ δύο νοῦς καὶ ὄρεξις ἐκίνουν, κατὰ κοινὸν ἄν τι εἶδος ἐκίνουν. Quod commune εἶδος ostendens non esse Aristoteles πρῶτον κινητικὸν, & ὀρεκτικὸν ostendit esse ὄρεξιν. At huiusmodi κοινὸν εἶδος esse ὀρεκτοῦ, ad quod referatur ὀρεκτικὸν, liquet è superioribus. Ergo cupiditas etiam, non iucundi simpliciter, sed apparentis iucundi erit appetitus. Quòd autem non sit iucundi per se, ex eo perspici potest, quoniam non semper si sit iucundum, appetitur, sed quatenus apparet, appetitum ad ipsum ferri & referri est necesse. Istius, quanquam ueræ & germanæ definitionis uoluntatis & cupiditatis, repræhensionem aliam ex hypothesi subiungit Aristoteles, qua non tā ipsa definitio coarguitur, quàm falsa hypothesis hæc demonstratur, qua nimirum separatarum formarum, nempe Idearum, finitiones duntaxat esse quidam opinantur. Quam opinionem, si tanquam ueram & consentaneam tueamur, necesse sit, ueras quoq; huiusmodi Definitiones falsitatis cuiusdam arguere. Assertoribus itaq; Idearum non permissum est, huius loci argumento acquiescere, quoniam nulla erit secundum ipsos apparentis rei definitio. Idearum duntaxat id est, à materia separatarum formarum, quæ reuera sint, & alieni nihil admixtum habeant, gratia cuius appareant esse quod non sint, definitiones illi esse arbitrantur. At quæ apparent, hac natura sunt & conditione, ut aliter se habere queant, nec sint (quales Ideas esse statuunt) immutabilia suapte natura & sempiterna. Etenim accidentia sunt, & item materia, quibus res non uerè est, sed apparet esse. Sic Aristoteles in sexto libro Metaphysicæ de accidentibus scribit. ταῦτα δὲ μᾶλλον φαίνεται ὄντα. Et in duodecimo libro eiusdem operis. ἡ μὲν ὕλη τὸ δέ τι οὖσα τῷ φαίνεσθαι. Quamobrem φαινόμενα separa-

tum

tum quiddam (nempe Idea) nullo modo erunt, cùm ſint rei, quoad eſt in materia, phantaſmata quædam. Apparentis igitur boni, quatenus apparet, quoniam Idea non eſt, eius profectò nec definitio erit ſiquidem eius, quod per ſe & ſeparatim nequit ſubſiſtere, Ideam negant eſſe Platonici. Atqui, ipſum per ſe apparens, nihil eſt, ſed ei, quod uerè eſt, accidit. Ergo ſic diſputandum erit contra eum, qui aſſerens Ideas, definitionem hanc uoluntatis protulerit. Vt enim Cupiditas eſt iucundi apparentis, ita Ipſaiucunditas, id eſt, Idea, erit Ipſiusiucundi apparentis. Similiter Ipſauoluntas erit Ipſiusboni apparentis. Sed abſurdum eſt & hypotheſi repugnans ſtatuere Ipſumapparens bonum, cum ut paulo ante diximus, Ipſumapparens, ſeparatim nihil eſſe poßit, ut quod uerum & ſyncerum haud queat eſſe.

LOCVS LVI.

IAm ſi habitus definietur, ex eo, in quo eſt habitus, ducetur argumentum. Et ſi id, in quo eſt habitus, ex habitu. Simili ratione vtendum quoq; in reliquis coniugatis. Vt ſi id iucundum dicatur, quod prodeſt, nimirum qui voluptate afficitur, idem vtilitatem quoq; percipit. In definitionibus autem huius generis, fit, neſcio quo modo, vt is, qui rem definiendo aperit, plura vno definiat. Qui enim Scientiam definit, quodammodo etiam definit ignorantiam, itemq; is, qui doctum, etiam indoctum: & qui ſcire: etiam ignorare. Si enim primum planum fiat, quodammodo etiam cœtera perſpicua fient omnia. Quapropter in talibus, ſi quid diſcrepet, ex iis locis, quos in contrariis & coniugatis expoſuimus, Argumenta ducemus.

Quemadmodum ſpecies quædam, quatenus ſeparatæ ſunt à materia, definiuntur, ut illæ ſunt, quas conſiderant Mathematici ἐξ ἀφαιρέσεως*: ita ſunt nonnullæ, quæ quoad ſubiecti alicuius ſunt habitus, quid ſint cognoſcuntur. Vt Bonum quid ſit, ſed humanum, item Iu-*

ſtitia, ſed qua homo iuſtus dicatur. Quomodo igitur à coniugatis probandæ aut refellendæ ſint definitines, hic locus admonet. Eadem enim coniugatorum ſunt & συστοίχων rationes & definitiones, cùm non differant niſi modo concretionis. Cœterum à quibus denominantur Habentia, ea non ſunt ſeparatæ quædam formæ & Ideæ, ſed Habitus quidam. Quo reſpiciens Ariſtoteles dixit, omnia propemodum quæ ſint in natura, ea eſſe aliquid non ſimpliciter, ſed Habendo ſic enim ſcribit libro quarto Metaphyſicæ. Εἰδ' ἡ σὶς ποτε ἐστὶν ἕξις πω, πάντα δεῖ ἔχειν εἴη ἄν τι. Multum certè intereſt, utrum definiatur quidpiam ut habitus, an uero ut abſoluta quædam ſpecies & energia, abſque habentis reſpectu, ut profectò uocabulum utriſque idem accommodatum ita diſcrepantibus rebus ſignificandis ὁμωνύμως uſurpari uideatur. Nam qui mente compræhenditur circulus, & is qui materiam informat, idem nomen habent homonymon. Autore enim Ariſtotele, ὁμωνύμως λέγεται κύκλος, ὅ τε ἁπλῶς λεγόμενος, καὶ ὁ καθ' ἕκαστα. Quæ pro eiſdem Protagoras cùm haberet, auſus eſt dicere, falſam & refertam erroribus eſſe Geometriã. Οὔτε γὰρ αἰσθηταὶ γραμμαὶ τοιαῦται εἰσὶν, οἵας λέγει ὁ Γεωμέτρης· οὐδὲν γὰρ εὐθὺ τῶν αἰσθητῶν οὕτως, οὐδὲ στρογγύλον, ἅπτεται γὰρ τοῦ κανόνος οὐ κατὰ στιγμὴν ὁ κύκλος, ἀλλ' ὥσπερ ὁ Πρωταγόρας ἔλεγεν ἐλέγχων τοὺς Γεωμέτρας. Οὐδ' αἱ κινήσεις, καὶ αἱ ἕλικες τοῦ οὐρανοῦ ὅμοιαι περὶ ὧν ἡ Ἀστρολογία ποιεῖται τοὺς λόγους. Ac præterea mens ipſa, hoc nomine duplicem habet rationem perfectionis, quoad uidelicet habens mentem quidam intelligit, ut homo. Simplex autem & ſeparata mens, οὐσία non autem habitu eſt energia. Vtramque mentis energiã in his diſtinguit uerbis Ariſtoteles libro Metaphy. λ. de humana, & præterea etiam de ſeparata mente, ſeu diuina & cœleſti loquens. Sic de humana, ἐνεργεῖ δὲ ἔχων, de diuina, hoc modo. ὥστε ἐκεῖνο μᾶλλον τούτου ὃ δοκεῖ ὁ Νοῦς θεῖον ἔχειν. Quod ipſum nihil aliud eſt, quã nõ Habendo, ſed ſuapte ſubſtantia ipſam eſſe ἐνέργεια. Paulo ſunt altius hæc à me propter hanc cauſam repetita, quod nimirum diſcrimen illud præſens nouiſſe definitionũ, fundamentũ eſt multarum Methodo ſcientiæ tranctandarũ & explicandarũ rerum. Idem .n. non eodem modo definitur in omnibus diſciplinis. Secus cõſideratur triangulus & circulus à Mathematico ſeparatim, et aliter quoad tanquam habitus et Species materiata cognoſcitur à fabro uel architecto

Meta. λ. Protagoras Mathematica habitus eſſe dixit.

Mẽs Simplex, et mẽs quæ eſt habitus.

chitecto, Alioqui si notitia sit eadem, Protagoræ nõ effugient crimẽ Mathematici, quoniam si secretus & concretus circulus idẽ esset, permulta erunt πάθη, quæ ut uerè, concreto & materiato conueniũt circulo, sic separato & à materia secreto, id est Mathematico, falso adscribentur. Illum ergo faber sua in arte cõsiderabit, hũc uero sibi uendicabit, & suæ scientiæ asseret Mathematicus. Exemplum hoc definiendarum rerũ in Ethicis affert Aristoteles, ut eo Methodũ tractãdi res Ethicas, quasi adumbret. In qua tantum interest inter disputationes Stoicorum, & Peripateticorũ, quantum inter fabrum interest, & Mathematicum rationibus figurarum explicandis. Contemplantur Stoici Ideas uirtutũ, et uitiorũ Boni item et Mali quorũ proprietates si adhibeantur eisdem, quoad homini insunt, nõ modo uera & probabilia, sed etiã falsa & incredibilia (quo nomine paradoxa quoq; uulgo appellari solent) uidebuntur pleraq; esse. Aristoteles aũt cõtra Platonẽ in Ethicis disputans, BONI humani nullã Ideam esse ostendit, adeoq; si quæ boni sit Idea, eius neq; necessariam, neq; utilem ad explananda Ethica, cognitionem fore astruit. Quid enim prodesset homini Bonũ quod habere & consequi ipse nõ potest, quo melior ipse non sit, & uirtute, ipsius gratia nõ præditus dicatur? Itaq; de Bono, quatenus est habitus, homini in Ethicis instituenda est inquisitio. Neq; enim αὐτοαγαθὸν si cognoscatur, sui quispiam boni, aut magis compos, aut certe eò intelligentior fiet. Quoad ergo habitus est, humanum bonum definitur, cuius ratio & proprietates nequaquam abhorreant ab habẽte, qui uidelicet ex habitu illo consueuit denominari. Iustitiæ aut temperãtiæ, aut fortitudini, nihil tribuetur, quod ipsum iusto quoq; temperanti, aut forti nõ quadret. Nec aliquid propriè cadet in iustũ, quod etiam iustitiæ nõ conueniat, quoad est habitus scilicet ipsius. In modo quoq; tractandi res & species: quatenus sunt habitus, & quoad separatim cognoscuntur, magnum est discrimen. In separatis enim, maior est cognitionis ἀκρίβεια, in his uero quæ considerantur ut habitus, minor subtilitas est rationum, minusq́; ad tenue limata ueritas. Eoq; modi & τρόποι τῶν ἐπιστημῶν præsertim differunt, quos animaduertere & nosse in omnibus disciplinis ad habitum perfectæ παιδείας pertinet autore Aristotele in primo Ethicorum libro, & item in primo

de partibus animalium, quæ ut diligenter legant studiosi, hortor. Quibus astipulatur etiam Plato in Philebo, loquens de formis, cum materia concretis, cuiusmodi est, Sanitas, de qua in uniuersum accuratè præcipi nihil poßit, quòd uidelicet ipsius cognitioni adiuncta sit coniectura, ὅτι λεπτουργεῖν οὐκ ἐγχωρεῖν ἡγοῦνται καθ' ἕνα ἕκαστον τὸ σώματι προσῆκον ἑκάστῳ προστάττοντες, ἀλλὰ παχύτερον οἴονται δεῖν, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ ἐπὶ πολλοῦ· τὴν τοῦ λυσιτελοῦντος ποιεῖσθαι τάξιν. Qui definitiones habitus cum habente, consentaneas instituunt, isti nimirum à principijs methodorum ad extrema, omnibus tanquam harmonia quadam inter se consentientibus, perueniunt. Rite & legitimè eas ut colligere quispiam poßit, apparentia, seu φαινόμενα sunt obseruanda, quæ nimirum sunt motus & energiæ habituum in habentibus. Quod qui non faciunt, uel inscitia scilicet definiendi, uel dum uolunt uideri aliquid supra uulgus sapere, insuetis & inusitatis rationibus comminiscendis, ab his plerorumq; φαινομένων ratio nulla potest explicari. Verùm inter illos quoq; discrimen quoddam est. Quorundam enim finitionibus non procul à ianua, ut dicitur, φαινόμενα pugnantia occurrunt. Nonnullis paulo longius progreßis tandem absurda quædam opponuntur, ut non nisi ab eruditis poßint deprehendi: ac magis quidem illa uidentur esse rerum definitarum propria φαινόμενα, quàm quæ statim dißident. Rationes certè fallaces sunt, quæ omnino testimonio destituuntur τῶν φαινομένων, nec intelligentiæ potius rerum in quibusdam credendum, quàm his quæ sensu certo & indubitato percipiuntur, à quo abhorrens ratio, absurda sit oportet, ὅτι (ut scribit Aristoteles) οὐ δεῖ πάντα τοῖς διὰ τῶν λόγων, ἀλλὰ πολλάκις τοῖς φαινομένοις προσέχειν τὸν νοῦν. Qui ad separatas à rebus, & quoad habitus non sunt Species, notiones suas accommodant definiendo, non illi quidem rerum apparentium ueritati sese accommodant, sed id sedulo agunt, ut apparentia inconsentaneè ad suas detorqueant definitiones, quas tanquam mensuram ueritatis rerum statuunt ipsi & regulam. Alij contrà, metiuntur omnia sensibus, nec ratione quicquam sepatim examinant, sed duntaxat res, quoad sunt πάθη singularum rerum, perpendunt, ut Heracliti, de quibus plura aliâs dicemus. Habitus itaq; formæ sunt, non quatenus considerantur separatim, sed

Aristo. li. 3. de cœlo.

quoad

quoad definiuntur respectu habentium, ut εὐεξία, sanitas, fœlicitas, fides, iustitia, scientia & similia. Habitũ, non pro eo ut est uox primæ Speciei qualitatis, sed quoad quanq̃ rem non simpliciter, sed quatenus habetur ab aliquo, significat, in præsentia uolumus accipi. Nonnulli habitus non simpliciter subiecto insunt: sed conditione quadam determinantur, καὶ μετὰ προσθήκης τινὸς solent efferri, ut εὐεξία ἀθλητική. Quæ aliud quiddam est quàm simpliciter εὐεξία, alioq; Subiecto, & aliter se habente definiri consueuit, ut scribit Galenus in libello περὶ εὐεξίας. Vtriq; habitui communis est partium corporis naturalis temperies, item actionum omnium robur, ac incorrupta humorum qualitas. Peculiare id habet ea quæ simpliciter dicitur εὐεξία, moderatam scilicet quantitatem, qualitatem & magnitudinem sanguinis & solidarum partium. Quæ quia in Athletica exuperant, grauißimis morbis obnoxium reddunt corpus, & tale quod facilimè periclitetur quibusuis offensionibus. Quantum inter has utrasq; εὐεξίας intersit, respectu habentium, uidere non est difficile. Et utracunq; definitio proposita fuerit, ea alterius subiecti ratione poterit oppugnari, si loco illo quispiam uti uelit Sophisticè, aut Dialecticè etiam, si quis eas peruerse scilicet & præposterè in problemate subiectis non suis definitiones accommodet. Sanitas etiam, quæ est ut Polycleti canon, perfectißima, pro habitu definiri haudquaquam potest. Nam quod sanum dicitur, latitudinis distinguitur gradibus, qui nulli sunt in hac perfectißima symmetria, quæ tanquam Idea quædam fingitur. Et fœlicitas etiam, ipsa per se quædam diuina est, & item alia, quatenus ipsius est compos homo, qui ut ἐνεργεῖ τῷ ἔχειν, ita quoq; dicendus est hac aduentitia energia fœlix. Quod non considerans Plotinus, inepte fœlicitatis definitionem Aristotelicam exagitat, ut quæ intendi & remitti poßit. Nec Fides alius est habitus (loquor autem de fide Christiana) quàm quo peccata nobis non imputantur, & Spiritus Dei, nempe charitas in nobis est efficax. Qualitas certè est Fides, non (ut quidam opinantur) relatio, quæ ipsa per se non augetur, cum fides augeatur & minuatur. Tametsi terminum esse Iustificationis, qua Deus gratia sua complectitur nos, haud eamus infitias. Illo

habitu qui præditi sunt, non certè peccant nunquam, sed peccata illis non imputantur. Ex quo par est intelligi, fidem nec habitum eorum esse qui nunquam peccant, ut uisum est Nauato, nec illorũ qui grauiter & semper, ut his uidebatur quos D. Paulus ad Romanos acriter uituperat. Sed eorum quos peccantes pœnitet, & se per Christum seruatorem Deo commendant. Aristoteles Iustitiam non recte definiuisse Pythagoreos ostendit τὸ ἀντιπεπονθὸς. Nam iusti non plectũt & uindicant eadem pœna factum idem, ut qui magistratum pugno impetit, eum iustus iudex non simili punit pœna, sed grauiore. Exempli gratia multa protulimus, quòd locus ille concretis formis definiendis perquàm sit utilis, quales Ethici, Physici, omnes deniq; artes (quæ nimirum considerant sua ἐκ προθέσεως) definitiones suas habitum quendam exprimentes, proponunt, quarum non tantum ratio cognoscenda, sed etiam exercitatio capienda est, siquidem perfecti uelimus esse Dialectici. Siue igitur habitus ratio ab habente siue habentis ab habitus definitione dissentit, argumento huius loci tanquam perperam aßignata reprehenditur definitio. In efficientibus quoq; causis coniugatorum ratio & probatio est eadem. Vt si temperamentum primarum quatuor qualitatum naturæ congruens, est ipse sanitatis habitus, etiam sanum corpus nihil aliud quàm temperatum erit corpus. Nos alterationes temperamentorum, seu crases & mixtiones primarum qualitatum (quæ sunt proprium πάθος patibilium qualitatum, & eodem qualitatis Genere continentur) pro causa qua fiat sanitas aut morbus, constituimus, Alioqui si mixtio aut temperamentum sit ipse habitus: seu sanitas, duo sequentur absurda. Vnum, quo necesse erit habens moueri & alterari ratione habitus. Alterum, quo proprium patibilium qualitatum, aßignabitur habitui, aut ipsemet habitus proprium hoc esse dicetur, qua ratione, sanitatis subiectum non erit corpus inanimatum, sed qualitatibus primis mixtum & temperatum corpus, Quapropter ne per se quidem efficiens causa erit sanitatis temperamentum, sed causa organica & tanquam instrumentum, quandoquidem autore Hippocrate τῶν νούσων αἱ φύσιες ἰητροί. Sed φύσις non qualitas aut temperamentum, sed οὐσία est, ut ipsius definitione perspicuum

sphicum est tradita ab Aristotele. Ex quo euidẽs, temperiem nõ esse ipsam sanitatem, nec efficientem, sed efficientis causæ instrumentum. Valet argumentũ præsentis loci contra eos qui materia, aut efficiente causa, aut ipsius instrumentis & motu, aut omnino accidente quodam sic definiunt habitus, ut hæc pro ipsorum Generibus uel differentijs usurpent, quod falsum esse aliâs magis in concretis depræhendimus, aliâs uerò magis apparet in separatis coniugatorum. Vt Iucundum non esse ipsum Vtile perspicitur in concretis. Nam qui indulget uoluptatibus plerunq; malè consulit suis commodis. Petitum ex Hippia maiore Platonis exemplum est. Item, iucunditatem & bonitatem non esse idem, Plato probat in Philebo, quoniam Prudentia etiã sine uoluptate seu iucunditate bona sit, & magis expetenda quàm uoluptas sine Prudentia. Coniugatorum certe & contrariorum ut eadem disciplina est, ita quoq; unius per aliud ratio & definitio, confirmatur aut infirmatur. Etenim definiens scientiam, & scientem, & scire ipsum, etiam ignorantiam, & ignorantem, & ignorare quid sint declarat. Consentanea hæc omnia sunt inter se finitionibus, quippe à principali quodam sunt nexa, ad quod ipsum sint referenda, ut in primo Topicorum libro est dictum. Quare ut contrariorum, si non contrariæ sint finitiones, ita coniugatorum si non fuerint consentaneæ definitiones, errorem subesse propositæ definitioni oportebit, quoniam ut Plato ait in Protagora οὗτοι λόγοι μου εἰκότως οὐ λέγονται οὐ γὰρ συνάδουσι οὐδὲ συναρμόττουσιν ἀλλήλοις. Inspectio hæc & παράγγελμα contrariorum, & coniugatorum, quatenus accommodatur ad definitionem, non ipsa per se est definitionis sed pertinentis ad eam, in numero eorum quæ in prima Topicorum libro uocat Aristoteles non ὅρους sed ὁρικά.

LOCVS LVII.

ATq; in iis etiam, quę cum aliquo conferuntur, uidendum est, an ad quod Genus accommodatum est, etiam ad illud ipsum Species pertineat. Vt si appræhensio

sio ad id, quod appræhenditur, refertur, considerandum, num quædam etiam sit appræhensio, quæ referatur ad quoddam ὑπόληπτον. Et multiplum si fuerit relatum ad submultiplum, quoddam etiam multiplex erit, quod referatur ad submultiplex. Si enim non ita explicata res est, profectò vitiosa erit definitio. Ac præterea illud videndum, an contrarii, explicata expositaq; definitio sit contraria, vt sit ne Simpli definitio, contraria Dupli definitioni. Si enim duplum est, quod in æquali vincit, Dimidium scilicet erit, quod in æquali vincitur. Eadem valet etiam in Contrariis ratio. Contrarii enim contraria erit definitio, vna quadam contrariorum complexione, hoc modo. Si vtile est, quod efficiens est boni, certè detrimentum erit, quod efficiens est mali, aut quod corrumpit bonum. Alterum enim eorum, contrarium sit oportet eius, quod priore loco dictum est. Quod si neutrum contrarium sit eius quod initio expositum est, certè neutra eorum quæ posterius exposita sunt, esse contrarii definitio vllo modo potest. Ita ne ea quidem, quæ initio posita est, verè & rectè fuit explicata & constituta definitio.

Quamuis ea, de quibus præcedenti loco disseruimus, referri aliquò soleant, nihilominus tamen hæc ipsa, tanquam absoluta quædam definiuntur. Secus comparatæ sunt illorum finitiones, quæ non modo ad aliud referuntur, sed etiam id ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, id est, omnino, & relationis genere ab alijs relatis discrepantia, neutram partem definitionis absolutam esse patiuntur, & sine respectu, quo nimirum species quæuis relata perfectè est definienda. Hùc sunt conferenda, quæ supra quodam in loco diximus de relatorum definitionibus. Itaq; si pro genere relato positum sit quiddam, cuius species nulla poßit referri, siquidem id genus fuerit usurpatum in relati cuiuspiam definitione, quin ea sit uitiosa, & definito nequaquam congruens, illo perspicuum est loco. Pater itaq; definiendus sic non est, ut dicatur essentia gignens, Quanquam non alia

ratione definiri potest Pater in diuina essentia. Accidens enim in ea nullum est, & ut gignens in quibusuis rebus alijs, est genere, Efficiens, sic in Deo respectu geniti, efficiens nullum est, siquidem Filius æternus genitum quiddam est, non item factum. Plena est Iurisconsultorum professio his quæ ad aliud Relatione definiũtur, eaq; ipsi suo quodam more, res appellant Incorporales. Quapropter locus hic præsens ipsis perutilis est ad definitiones tractandas, cùm ferè nihil absolutè consideretur in disciplina iuris, sed omnia propemodum ad aliud Relata intelligantur. Seruitus est patientia, qua res obnoxia est alterius dominatui. Et dominatus, Potentia est cui subijcitur id quod seruit. Deinde multæ species numerantur Seruitutis, quæ rebus differunt inter se subiectis, quarum nulla est quæ sine genere relato poßit definiri. Quòd si quis definiens seruitutem, dixerit eam esse rem seu corpus poßidentis arbitrio subiectum, nequaquam rectè definierit. Quoniam corporis species nulla est, quæ poßit referri. Quocirca nec Hæreditas, nec Legatum, nec Fideicommissum res est, sed ius quoddam rebus applicatum uoluntate Testatoris, aut legantis, aut fideicommittentis, unum quodq; sua quadam relatione definitum. Tametsi non raro fit ut subiectum relationis (id est, fundamentum uel terminus, ut uulgo appellant Dialectici) pro relato ponatur. Vt quando dicitur Dominus esse homo cui subiectus aliquis seruiat. Non enim quia Homo ad obedientem refertur, sed quia potentia seu potestate præditus, quod ut ὑπὲρ ὄν, id est, genus domini, rectè quispiam in definitione proferet, quippe cum speciei relatæ, genus etiam referri oporteat. Nam si potens & agens, ad obnoxium & patiens refertur, etiam quiddam potens, ut Dominus, ad quiddam obnoxium nempe ad seruum refertur. Et profecto nullum est genus, quod absq; specie poßit esse, quoniam, ut aliàs diximus, specie posterius est φύσει genus. Cuiuscunq; ergo Generis Species nulla relata potest aßignari, ipsum quoq; ex neceßitate tale erit, ut non referatur ad aliud, neq; Genus esse poterit omnino eius quod ad aliud Relatum definitur. Suprema sunt tria genera quibus comprahendi possunt omnia quæ referri solent; de his Aristoteles est consulendus libro Metaphysicæ &.

Reuocantur ad eadem genera eorundem priuationes quoq; ut ἀδυνα-
μία ſunt ſecundi ac tertij generis. Et præterea quæ ratione Vnita-
tis referuntur (quæ nimirum deſcribi conſueuit priuatione exupe-
rantiæ & defectus) in qualitate & quantitate, ut ſunt Simile &
Aequale, in primo genere Relatorum. Nam ſimile eſt, Idem
alicui ſecundum qualitatem eandem. Par ratio Aequalis. At quòd
plerunq; definiuntur priuatione ambo hæc extremorum Relatorum,
cauſa hæc eſt, quod unitas, quanquam multitudine prior eſt natura,
tamen quia in pluribus eſt multitudo, & ob hanc cauſam ſenſu notior,
idcirco priuatione etiam multitudinis quælibet Vnitatis ſpecies defi-
nitur. Vt primum Vnitas ipſa per ſe. Deinde in qualitate & quan-
titate ſimilitudo & Aequalitas. Illa negatione multitudinis, hæc
exuperantiæ & defectus priuatione finiũtur. Vt ergo ſuas habet Si-
militudo ſpecies, ita quoq; diſsimilitudo reb. ſubiectis definienda eſt, à
quibus ſcilicet denominantur ſpecies relatorum. Alioqui niſi adhibe-
amus πρῶτον δεκτικὸν, relationum hæc uocabula (autore Ariſt. in 7. lib.
Phyſic. homonyma apud Phyſicos erunt. Sic enim ſcribit, τὸ πολὺ
ὁμώνυμον. ἀλλ' ἐνίων καὶ οἱ ὁμώνυμοι λόγοι. οἷον εἰ λέγοι τις ὅτι τὸ πολὺ, τὸ τοσοῦτον,
καὶ ἔτι ἄλλο τοσοῦτον. καὶ τὸ ἴσον ὁμώνυμον, καὶ τὸ ἓν, εἰ ἔτυχεν, εὐθὺς ὁμώνυμον. εἰ δὲ
τοῦτο, καὶ τὰ δύο: ἐπεὶ διὰ τί τὰ μὲν ξυμβλητὰ, τὰ δὲ οὔ, εἴπερ ἦν μία φύσις. ἢ ὅτι ἐν ἄλλῳ
πρώτῳ δεκτικῷ. Horum igitur relatorum ſpecies definiri non poſſunt
abſq; ſubiectis, quibus primò inſunt, quod etiam hoc loco admonendum
duxi, quandoquidem de Relationum finitionibus in præſentia tra-
ctetur, quas unâ cum ſuis ſubiectis comparant Phyſici. Quocirca ut
ſimile refertur ad ſimile in genere, ita quoddam, ut in ſapore, aut
calore, refertur ad ſuum in ſpecie indiuidua ſimile. Suo enim fun-
damento & termino: ac multo magis ſi phyſice definiantur, quamq;
Relationem determinari oportet. Eadem eſt ratio comparandi
Aequalia, Inæqualia, & multipla in Phyſicis. Ad ſpecies enim
& certa ſubiecta determinantur hæc, autore Ariſtotele in altero de
ortu & interitu libro. Aqua enim reſpectu aquæ alterius, multipla
dicitur, quia habent eandem ſpeciem. Idem enim aliquid phyſicum in
comparationibus eſſe oportet. Et Aqua ſubmultipla item reſpectu
dicitur multipli aëris, propter eandem ſcilicet materiam, ut quia de-
cuplus

cuplus Aër, in simplam permutabilis est aquam. Quare erunt ὁμο-
ειδῆ, uel ὁμογενῆ, quæ isto modo comparantur. Nam si neutro compa-
rabilia fuerint: ut si duntaxat propter facultates earum qualitates
conferantur, similitudo potius hæc & analogia quædam, quàm Ae-
qualitas erit appellanda. Et hoc quidem modo, species horum Re-
latorum physicè sunt definiendæ. Nam nec in quantitate, nec quali-
tate relata, sine quodam uno comparari inter se possunt, propterea q;
contraria relata continentur genere eodem, quorum negatione unum
illud (quod est medium) describitur. In quantitate propter relationē
medium est, quod neq; maius, neq; minus est, nempe Aequale. Physi-
cum est, quando materiæ gratia eiusdem hæc inter se conferuntur, ut
si materia eadem existente, sub specie aquæ minor, sub forma aëris
appareat maior. Haud longe secus similitudo quoq; in specie una est
atq; eadem, quæ ambo tanquam mensura sunt extremorum, quæ com-
parari secundum magis & minus infinitè possunt. Etenim definitio
est albioris, ut sit exuperantia eius, quod minus est album, & duplum
exuperantia est dimidij. Simili et æquali includuntur utrorumq; re-
latorum contrariorum negationes priuantes. Simile enim est, quod
nec magis tale est, nec minus eo cui dicitur simile, Eadem æqualis est
ratio & definitio. Et quamuis simile & æquale, atq; etiam unitas,
priuatione definiantur contrariorum, & hac ratione posterior earū
uideatur intelligentia, non ob id tamen ulla multitudo reuera prior
est unitate, sed is ordo præpostere propter nostram notitiam eis
accommodatur, ut paulo ante dictum & demonstratum à nobis fuit.
Natura nihilominus prius est VNVM, quippe cùm id sit men-
sura multitudinis. Quoad uero contraria sunt magis & minus, item
maius & minus, subiecto uno quopiam participare necesse est, nam
sine subiecto contraria non definiri, constat inter omnes. At sub-
iectum declaratur utriusq; contrarij priuatione, quæ in relatis qui-
dem qualitatib, est Similitudo: in quātitatib. uero est Aequalitas si-
ne quib. horum generūm contraria Relata esse ac definiri nequeunt.
Quæ absq; Vno (ita se habente) inter se referuntur in utroq; genere,
nequaquam pro Relatis sunt habenda. Vt si quorum gratia similia
non possunt, aut æqualia dici, eorundem exuperantijs & diminutio-

 nibus

nibus etiam non appositè res inter se comparabuntur. Nobilior certè, cum minus diuite non ritè comparabitur, nec sapientior cum eo qui diuitijs, aut nobilitate inferior est. Alioqui si exuperantia omnis cuiuis comparetur defectui, quid potißimum, quid melius, aut quid deterius in quauis re sit haud definiri poterit. Vt uerbi gratia, non qui re quauis in ciuitate superat alios, is optimus habendus est, sed qui certa in re quapiam præstat (penes quam scilicet principatus est, opinione ciuium, ut si uirtus sit, aut opes, aut firmitas & robur corporis) is scilicet qui eo ipso reliquos uincit princeps in ciuitate eligitur. Etenim non omnia inter se comparabilia sunt per exuperantiam & defectum solius causa quantitatis. Nam si sint, æqualia etiam poterunt esse, id est naturam & Substantiam eandem subiecti obtinebunt, cui comparationes illæ causa quantitatis accidunt, quod dictu quidem longè est absurdißimum. Sunt præterea comparationes quædam, quibus non definitur tamen aliquid, sed per accidens rebus conueniunt, quarum locos & argumenta tradit Aristoteles in tertio Topicorũ uolumine. Istarum subiectum καὶ τὸ πρῶτον δεκτικὸν idem non esse oportet. Vt si uirtus comparatur diuitijs. Et uita quæ nam potior quæri solet, ea ne, quæ contemplationi, an quæ rebus gerendis est addicta. Aliarum comparationum subiectum est idem, ac de comparabilium definitione etiam quæstiones instituuntur hoc modo. Nam quid sit optima ualetudo, quæritur. Item quid sit meliorem esse Rempub. Quid sit ditiorem esse, aut magis fœlicem, & maximè, quod est beatum & μακάριον esse. Definitionibus hæc explicantur, quibus subiecta etiam & causæ comparantur inter se. Nam magis tale est, in quo causa magis reperitur, ut istius affectionis magis capax sit subiectum. Sic iratiorem definimus, qui magis cupidus sit uindictæ, & cui magis ferueat cor. Quæ quidem omnia sic sunt comparata cum his quæ minus talia sunt, ut etiam similia & æqualia esse poßint, quibus uidelicet contraria hæc relata opponuntur, & utrunq; quatenus contrarium & absolutum, tanquam subiecto suo proprio definitur, quod nimirum sit simile, aut æquale. Duplum enim, quoad est contrarium dimidio (non quatenus ad ipsum refertur) sic solet definiri, ut sit, exuperantia quædam addita

Aristo. de comparabilib. scribit li. 3. Politicorum.

dita

dita æquali. Et dimidium, ut sit defectus quidam, detracto quopiam ab æquali: ita quoq; finiuntur Dißimilia, ut contraria quædam addendo aliquid, aut detrahendo à simili. Secundum quod ergo dicuntur similiter diuites, secundum idem alius alio quoq; dicitur magis, aut minus diues. Qui ergo ex æquo contenti rebus suis, similiter dicuntur diuites, qui magis contentus erit, magis, & qui minus erit contentus, minus appellabitur Diues. Quòd si definitio sit alterius, nempe contrarij comparatorum illorum, hæc, Minores poßidere opes, Non erit certe Relatum oppositum eius, quo dicitur esse ditior is qui magis sit contentus rebus suis. Similiter enim diuites non sunt, quorum alter contentus est rebus suis, alter opes habet, quare eadem non habebunt etiam additamenta, & item detrimenta. Cœterum, non modò in contrarijs relatis, sed etiam in omnino absolutis, contrariorum contrariæ sunt definitiones. Falsæ definitiones relatorum depræhendi etiam hoc modo possunt, siquidem contraria quædam fuerint Relata. Nam ratione hac liquet, magis Diuitem non dici, respectu eius qui minores habeat opes, siquidem id contrarium non sit ei qui magis contentus est rebus suis. Quare pauperioris etiam hæc non erit definitio: Minus habere facultatum. Acutè tractantur hæc & subtiliter ab Aristotele, & his quidem præceptis non populari quadam trutina, sed tanquam aurificis statera, uerum exquisitißimum examinatur. His perceptis & cognitis sic acuitur animus, ut contemplando uerum latere inuestigantem nihil poßit. Et barbarico quidem cœno submersum mentis oculũ (ut præclare scribit Plato) ars Dialectica sic expurgat & detergit, ut hallucinari aut cœcutire nulla in re poßit, impeditißima quæq; faciat expeditißima, & obscurißimis lucem clarißimam ueritatis afferat. Sed reuertor ad institutum. Aristoteles hoc loco, commune argumentũ hoc, quo dicitur, contrariorũ esse contrarias finitiones, his limitat uerbis, quibus intelligatur id uerum esse duntaxat in una specie quadam complexionis contrariorum. Coniugari consectaria contrariorum duobus modis, in secundo Topicorum docuit. Vnus est. Quando directa consecutione duorum contrariorum sunt consequentia contraria, Vt si quemadmodum ad uirtutem

ſequitur fœlicitas, ſic ad uitium, miſeria. Alter eſt, quo è regione & ἀνάπαλιν conſequuntur, ut quemadmodum ſecundi primum eſt conſequens, ita non quartum tertij, ſed tertium quarti ſit conſectarium. Etenim ut ſano ægrum, ſic εὐεξίᾳ aduerſatur καχεξία. At non ut ad εὐεξίαν ſequitur ſanitas, ſic ad καχεξίαν morbus. Sed contrà potius. Si morbus ſit καχεξίαν eſſe oportet. Prima autem συμπλοκὴ contrariorum eſt hæc, qua contrariorum ſcilicet contrariæ dicuntur eſſe finitiones. Exempla ſunt in promptu, nec porro longiorem deſiderat interpretationem, quod Ariſtoteles exempli cauſa propoſuit, niſi hanc, Si emolumentum & utilitas eſt quæ bonum efficit. Sequitur ut detrimentum definiatur efficientia mali, aut corruptela boni. Quòd ſi detrimentum non efficiens eſt mali (malum ſic accipimus, quo præditus aliquis, ſit & dicatur Malus) nec Vtile certè erit id quod bonum efficiat. Præterea ſi finitio hæc eſt Mouentis naturalis: ut habens principium mouendi, non tantum moueat, ſed moueatur etiam, profecto, mouens diuinum & primum: Non habens utiq; principij, mouebit, atq; ipſum nihilominus mobilitatis expers erit. Qua ratione conſtat ipſum primum mouens ſeparatum à materia eſſe, & non modo per ſe, uerumetiam ſecundum accidens eſſe immobile.

LOCVS LVIII.

QVoniamq; contraria ſunt quædam, quæ alterius priuatione dicuntur, ut inæqualitas æqualitatis uidetur priuatio eſſe, Inæqualia enim ſunt: quæ non ſunt æqua & paria. Profecto id ſemper, quod priuatione dicitur, altero contrario definitur neceſſariò. Alterum nõ neceſſe eſt etiam illo, quod ex priuatione nominatur, definiri. Sic enim fieret, ut utrunq; ex altero cognoſceretur. Quare hoc uitium in contrarijs animaduertere debemus, ut ſi quis æqualitatem definiat, id quod inæqualitati contrarium eſt. Definiendo enim aperit rem eo quod ex priuatione appellatur. Iam uero neceſſe eſt eum qui ita definiat

finiat ea re uti, quæ definitur. Quod ita intelligetur, si cum nomine commutetur oratio. Quando enim nihil interest, inæqualitatem dicamus, an æqualitatis priuationem, certè erit æqualitas contrarium æqualitatis priuationi. Ita eadem re usus est. Quòd si neutrum contrariorum priuatione exprimatur, eodemq; modo explicetur definitio, ut: Bonum est, quod malo est contrarium, certè bono etiam malum est contrarium. Eorum enim quæ ita contraria sunt, similiter explicanda definitio est. Sic rursus fiet, ut eam ipsam rem, quæ definiatur, adhibeat in definitione, præsertim cum insit bonum in mali definitione. Ita si bonum, malo contrarium est, malum autem nihil refert, dicas, an quod bono est contrarium, efficietur, ut bonum sit contrarium eius, quod bono est. Ex quo perspicuum est, eodem usum esse eum qui ita definit.

Vt contraria genere & subiecto, sic priuantia communicant subiecto duntaxat eodem. Quamobrem contraria quidem omnia sunt priuantia, sed non omnia priuantia erunt contraria. Etenim contraria omnia habitus rationem sortiuntur, & priuationis etiam cuiusdam, nec his quicquam, constituendis rebus, prius est, quippe differentiæ quoque contrariarum specierum cum eis quodammodo exprimantur. Et hoc quidem modo priuantia contrariis priora esse dicimus, quo differentiæ generum speciebus contrariè oppositis sunt priores, quæ generi ut subiecto tribuuntur. Eò respiciens dixit Aristoteles πᾶσα γὰρ ἐναντίωσις ἔχει στέρησιν θατέρου τῶν ἐναντίων. *Contraria Physica finiuntur* τῶν συνειλημμένων δεκτικῷ, *quoniam & haec maximam & determinatam subiecto suo habent distantiam habitus & priuationis, & ob id ipsum physica principia pro contrariis numerantur. Id genus contrarii descripsit his uerbis Aristoteles libro* ί. *Metaphysicæ.* Καὶ τὰ ἐν τῷ αὐτῷ δεκτικῷ πλεῖστον διαφέροντα, ἐναντία. ἡ γὰρ ὕλη ἡ αὐτὴ τοῖς ἐναντίοις. *Priuantia porro sunt*

Priuantia contraria.

& non contraria, quæ non perfecta distantia seu interuallo differũt. Ex quo perspicitur, non omnia priuantia esse contraria. Latius enim patet priuatio, ut quæ ad effectus & composita quoq; accommodetur (quandoquidem pertineat etiam ad medias & compositas, uel mixtione, uel negatione extremorum species) non tantum ad principiorum differentias, quemadmodum contraria, quæ sunt duntaxat extremorum, & simplicium, & ob id principiorum quibus reliqua fiant. Veruntamen à Dialecticis quæ genere communicant, contraria, quæ uerò subiecto duntaxat, & nõ item genere, priuantia solent appellari. At preßius consideranti rerum naturam, nihilominus cùm limitata subiecto maxima differentia, propter habitum & priuationem, rebus physicis tribuatur, pro eo ut contraria appellantur, quæ non tantum subiecto eodem, sed etiam genere communicant: ita priuantia contraria, quæ subiecti duntaxat gratia plurimum distant, et Priuantia tantũ, non item contraria, quæ negatione amborum contrariorum exprimuntur, appellanda censeo. Vltima hæc, nempe Priuantia duntaxat, Mediorum appellationem continent in contrarijs, quæ ut principia nõ sunt, ita nec cõtraria alicui existunt. Etenim in principijs, utpote contrarijs, unum duntaxat uni opponitur. Sed effectus, id est, medium opponitur duobus, quatenus nimirum neutrum est contrariorum, Medium ipsum, cùm id definiatur scilicet priuante negatione utriusq; extremi, ut SIMILE, ut AEQVALE, in quibusdam priuante uocabulo medium caret, ut quod neq; iustum sit, neq; iniustum, certa appellatione non exprimitur in homine: quod Ethicè dictum uolo, nam Theologis Iustum & Iniustum sunt contraria ἄμεσα, quemadmodum par & impar sunt in numero. Subiectum autem quod describitur negatione priuante iusti & iniusti, utroq; permutari potest contrario, perinde ut æquale & simile suis possunt contrarijs, quorum in medio sunt, permutari. Ex his, quæ dicta sunt hactenus, perspicuum est, contrariè unum non nisi uni esse oppositum. Quamobrem maius opponitur minori per relationem contrariè & genus utriusq;, nempe Inæquale, quod opponitur Aequali, pro contrarijs nimirum habenda sunt, sed priuantibus, siquidem inæquale, est unius duntaxat negatio, nempe æqualis.

æqualis. Sed quæ intra genus, & inter cõtraria ponitur priuatio, ut æqualitas, quatenus definitur negatione extremorum, mera priuatio est, qua subiectum describitur, & qua non uni sed duobus opponitur extremis. Et hac ratione quidem Aequale aduersatur Inæquali, quoad nimirum æquale continet negationem in se utriusq; Speciei contrariæ, & Simile item, contrariorum dißimilium, utriusq; scilicet priuans, & neutri contrarium. Plenius hæc tractantur in Metaphysicis. Transeundum illud silentia non fuit, priuationis uoculam, ut uerbi gratia Aequalis, bifariam posse usurpari, Pro subiecto contrariorum, præcedente loco est usurpatum, quando Aristoteles definiens Duplum, dixit ipsum esse exuperantiam in Aequali. Nam si priuationem per se illic significaret æquale, quî rogo posset exuperantia esse in ipsa negatione exuperantiæ? Deinde pro habitu quoq; usurpatur & forma, quandoquidem sit species Unius: & Inæqualitas quidem omnis determinetur per Aequalitatem, tanquam mensuram quandam. Recto enim cognoscimus curruum, simplici nimirum, quod multiplex est, & uno, quod numerosum. Enimuero autore Aristotele, τῷ εὐθεῖ καὶ αὐτὸ καὶ τὸ καμπύλον γινώσκομεν· κριτὴς γὰρ ἀμφοῖν ὁ κανών. τὸ δὲ καμπύλον οὔθ᾽ ἑαυτοῦ, οὔτε τοῦ εὐθέος. Hac significatione ei, ut priuans contrarium opponitur hoc loco, inæquale. Ac præterea sic opposita esse docet etiam in Metaphysicis Aristoteles, ita scribens, πᾶσαι ἐναντιώσεις ἔχει στέρησιν θατέρου τῶν ἐναντίων ὡς ἀνισότης ἰσότητος, καὶ ἀνομοιότης ὁμοιότητος. Aequale igitur est, quo habent mensuram unam quantitates. Eius priuatio contraria est, Inæqualitas. Ueruntamen in subiecto generis horum contrariorum, quæ continentur inæqualitate, æquale non significat speciem, sed subiectum amborum scilicet contrariorum priuatione descriptum, quæ tanquam medium quiddam contrariè non opponi extremis, supra fuit ostensum. Nunc ad præsentis loci nos conferamus explanationem. Priuantia contraria definiuntur negatione habituum, unà cum certis subiectis. Posterior est enim priuatio, ut scribit Arist. in Meta. non tantum forma, sed etiam subiecto, utrunq; enim ipsius definitione includitur, & absq; utrisq; priuatio non potest intelligi, tã scilicet ipsa nihil suum & peculiare habet. Inæquale igitur est quod

Aequale usurpatur bifariam.

Arist. li. 1. de anima.

Meta. li. 1.

in quantitate. Vnum nempe æquale non est. Absolutè uero contraria, ea uidelicet quæ Genere communicant, suas quasdam habent differentias, quibus Generi additis, species quædam & ποιὰ constituantur, quarum tamen altera priuationem oppositæ in se contineat differentiæ εἶδος constituens contrarium. Horum ex contrarijs quomodo sint infirmandæ definitiones, præcedente loco est expositum. Contraria, quæ non absolutè sed priuantia appellantur, hanc in definiendo habent Regulam, Vt si priuatio definiatur negatione habitus, uicißim habitus negatione oppositæ priuationis definiri nequibit, sed suam quandam propriam habebit definitionem. Aequale enim non est (quod ad habitus & formæ nomen est) negatione inæqualis finiendum, quanquam pro eo ut significando subiecto usurpatur, absq; priuatione definiri nequit. Ex quo perspicuum est Homonymũ esse uocabulum hoc, nõ modo apud Physicos, sed etiam apud Dialecticos, cum scilicet non uno finiatur modo, & aliâs ut medium seu subiectum, aliâs tanquam species & forma finiri soleat. Priore modo sic, ut sit neq; maius neq; minus quiddam. Posteriore sic, Idem alicui, secundum quantitatem eandem. Sed si perinde ut inæquale (una & eadem significatione usurpatum) definitur negatione priuante æqualis, ita quoq; definiatur æquale negatione inæqualis, idem scilicet seipso notius erit & ignotius. Et certè ut forma ipsa per se, sine priuatione est, ita quoq; intelligitur & definitur sine priuatione. Aequale igitur si definitur ut priuatio, eius oppositum definiendum erit (nempe inæquale) ut affirmatio & species. Aequale quidem hac significatione, est quod neq; maius est, neq; minus. Inæquale igitur erit, utpote ei oppositum, quod maius est & minus, affirmatione utriusq; contrarij definitum. Ampliandus est locus ille ad omnium uocabulorum priuatiuè oppositorum definitiones, ut sunt, necessarium, poßibile, æternum, caducum, uita, mors uigilia, somnus, & similia istorum innumera. Quorum si unum priuatione alterius definiatur, alterum scilicet non erit oppositi priuatione definiendum. Vt si poßibile dicatur quod non sit necessarium. Vicißim Necessarij hæc non erit definitio ut sit in quod posse esse, non cadat, Posse esse aliâs necessarij est consequens, aliâs significat

nificat idem, quod non esse necessarium. Posteriore significatione usurpatur in præsentia. Quòd si unum non est notius alio, quonam modo negatione intelligetur utrunque, cùm neutrius affirmatio & species sit nota, ac priuatio duntaxat habitus gratia noscatur? Quamobrem cognoscenda prius Species ac definienda quàm negatione eius definiatur priuatio. Nescitur tamen, utrum respectu utrius priuationis aut formæ rationem habeat, ut uerbi gratia: poßibile ne an neceßarium, habitus sit & perfectio, ambigitur. Aristoteles in περὶ ἑρμηνείας libro, Necessarium, per se esse, & intelligi scribit, ac priuatione eius tanquam prioris, cognosci & definiri id quod poßit esse. δυνατὸν Græci uocant, solere inquit. Illud ergo perpetua energία definitur, hoc negatione eiusdem, sed priuante tamen, erit definiendum. Eadem est ratio caduci & æterni, & similium. Tametsi Genere Physico discrepantia hæc, nihil habeant Idem, cuius gratia uel contraria, uel priuantia queant dici, Dialecticè tamen quò minus opponantur inter se, nihil uetat, quòd scilicet ratione subiecti communis & formæ eiusdem priuationem definiri oporteat, quatenus tamen separatim considerantur, & non ἰκ προσθέσεως certis quibusdam accommodantur rebus reipsa existentibus, pro eo ut eas considerant Physici. Priuatio porro cum sit κακοποιὸν quiddam (hoc enim epitheto ipsum ornat in Physicis Aristoteles) consentaneum uidetur certè, ea quæ priuantibus finiantur, oppositis suis deteriora esse. At in quibusdam potiora uidentur & meliora, quæ priuatione scilicet intelliguntur aliorum. Nam & uirtus cum sit medium uitiorum utrinque redactum, priuatione extremorum præstat uitiis. Et quies, quæ est priuatio motionis, eiusdem certè quoad finis est & extremum quiddam, eatenus ipsa quoque melior erit & motione potior. In plerisque Fortuna quoque natura potentior & efficatior censetur, quippe naturam cum hæc impedire poßit, natura autem fortunam non remoretur, sed ei se potius obedientem præstet & obnoxiam. Atqui priuatione causarum naturalium definiri fortunam nemo nescit, Ex quo concludendum, principatum non penes naturam esse, sed eum (ut quibusdam ui-

ἀπορία.

sum Physicis est) resignandum esse fortunæ. Occurrendum his obiectis sic existimo. Ipsam aut per se priuationem consideramus, & hac ratione semper his, quibus opposita est formis deterior existit: Propterea quòd naturæ & essentiæ ipsarum aduersetur. Aut quatenus formæ & perfectionis cuiusdam ea describitur subiectũ. Atque hoc sanè modo priuationem potiorem dicimus his formis, quarum negatione ipsam definiri contingit, Ad exempla prius posita si accommodetur ratio hæc, magis elucebit. Virtus quidem definitur priuatione exuperantis & deficientis affectus. Sed quod ea describitur subiectum rectæ rationis cum delectu quidpiam facientis. At priuatio eadem (quatenus contrariorum est) essentiæ nimirum cuiusdam est detrimentum, & hac ratione malum existit hac essentia præditis rebus, & nihilominus priuatione hac subiectum fiunt rei melioris. Quippe habitus medij præstantior est habitu contrariorum, hac ratione, qua finis præstat & melior est his quæ propter ipsum esse dicuntur. Contra naturam est elementorum (quoad sunt corpora simplicia) mixtio & temperamentum. Quoniam autore Aristotele: ὅλη ἡ σύστασις τῶν ζώων ἐκ τούτων συνέστηκεν ἃ διαφέρει τοῖς οἰκείοις τόποις· οὐδὲν γὰρ τῶν μερῶν ἔχει τὴν αὐτοῦ χώραν. Sed quatenus potioris formæ, per hanc priuationem, sunt materia & subiectum, potior priuatio hæc erit, & magis secundum naturam, quàm eorundem Substantiæ contrarijs disclusæ locis, & qualitatibus proprijs diremptæ quod in ipsis tantum est bonum, quantum est ipsa esse aliorum nascentium primordia & elementa. Caducarum rerum & mutabilium lex illa est naturæ, ut sine malo, id est, sine priuatione, nihil generetur. propter δύναμιν ἀντιφάσεως scilicet, quæ in rebus (ut scribit Aristoteles) æternis non habet locum. Et hanc ob causam diuinus Plato in Theæteto, malum ex necessitate caducis rebus admisceri, scriptum reliquit. Eius hæc sunt uerba. ἀλλ' οὔτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατὸν ὦ Θεόδωρε, ὑπεναντίον γάρ τι τῷ ἀγαθῷ ἀεὶ εἶναι ἀνάγκη, οὔτ' ἐν θεοῖς αὐτὰ ἱδρῦσθαι, τὴν δὲ θνητὴν φύσιν, καὶ τὸν δὲ τὸν τόπον περιπολεῖ ἐξ ἀνάγκης. De fortuna potest idem responderi: hanc Stoici Fatum appellant, eiusque materiam & quasi instrumentum dicunt esse naturales causas. Alioqui naturam si respexeris, quin posterior sit fortuna, & priuans quædam

λύσις.

atque

atq; ignobilis causa, infitias ire nemo poterit. Praeterea animaduertendum illud quoq;, ut habitus ex energiis cognoscantur, id est, priora ex posterioribus, ita saepenumero energειῶν cognitione priorem esse priuationis notitiam. Et hoc modo cognosci habitum ex priuatione, non natura notiore quidem, sed nobis uernacula magis ipsius notitia, qui uenamur ex rerum umbris, eius quod uerè est, intelligentiam. Plaeriq; certe non discimus quid bonum sit, nisi malorum experientia, & calamitatibus eruditi. Aristoteles in Ethicis probat iustitiam esse aequalitatem, argumento priuationis, quia iniustitia sit iniquitas. Et neruos esse instrumentum sensus & motus nulla alia re (autore Galeno) deprehensum quàm priuatione harum energειῶν, quae laesis neruis euenirent. Tametsi interdum ex priuatione, habitus cognoscatur ὅτι ἐστί, tamen, quid sit, ratione priuationis definiri nequit, Quid sit autem priuatio, noscitur habitu. Ergo satis non est ad finitionem si talis sit oratio, ut nulli alii rei poßit accommodari quàm finito, & qua item separetur ipsum ab omni alio. Vt aequale quando finitur esse Species quae sit inaequali opposita, Aut bonum, quod contrarie repugnet malo. Sunt illae uulgo usurpatae definitiones, quibus res per contrarium noscitur. Quoniam, ut Cicero inquit, omnibus ferè in rebus, sed maximè in Physicis, quid non sit citius, quàm quid sit, dixerit aliquis. Faelicitatem pleriq; definiunt: Vitam esse quae nihil habeat miseriae, Temperantiam, qua abhorreat aliquis ab intemperantia. Plena est talium defitionum uita communis, ut exempli gratia plura commemorare non sit opus. Quantumuis illae rerum definitarum sint peculiares rationes, non esse tamen genuinas earum definitiones has, uel hoc absurdo perspicitur, quo definitum in definitione includi, id est, ipsum seipso definiri minimè est consentaneum. Pro nomine si posita fuerit oratio, id absurdi, quod diximus, facile deprehendi potest. Aequale igitur si finitur esse id, quod non est inaequale. Nihil aliud dictum erit quam ipsum esse contrarium priuationis aequalitatis. Inaequale enim est, priuatio aequalitatis. Similis huic est aliorum exemplorum interpretatio.

LOCVS LIX.

Vitiosa etiam definitio est, cum ita aliquid eorum quæ priuãtia sunt, aperitur, ut cuius sit priuatio, ueluti habitus ne, an contrarij, an cuiusuis alterius priuatio, aut in quo primo soleat inesse, si non addatur. Vt si quis ignorationem priuationem esse dicat, nec addat priuationem esse scientiæ, aut non adiungat in quo inesse soleat, aut si adiungat, non dicat in quo primo id inesse soleat. Vt si quis non in ea parte animi, quæ rationis est particeps, sed in homine, uel in animo aliquid situm esse, definiendo explicet. Si enim quiduis horum prætermiserit, aberrabit. Eodemq; modo si quis cœcitatem, non aspectus priuationem in oculo esse dixerit. Qui enim vim & naturam rei alicuius accommodatè & uerè explicare vult definiendo is, & cuius rei sit priuatio, & quæ res item priuetur, debet exponere.

Circumspicienda sunt multa in definitionibus priuantium uocabulorum. Vt uerbi gratia, Subiectum, Tempus, Modus, Species. Item num species hæc, habitus, uel contrarij, uel medij rationem habeat. In primis autem considerandum subiectum, siquidem priuatio nihil aliud est, quàm negatio determinata suo quodam subiecto. Sic enim eam definit Aristoteles, ut sit ἀντίφασις τὶς ἢ ἀδυναμία διορισθεῖσα ἢ συνειλημμένη τῷ δεκτικῷ. *Temporis causa dicuntur priuata nonnulla. Vt tum uerè dicuntur cœci Catuli, quando eo, quo deberent tempore, non suspiciunt. Et alio modo iniustum usurpatur apud Ethicos, & alio apud Theologos. Et alio modo priuatus ignis frigore, & alio, sanguis dicitur, de quo sequente loco dicemus. Nunc quæ præsentis Loci sint, interpretabimur. Supra dictum fuit, contraria omnia esse priuantia, Sed non omnia priuantia esse contraria. Quoniam nonnullis priuantibus, medium quoddam describitur, contraria uero esse nequeunt, nisi maximè distantia inter se fuerint.*

Prima

Prima autem huiusmodi oppositio priuantium, est subiecto eodem, non item genere communicantium, quæ prima ab Aristotele appellantur Contraria, eaq; sunt habitus & priuatio. Altera, communicantium genere, quorum alterum semper rationem habet cuiusdam priuationis, & hæc absolutè contraria solent appellari. Tertia, describitur extremorum negatione ac descriptione medij. De his supra quoque dictum fuit. Consideranda igitur hæc priuantium differentia triplex, quam in præsentia describit Aristoteles, ut explicetur definitionibus scilicet earum, habitus ne ea sit, an contrarij, an cuiuscunque alterius (quod contrarium tamen non sit) priuatio existat, qualia sunt hæc tertij generis. Deinde considerandum suo ne an alieno subiecto aßignarit. Et in quo inest, ei ne simpliciter priuatio insit, an propter aliud, quod supra πρῶτον δεκτικὸν appellauimus. Exempla proposuit Aristoteles Ignorantiam & Cœcitatem. Vt si sensus priuationem in Homine, quis definiat ignorantiam esse (quæ tamen scientiæ est opposita, cuius primum subiectum est mens hominis) perperam scilicet eam definierit. Neq; enim quid sit priuatio absq; eo cuius est, nempe forma uel habitu, nec sine eo, in quo inest subiecto, eoq; primo, noscitur. Quare si quid horum non ritè sit dictum, in uitio erit Definitio priuationis. Habitus equidem causa & definitio in omnibus est una, etiamsi ex partibus multis sit aggregata eius ratio, qua quid sit noscitur. Vt Visum, si quis specie & materia physicè definiri uelit, Nempe facultatem appræhendentem proprie colores, instrumento oculi (cuius deinde naturam, fabrica partium ipsius explanet) suas exercentem actiones. In Definitionibus quacunque sublata & perempta parte, totam labefactari necesse est. Quòd si ergo partibus his oculi, tanquam instrumenti uidendi, ratio Visus explicatur, ut uerbi gratia, neruo optico, humore crystallino, tunicis item & humoribus, quibus est constructum & contextum, tum ipsius instrumentum, si per morbum unius cuiusdam partis labes sit facta, sublata scilicet uidendi facultas erit. Quotquot autem partium differentiæ erunt, totidem priuationum quoque constituentur species, quarum unamquamque suo πρώτῳ δεκτικῷ definiri

Prima cõtraria.

Absolutè contraria.

Absolute priuantia.

In priuantibus finiendis, quid considerãdum.

 definiri

definiri pertineat non modo ad perfectam scientiæ, sed etiam ad absolutam curandi rationem, nempe ad ἐνδείξεις, quibus declaratur ordo & scopus curationis affectuum corporis ægrotantis. Istarum partium et causarum ignoratio facit interdum, ut communibus uocabulis species priuationum cōfundantur, ut quando Cœcitas appellatur æquè quæ prouenit obstructione nerui optici, & quæ suffuso quopiam inter crystallinum & uueam humore, oboritur. In nonnullis tamen tot priuationum sunt, quot habituū uocabula. Vt πέψεως species sunt, πέπανσις, ἕψησις, ὄπτησις. His priuantia sunt totidem opposita, ἀπεψία, ὠμότης, μόλυνσις, στάτευσις. Nihilominus tamen uocabula hæc pluribus adhibentur alijs non eisdem specie (nempe ratione καθόλου) sed analogia
Met. li. δ. & similitudine quadam, eisdem. Quoniam autore Aristotele, καθόλου ἐστὶν ὅσα μὴ ἔχει διαίρεσιν ᾗ μὴ ἔχει, ταύτῃ ἓν λέγεται. οἷον εἰ ᾗ ἄνθρωπος μὴ ἔχει διαίρεσιν, εἷς ἄνθρωπος. Εἰ δὲ ᾗ ζῷον, ἓν ζῷον, εἰ δὲ ᾗ μέγεθος, ἓν μέγεθος. Quapropter πέψις eadem non est, qua nutrimentum conficitur, cuius extremum est conseruatio naturæ nutriti: differtq; ab ea qua separabile est excrementum ab eo, à quo secundum naturam separatur qualitatis & quantitatis gratia, qua nimirum concoctione fecum in feruore musti, & urinarum in crisi morborum, fit secretio. Eadem ratio uersatur in reliquis speciebus & earum priuationibus, quæ ad multa transferuntur quadam metaphora, propter uocabulorum inopiam. Sic enim de his scribit in Meteoris Aristotelis δεῖ δ' ὑπολαμβάνειν μὴ κυρίως ταυτὰ λέγεσθαι. Τὰ ὀνόματα τοῖς πράγμασι γὰρ οὐ κεῖται καθόλου τοῖς ὁμοίοις. ὥστε οὐ ταυτὰ ἀλλὰ τοιαῦτα δεῖ νομίζειν. Ex quo par est intelligi, duas esse causas difficultatis definiendi priuationes in rebus. Vna est, quòd non, ut habitus, ita quoq; priuationis in omnibus una species est. Altera, quòd similibus uno uocabulo compræhensis, facilè non sit suam cuiq; propriam speciem & subiectum ratione & definitione complecti: quòd ferè pro eisdem habeantur quorum uocabula sint eadem. Quocirca Homonymia sæpe in causa est, ut priuatio nec suæ opponatur formæ, nec ei cui propriè conuenit subiecto, definitione apta applicetur, Vt si Theologica Iniustitia finiatur, esse Acquisitus à nobis habitus, quo simus iniqui appetentes. Pro speciè enim usurpatum Iustitiæ uocabulum, Homonymon est, quando nimirum di-

uersis natura rebus significatis adhibetur. Vt si concoctio, quæ est nutrimenti propria, adhibetur quoq; musto, & alijs supra commemoratis rebus, ut urinæ, puri, & similibus. In his enim nec species quæ generatur, nec subiectum, rationem habet eandem nutritioni, quantumuis nomen idem causa similitudinis obtineant. Iniustitia ergo Theologica definitur priuatione primæ perfectionis, id est, Iustitiæ, quæ cum homine creata fuit, quam in Adamo amiserunt omnes ex ipso propagati homines. Hæc profecto nihil aliud est, quàm priuatio fidei, qua toto corde à Dei nutu pendentē hominem, ipsius præceptis obedire oportuit. Ei non iustitia operum, aut ea quæ bene agendo acquiritur, aut certè quæ acquisita exercetur operibus bonis, sed Iustitia fidei in seruatorem Christum, tanquam habitus opponitur, non à nobis acquisitus, sed ut dicunt Theologi, à spiritu Dei infusus & datus. Quippe cum iniustitia quoq; hæc, non nostra, sed alterius culpa nobis obrepserit. Huius priuationis causam ignorantes Philosophi, de Paulina & Christiana iustitia nihil scire potuerunt. Perinde ut suffusionis uel hypochymatis rationem ignorantes, non intelligunt Crystallinum humorem præcipuum uidendi esse instrumentum: sic ex priuationibus non ritè definitis, in quibusdam definiendis habitibus hallucinari nos est necesse, quum priuationes in quibusdam habitibus sint nobis notiores, ἀλλ' ὅμως ἐκ τῶν φαύλως μὲν γνωριστῶν, αὐτῷ δὲ γνωστῶν, τὰ ὅλως γνωστὰ γνῶναι πειρατέον. Nec solum Iniustitia non est eadem, morum scilicet & fidei, sed nec subiectum primum idem. Etenim Iniustus fit ex iusto, uel ex eo, qui nec iustus, nec iniustus est, quæ sententia est Philosophorum. Sed autoribus Theologis, iniustitia impietatis in Deum nobiscum nascitur, & eadem est origo peccati, qui est ortus naturæ & uitæ nostræ, nec simus mali, sed nascimur, à stirpe scilicet existentes filij, ut D. Paulus loquitur, iræ Dei. Inscitia istarum rerum, dictu mirum quàm obscurarit, & tantum non extinxerit penitus Theologiæ syncerum studium & doctrinam. Quam labem non peperit Dialecticæ peritia, sed eius ignorantia. Quæ inscitia artis huius, hodie etiā non desinit comminisci multas & uarias in ambitiosis ingenijs hæreses, & monstrosas opiniones. Monendum illud præterea est, in Physicis rebus triplicem esse priua-

tionem. Aut enim penitus sua forma orbatur res naturalis, ut si prorsus cœcus fiat oculus, aut energia debilitatur, ut in amphlyopia, aut praua est, & quasi ballucinans, ut si unum uideatur esse duo.

LOCVS LX.

ILlud etiam considerandum, an priuatione explicetur, quod tamen non numeratur in priuantibus. Cuiusmodi error in definitione ignorationis videtur versari, quoad nimirum hac uoce vtuntur, non significante negationem, qua res nescitur penitus. Non enim videtur ignorare conuenire ei, quod expers sit scientiæ, sed ei demum, quod errat & fallitur. Itaq; nec res inanimas, nec pueros ignorare dicimus. Quare ignorantia hæc, priuatione scientiæ non definitur.

Priuationum uocabula aliâs usurpantur, quoad opposita sunt habituum. Aliâs quatenus sunt opposita contrariorum. Vt ignorantiæ uocabulum seu ἀγνοίας, in eo qui fallitur opinione sua, contrarium scientiæ significat errorem, & definitur sic, ut sit syllogismo quodam concepta falsa opinio. Aut ut eam Aristoteles definit in Analyticis posterioribus. διὰ συλλογισμοῦ γινομένη ἀπάτη. Hac significatione utuntur, qui non omnino nihil scientem, sed prauè & perperam cognoscentem quidpiam, appellant ignarum. Ergo qui ballucinatur aut fallitur, non qui omnino nescit, ignarus interdum appellatur. Hac significatione nec inanima, nec pueros ignorantes dicimus. Inanimis quidem tribuitur ignorantia, quoad negatio opponitur affirmationi. Sed pueris, quatenus priuatio habitui. In ballucinantibus, quoad contrarium opponitur contrario, ut error ueritati, praua compositio notionum & uitiosa, uero & legitimè constituto Syllogismo. Duobus prioribus modis aliquid omnino ignoratur, quam κατ' ἀπόφασιν ἄγνοιαν in Analyticis uocat Aristoteles

ristoteles. Potest itaq; fieri, ut quod δυνάμει sciat quispiam, id ipsum actu scilicet ignoret, Syllogismo non ritè connectens separatim nota, quorum unum pro alio arripiat, ut in Columbario (in Theæteto enim Plato simplices notitias Columbis comparat) si pro una columba, aliam quis arripiat, hallucinans, ex ueris simplicibus, compositas falsas efficiet notitias. Quoniam autore Aristotele, error & ἀπάτη in diuiduis notitijs locum habet, quibus affirmatur scilicet aliquid, aut negatur. In Simplicibus error non est, sed ἄγνοια κατ' ἀπόφασιν, & penitus tota uel ignorantur, uel intelliguntur, quippe sunt φάσεις duntaxat quædam, non autem κατάφασις uel ἀπόφασις.. Sed hæc ad uiuum resecare, non est instituti præsentis. Cum simpliciter ergo notis, & ueritate earum, falsitas compositarum notitiarum simul esse potest, quæ quidem ignorantia non est absoluta priuatio notitiæ omnis (quia non est omnino nulla) sed est falsa quædam notitia, quæ ueræ notitiæ, id est, scientiæ, contrariè, non autem priuatiuè opponitur. Illa quippe ignorantia, tanquam cœca mente nihil uidemus, hac autem tanquam hallucinantibus oculis cognoscendo uero oberramus, non prorsus cognoscentes nihil. Erroris hanc ignorantiam, seu cum errore coniunctam ἄγνοιαν, Aristoteles Libro γ. Metaphysicæ, bifariam distinguit. Eamq; aut λόγου ἕνεκα prouenire in nobis ostendit, aut ἕνεκα διανοίας ea nos cœcutire. Prioris modi error est, quo propter ambigua & homonyma uocabula hallucinamur, ut Parmenides, quando opinatus est omnia esse unum Ens, uocabuli ENTIS, homonymia deceptus. Posterioris erroris exemplum est Anaxagoræ opinio hæc, qua statuit omnia in omnibus esse mixta, quandoquidem fiant omnia ex omnibus. ἀπορίας causa uersatur in praua intelligentia istius pronunciati, quo dicimus quamq; rem nasci ex contrarijs. Illud pronunciatum, non est recte rationibus ortus nascentium rerum ab Anaxagora accommodatum. Etenim ex contrarijs actu existentibus omnia fieri opinatus est, nec animaduertit duobus usurpari modis contraria. Quamobrem, ut Parmenides ambiguitate nominis, sic, Anaxagoras rerum ignorantia significatarum, est hallucinatus. Comparata porro non secus est aliarum quoq; rerum

natura, in quibus penitus priuatio habitum, & habitus priuationem exigit, nec simul ratione actus & facultatis in eodem subiecto possunt inesse, siquidem contraria eidem simul non insunt, quæ uocabulis actus & facultatis significantur interdum. Hæc si ad diuersa et non ad contraria accommodentur, ut si uocabulum potentiæ seu facultatis significet habitum, & actus significet ipsius energîan, poterit fieri ut simul sint in eodem habitus scientiæ, & actus ignorantiæ, qua ratione contingit scientem decipi, & iustum, rem facere iniquam.

Eadem ratione particeps aliquid erit quodammodo contrariorum, ut nimirum unius sit particeps per se, alterius propter aliud, & secundum accidens. Ut sanguis suapte natura & materia frigidus est & aqueus, per accidens autem & propter aliud, calidus. Et natura cùm simus (ut nos docent sacræ literæ) iniusti, nihilominus cum hac iniustitia, fidei iustitia consistere, ac simul esse potest. In materia quidem ignis, si ex aqua generetur, frigus, rationem habet στερήσεως, sed in sanguine, rationem obtinet contrarij & φύσεως cuiusdam, ut scribit Aristoteles libro secundo de partibus animalium. Calor ignis, sub ratione priuationis, secum non esse patitur frigus aqueum. Frigoris & aquæ natura in sanguine non aboletur, tametsi contrarij actus sit particeps, cum quo nihilominus contrarij facultas potest consistere, natura subiecti non perempta per aduentitium calorem, cuius actus non profligat frigus è subiecto sub ratione στερήσεως. Atque eius tametsi actum supprimat, uim tamen & δύναμιν non perimit & extinguit, quin sublato aduentitio ad naturam redit pristinam sanguis, tanquam aqua quædam concrescens frigore. Dixerit forsan quispiam, ut in eodem priuatio & habitus, ita nec contraria posse inesse. Fatemur sanè in eodem primo non inesse contraria, nec eodem modo, calor enim propter materiam aquæ inest, & aduenit extrinsecus: sed propter speciem & formam frigus ei est insitum, & illud quidem actu (utpote calorem) hoc autem, nempe frigus, facultate dicitur habere, eadem differentia uires utrasque alterando aliud, exercens, actu quidem calefaciens, sed δυνάμει refrigerans. Valet ratio hæc in omnibus quæ sunt aliud per se, & nihilominus contrarium κατὰ πάθος esse dicũtur. Participantium contrarijs uarietas cõsideranda.

Nam

Nam uel per se ipsa sunt aliud, & aliud secundum accidens, idq; uel quoad faciant, uel quoad patiantur contraria. Vel ipsa non propter se sed causa materiæ dicuntur contraria facere, ut Sol lutum indurans, & ceram liquefaciens. Attigisse quidem hæc satis est, ut quæ locus ille requirit, minore intelligantur negotio: nunc contraria in eodem quomodo simul actu insint considerabimus. Nam si diuersorum sint Generum, ut si unum (uerbi gratia) sit habitus, ut scientia, alterũ uero sit energia, ut nescire & ignorare, quomodo poßint in eodem esse, supra ostendimus. At si ambo contraria fuerint eiusdem Generis, quomodo in eodem poßint esse, ut iustitia & iniustitia quomodo sint in homine, à Theologis quæri & disputari consueuit: à Medicis, quonam pacto in febre hepialo, aut lypiria, simul calor & frigus insint. Fieri non potest ut ambo in eodem primo insint subiecto contraria. Externus itaq; homo, ut Theologicè loquar, cum sua concupiscentia, subiectum est iniustitiæ. Sed internus homo, mens scilicet, iustitiæ fidei proprium est subiectum, & primunm. Ita sacris est proditum & præsertim Paulinis epistolis. In Hepialo qua parte frigidißimum, nempe uitreum phlegma subsistit, frigus, qua pars ipsius putrescens, calor afficit corpus. Ad interiora sanguine & calore in Lypiria confluentibus, uisceribus inflammatis, rigent & frigent exteriores partes. Contraria quidem simul si in subiecto eodem sunt primo, aut misceri, aut unum penitus ab altero profligari, est necessarium. Ergo, inquies, contraria profectò non sunt, quæ discrepantibus insunt subiectis, aut quæ non eodem usurpantur modo. Verè istud & consentaneè dici liquet definitione contrariorum. Nec idem est si quis dicat contraria hæc esse, & quando dixerit aliquis definiri quædam ratione contrariorum & non priuantium. Vt uerbi gratia, non sine notitia quadam, ignorantia τῆς ἀπάτης potest finiri. Nec iustitia hominis Christiana sine contrarijs intelligitur. Neq; item natura & substantia sanguinis quid sit explanatur, absq; his, quæ supra exposuimus contrarijs. Non ergo quod nullam habeat iustitiam apud Theologos dicitur iniustum, Nec apud Physicos est expers frigoris omnino quod calidum dicitur, quemadmodum nec priuatione scientiæ perfecta, definitur error scientiæ cõtrarius, quo

Contraria quomodo poßint esse in eodem.

 fallimur

fallimur, nec ſine frigore, hepiali calor aut lypiriæ. Error porrò ſcientiæ rationem non excludens, dupliciter cum ſcientia iungi poteſt. Vno modo, ut in uniuerſum & καθόλυ ſciatur aliquid, quod tamẽ ignoretur tanquam indiuiduum & ſingulare. Altero, ſi habitu quidpiam ſciatur, quod tamen actu ignoretur, propter πάθος ſcilicet quoddam, ut incontinentes & temulenti ſcientes aliquid, neſciunt tamen: nec definiri ἀκρατὴς aliter poteſt ut eſt in Ethicis apud Ariſtotelem. Non enim quòd ignoret quid ſit faciendum, aut quibus abſtinendum, ſed quòd ſcientia non utatur, definiri ſolet incontinens.

LOCVS LXI.

IAm illud uidendum eſt, an ſimilibus nominis caſibus, ſimiles definitionis caſus reſpondeant. Vt ſi vtile eſt, quod efficiens eſt ualetudinis. Vtiliter erit, accommodatè ſe habere ad efficiendam ualetudinem. Etiam quod vtile fuit, id ualetudinem effecit.

Conſentanea debet eſſe definitio coniugatorum ſimilibus caſibus & inflexionibus. Vt ſi uirtus eſt Scientia rerum agendarum: Certè uirtute præditus, ſciens erit. Et honeſtè agere erit nihil aliud quàm ſcienter agere, Ita, ſi inſtitia eſt ἀντιπεπονθὸς, Ergo iuſtè puniri, erit ἀντιπάχειν. Sæpe depræhenditur uitium definitionis deductione coniugatorum. Exemplis res ſatis liquet, nec difficilis eſt ad intelligendum Locus. Vtilis etiam eſt ad colligendas & aſtruendas Definitiones. Vt ſi iuſtificari eſt per fidem Spiritus Dei participem fieri, Ergo Iuſtitia erit fides per quam Dei Spiritus habitat in nobis. Neq; enim Fides inanis eſt credulitas, ſed inſtrumentum iuſtitiæ Dei, quo nullo noſtro merito reputamur iuſti, & idonei, quibus gratuitò Spiritum ſuum ſanctum largiatur, atq; is eſt unicus fructus iuſtitiæ fidei, ſeu Chriſtianorum.

LOCVS LXII.

SPectandum etiam eſt ex Idæa, ſit ne uera & propria, quæ data eſt definitio. Quemadmodum Plato definit,

nit, mortale adiungens animantium definitionibus. Si enim Idea est, certè non est mortalis, ueluti Ipsehomo (αὐτοάνθρωπος. Quare Ideæ nequaquam conueniet definitio. Omnino necesse est, si addatur id quod efficiens est, aut patibile, in Idea discrepare Definitionẽ. Impatibiles enim & immutabiles uidentur Ideæ ijs, qui defendunt ipsas, contra hos, argumenta huiusmodi ualent.

Concretas cum materia species, quia essent mutabiles, quodq; non essent uerè & syncerè id quod dicerentur esse, alienis quibusdam affectionibus admixtæ, nõ posse definiri quidam censuerunt. Rati igitur sunt re ipsa à materia separatas quasdam subsistere formas, quarum definitiones & demonstrationes essent, quæ causa ueritatis aliter se habere non possent, quas appellarunt Ideas. Socrates, ut scribit Aristoteles libro primo Metaphysicæ, primus Ideas introduxit propter definitiones, quibus ueritas rerum à nobis perciperetur: quæ nimirum nulla esset in singulis & sub sensum cadentibus rebus, propter instabilitatem earum, qua non tantum ratio sed sensus etiam subinde fallerentur repræsentatione inanium uisorum. Σωκράτους περὶ μὲν τὰ ἠθικὰ πραγματευομένου, περὶ δὲ τῆς ὅλης φύσεως οὐδὲν, ἐν μὲν τούτοις τὸ καθόλου ζητοῦντος, καὶ περὶ ὁρισμῶν ἐπιστήσαντος πρώτου τὴν διάνοιαν. ἐκεῖνον ἀποδεξάμενος διὰ τὸ ζητεῖσθαι περὶ τῶν καθόλου, τοιοῦτον ὑπέλαβεν ὡς περὶ ἑτέρων τοὺς ὁρισμοὺς τούτους γινομένους, καὶ οὐ περὶ αἰσθητῶν τινός. Ἀδύνατον γὰρ εἶναι τὸν κοινὸν ὅρον τῶν αἰσθητῶν τινὸς ἀεὶ μεταβαλλόντων. Οὕτως οὖν τὰ μὲν τοιαῦτα τῶν ὄντων ΙΔΕΑΣ προσηγόρευσε, τὰ δ' αἰσθητὰ παρὰ ταῦτα, καὶ κατὰ ταῦτα λέγεσθαι πάντα. *Sed quanquã excludenda sunt definitionibus omnia* πάθη *aliena, quæ formis propter materiam accidunt, nihilominus sunt nonnulla quæ separatim quid sint absq; materia & subiecto quodam definiri non possunt, ut sunt quæ separatum actum habent nullum, ac respectu duntaxat alterius (quod proprium est* χωριστῶν *existentium) actum obtinent. Cuiusmodi sunt partes et membra animaliũ. Ac præterea elementa ipsa, id quod sunt, pars duntaxat mixti dicuntur esse. His quidẽ ut separationis, ita Ideæ ratio nullo modo cõgruit. Ac ne ijs quidẽ quæ separatim* χωριστῶς*: quoad aũt in materia & subiecto insunt,* ἐνεργείας *seu* ἐντελεχείας *obtinẽt rationẽ, ut sunt* πάθη *reliqua* *Ari. Metaphy. li. 8.*

quæ tum demum dicuntur esse actu, quando iis informantur subiecta, quibus si careant, δυνάμει & posse aliquid esse, dici solent, ut est motus, scientia, ac similia, quæ scientis gratia, & item eius quod mouetur, actum suum & energian obtinent, non quatenus separata sunt à subiecto. Tales igitur species, Ideæ nullo modo possunt esse, quum Ideæ separatæ sint formæ, & omnino αὐτοενέργεια quædã. Assertores Idearum refellit Aristo. hoc argumento libro θ. Metaphisicæ, ad hunc modum scribens, εἰ ἄρα τινὲς εἰσι φύσεις τοιαῦται, ἢ οὐσίαι οἵας λέγουσι οἱ ἐν τοῖς λόγοις τὰς ἰδέας. πολὺ μᾶλλον ἐπιστῆμόν ἄν τι εἴη ἢ αὐτοεπιστήμη, καὶ κινούμενον ἢ κίνησις. ταῦτα γὰρ ἐνέργειαι μᾶλλον, ἐκεῖναι δὲ δυνάμεις τούτων. Quoniam sunt simplices & syncerae energiæ Idearum, his nimirum ratio facultatis potentiæq; agendi aut patiendi aliquid, nulla quadrabit, Sed pleraq; definiuntur his facultatibus, quarum definitionum nullam esse ueram & consentaneam necesse erit his fateri, qui duntaxat Idearum finitiones esse contendunt. Ac ualet ille quidem Locus duntaxat contra Idearum patronos, qui non animaduertentes etiam, differentiis interdum utuntur Ideæ repugnantibus, ut si definiendo Animal pro differentia adiungant, mortale. Nam quod mortale est, non simplex & syncerum, id est, Idea erit, sed mutabile quiddã, & cum materia concretum. Physici, ea quæ non sunt in eodem primo subiecto, definitione & essentia discrepare dicunt, quæ si eodem nomine communicent, id nimirum homonymum esse. Ac multo magis si omnino genere Physico non fuerint eadem, ut si duo sint, quorum alterum omnino non sit cũ materia concretum, sed æternum quiddã et immutabile. Alterum, particeps sit materiæ, mortale & caducum existens, ne genus quidem habebunt idem, multo minus pro specie eisdem numeranda erunt, ut homo mortalis, & immortalis, qui, ut Aristoteles scribit libro 1. Metaphysicæ, toto genere discrepant, & eo quidem, ut dictum est Physico, εἰ ἄρα καὶ καθ᾽ ὃ πρῶτον, τὸ μὲν φθαρτόν, τὸ δ᾽ ἄφθαρτον, ἔχει ἀντίθεσιν. ὥστ᾽ ἀνάγκη γένει ἕτερα εἶναι. φανερὸν τοίνυν ὅτι οὐκ ἐνδέχεται εἶναι εἴδη τοιαῦτα οἷα λέγουσί τινες. ἔσται γὰρ τὸ ἄνθρωπος, ὁ μὲν φθαρτὸς, ὁ δ᾽ ἄφθαρτος. Καίτοι τῷ εἴδει ταυτὰ λέγεται εἶναι τὰ εἴδη τοῖς τισὶ καὶ οὐχ ὁμώνυμα. τὰ δὲ γένει ἕτερα πλεῖον διέστηκεν ἢ τὰ εἴδει. His, quæ diximus, perspicuum est, non abstractas, sed concretas cum materia formas definiri

finiri à nobis, ac definiendo abstrahi, id est, separatim cognosci, non quòd reuera sint secretæ: qua ratione dicimus uulgò, Abstrahentium non esse falsam notitiam. Platonici uero, quia modo quodam, nempe propter notitiam nostram, separatim cognoscerentur species rerum: idcirco ipsas per se separatas esse censuerunt, quem errorem paßim Aristoteles, præsertim uero in Metaphysicis accuratißimè refellit. Sed de his in præsentia dictum satis.

LOCVS LXIII.

Vitiosum & illud finitionis genus, si quis omnium eorum, quæ compræhenduntur uno, sed homonymo vocabulo, definitionem proferat vnam. Synonyma enim sunt, quorum vt nomen, sic ratio quoque est vna. Itaque Homonymi definitio nulli definitorum propria erit, quoniam Homonymum ex æquo conuenit omnibus significatis diuersis. Quod etiam vitium in Vitæ definitione reperitur, quam Dionysius tradidit. Siquidem est motus: generi, quod nutriri potest, insitus, subsequens. Neque enim id in animantibus magis inest, quàm in ijs, quæ è terra gignuntur, cùm interim vitæ non unum genus sit, aliudque vitæ genus animantibus, aliud iis, quæ è terra gignuntur, tributum esse videatur. Atque vt fieri potest, vt arbitratu nostro sic definitionem vitæ explicemus, quasi sit synonymum verbum, vnumque sit genus vitæ, sic nihil prohibet etiam eum, qui Homonymiam & ambiguum perspiciat, uelitque alterius definitionem tradere, ita dissimulanter facere, vt non propriam, sed communem utrique statuat definitionem. Sed tamen utrouis genere definiendi utatur, certe aberrabit.

Aliquot Loci deinceps tractantur rationibus & argumentis homonymiæ, Cœterum ut definita uocabula sunt homonyma, ita definitiones quoque sunt quæ ὁμωνύμως multis specie differentibus possunt

accommodari, siquidem ut Aristoteles ait in Physicis, ἐνίων καὶ οἱ ὁμώνυμοι λόγοι. Quibus ex æquo significantur multa, dici solent homonyma. Sed quibus principale quiddam, & multa deinceps alia respectu huius principalis, ordine quodam significantur, homonyma non sunt, licet instar quoddam habeant Homonymorum. Genus id uocabulorum & definitionum usurpant disciplinæ (cum alioqui ab Homonymis abhorreant) ac Græci Philosophi istud quidem πρὸς ἕν, uel ἀφ' ἑνὸς significans, appellant, eius apud Aristotelem libro γ. Metaphysicæ talis extat definitio seu declaratio potius quædam. τὸ ὂν λέγεται πολλαχῶς ἀλλὰ πρὸς ἓν καὶ μίαν τινὰ φύσιν, οὐχ ὁμωνύμως, ἀλλ' ὥσπερ καὶ τὸ ὑγιεινὸν ἅπαν πρὸς ὑγίειαν, τὸ μὲν τῷ φυλάττειν τὸ δὲ τῷ ποιεῖν, τὸ δὲ τῷ σημαίνειν, τὸ δὲ ὅτι δεκτικὸν αὐτῆς. Sed his omißis, ad Homonyma me confero. Sæpe numero uocabulum homonymum in causa est, ut specie differentes res unam habere rationem & synonyma uideantur esse. At homonymorum definitiones quoq; homonymas esse, nec ullius rei definitæ proprias aut peculiares, uel ex eo perspicitur, quòd iis tantum abest, ut naturæ rerum distinguantur, quibus finiendis solent adhiberi, ut nihil sit, quod earum rationem magis obscuret & confundat. Siquidem Homonymia aliud ab alio non diuersum & discrepans, sed unum uidetur esse aliud, & diuersa pro eisdem numerantur. Horum definitiones uocabulorum, Argumento præsentis Loci repræhenduntur. Cæterum differunt inter se homonyma uocabula. Etenim quædam differentes species, ut haberent Nomen idem, casu quodam euenit. Vt, Bellum quo significatur pulchrum, & præterea aliquid, quod minimè sit pulchrum, sed teterrimum, cædem uidelicet & conflictum armorum pernitiosum. Ratio aliqua subsit, an casu euenerit, ut res tam dißimiles eodem appellarentur nomine, Grammaticis excutiendum relinquo. Quòd longißimè discrepent hæ res inter se, uel cœco, ut dicitur, appareat. Aristoteles genus illud Homonymorum, rebus τύχῃ impositum in Ethicis commemorat, Et in physicis hanc Homonymiam τῶν πολὺ ἀπεχόντων, & in quinto Ethicorum, τῶν πόρρω ὄντων appellat. Ac in his quidem homonymiæ nullo depræhenduntur negotio, quoniam sunt apertißima rerum inter se discrepantia manifestæ. Aliæ sunt occultiores, ac magis latent, nam

res

res significatæ his uocabulis, propter finitimam propinquitatem, aut quia genus proximum habent idem, aut quia analogia sunt simillima, omnino pro eisdem habentur, quæ ut internosci facile non possunt, ita communione homonymi uocabuli, tanquam si eadem essent, nobis imponunt. Paruo interuallo distantia internosse, ac similitudines distinguere, præsertim Dialecticæ artis proprium esse, scribit Plato in Phædro, ubi Socrates disputat ad hunc modum. Δεῖ ἄρα τὸν μέλλοντα ἀπατήσειν μὲν ἄλλον, αὐτὸν δὲ μὴ ἀπατήσεσθαι, τὴν ὁμοιότητα τῶν ὄντων, καὶ ἀνομοιότητα ἀκριβῶς διειδέναι. Φαι. ἀνάγκη μὲν οὖν. Σω. ἦ οὖν οἷός τε ἔσται ἀλήθειαν ἀγνοῶν ἑκάστου τὴν τοῦ ἀγνοουμένου ὁμοιότητα μικράν τε καὶ μεγάλην ἐν τοῖς ἄλλοις διαγινώσκειν; Φαι. ἀδύνατον. Σω. οὐκοῦν τοῖς παρὰ τὰ ὄντα δοξάζουσι καὶ ἀπατωμένοις, δῆλον ὡς τὸ πάθος τοῦτο δι' ὁμοιοτήτων τινῶν εἰσερρύη. Itaq; in Elenchis Aristoteles τῇ παρὰ μικρὸν ἀπάτῃ propemodum omnes decipi & hallucinari censet, quoniam pleraq; quæ parum discrepant, nihil differre inter se existimantur. Homonymia quidem, qua præsertim fallimur, & ut Galenus in quodam loco scribit, εἰς ὅλον ἐκτεταμμένη τὸν βίον, καὶ πολλαχόθι σφάλλουσα quomodo in disputationib. sit refellenda, cùm hoc loco, tum in Elenchis docet Arist. Contrarijs interdum idem est nomen impositum, ut Nutrimenti, & ei scilicet, quod propter similitudinem substantiæ iam nutrit, & ei quod propter dißimilitudinem concoctione nutriturū est postea. Vtriusq; definitio erit quadā homonymia communis, nempe ut sit, res corporis uires animati reficiens atq; instaurans: Significati prioris respectu constat uerū esse quod dicitur: similia nutriri similib. Posterioris respectu si dicatur contrario quid piā nutriri. Homonymia hæc definitionib. si fuisset discussa, ei controuersiæ locus nō fuisset, qua dubitatū fuit, simili ne, an contrario corpus nutriretur. Fidei quoq; uocabulum homonymon & ambiguū est. Nā si fides sit certa et indubitata notitia rei cuiusdā, tum fides nō in pijs et sanctis solū, uerum etiā in impijs erit et Dæmonib. quippe & illi credunt & nouerunt, q̄ iustitia sit hominis, qua saluum fieri oporteat et beatū, quæ tamen fides ad salutem consequendam nihil conducat. Vocabuli iniustitiæ ambiguum esse usum & homonymon, admonet Aristot. in Ethicis. Nam aliâs omne uitium, & quicquid contra Leges fit, dicitur Iniustitia: aliâs duntaxat, si alicui quod suum est, non tribuitur. Quanquam in uniuerso genere Iniustitiæ,

aut suum alicui non datur quodammodo, aut alienum eripitur, Veruntamen παράνομος hæc iniustitia in omnibus rebus, circa quas uersatur, mediocritati opponitur, illa uero ἄνισος & πλεονεκτικὴ in simpliciter bonis, opponitur duntaxat mediocritati ratione exuperantiæ: est enim πλεονεξία quædam, qua plus habet quispiam simpliciter bonorum quàm par sit. Diligenter perpendit & considerat Homonymiam hanc Iniustitiæ uocabuli Aristoteles, eiusq; significata distinguit, ne confusio difficultatem aut obscuritatem tractationis pariat, quandoquidem ignotior differentia uulgo sit propter similitudinem, ut plerique inter significata hæc nihil putent interesse. Quin etiam uafra & subdola imitatione, uitijs quoq; imponuntur uocabula uirtutum, quæ Socrates in Phædone consideranda diligenter præcipit, μὴ σκιαγραφία τις ᾖ ἡ τοιαύτη ἀρετή, καὶ τῷ ὄντι ἀνδραποδώδης τε καὶ οὐδὲν ὑγιὲς, οὐδ' ἀληθὲς ἔχῃ. Huiusmodi speciosæ præstigiæ uirtutum, & εὐήθεις ἀρεταὶ, ut eas Socrates appellat, nihil aliud sunt quàm perditißima & nequißima Hypocrisis. Ergo ut in oratione, ita quoq; in moribus Homonymia nobis imponit. Nutrimenti Homonymian Hippocrates sic distinguit, ut nimirum sit quiddam modò & perfectè nutriens, quod uerum sit nutrimentum. Et quoddam nutriturum, quod uidelicet sit contrarium nutrito. Fides, uocabulum Homonymum est in scriptura, Eius uera definitio & ratio est qua dicitur. Substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Fides hæc propria est piorum, quam aliàs fructu suo describit D. Paulus, addito hoc quasi epitheto, ut sit uidelicet per charitatem operans, aut qua Spiritus Dei pura reddat corda nostra, ac similibus. Est enim fides hæc non opinio quædam, qua exploratum nobis sit esse aliquid uerum, sed est, ut Aristotelicè loquar, συμφυὴς λόγος salutis nostræ, quo cognoscens, omni desiderio, ac secretißimo animi affectu rem cognitam, ut optimum & summum bonum, complectitur, eoq; nihil melius aut optabilius esse ei potest persuaderi. Proportione quadam ei respondet fides principiorum, quæ uincit firmitate assensus animi quamlibet demonstrationem & scientiam. Homonymia uocabuli istius multis illusit non solum nostra tempestate uerumetiam Apostolorum temporibus, cum quæ iustitia esset

fidei, non ſatis intelligerent, rerum ſignificatarum diuerſa interpretatione ambiguo uocabulo, σκιαγραφία certè eſt fidei ſi definiatur eſſe Notitia quæ habeatur de ſalute & redemptione humani Generis. Quæ profectò ſola nec iuſtificat, nec res ſperandas appræhendit, ſed terroribus potius uexat conſcientiam, & deſperatione ſalutis æternæ torquet impios. Ex his quæ dicta ſunt hactenus perſpicitur, Generis aut Analogiæ uocabulum, propter uitioſam definitionem, ſpeciei ὁμωνύμως accommodari, ut quod plurium eſt, iſtud unius duntaxat uideatur eſſe. Ipſa enim per ſe ſpecies, non uerò aliquid ſpeciei communi illo ſignificari uidetur, qualis eſt paulo ante commemorata Fidei definitio ambigua. Ex aliquo fieri, Anaxagoras ſic definit, ut ſit ex contrarijs fieri, quæ unius duntaxat modi eſſe cenſet, nempe actu cortraria. Quòd ſi ὁμώνυμος hæc non ſit definitio, & pertinens quoq; ad contraria δυνάμει, uerum erit Anaxagoræ dogma illud, quo ſtatuit omnia in omnibus ſimul eſſe mixta. Quamobrem & huic ratio contrariorum ὁμώνυμος perſuaſit, ut de primordijs rerum naturalium non rectè ſentiret. Quinetiam uocabulum mixtile ſeu μικτὸν, eſt Homonymum, ut ſupra quodam loco oſtendi, quippe eadem ſpecie non ſunt mixtilia, ſed contraria, quæ uocabulo Generis ſignificantur ὁμωνύμως. Nolo multus eſſe in exemplis, quorum plena eſt uita communis, omnesq; imperitorum errores ambiguis rerum appellationibus & Homonymijs implicantur, ſiquidem plures ſunt res quàm rerum uocabula. Deinde à ſimilibus etiam prolapſio admodum eſt lubrica ad errorem, quando penitus idem, quod ſimile eſt, exiſtimatur eſſe. De his aliâs diximus, nunc ad textum explanandum nos conferemus. Conſiderandum ſi plurium ſit definitio quæ tamen uno, uerum Homonymo compræhenduntur nomine. Vt ſi triangulum definiatur eſſe ſpecies tribus determinata lineis. Hæc nimirum definitio & triangulo quatenus figura eſt, & qualitas, determinatrix ſcilicet planities corporis, item quatenus planities eſt & quantitas determinata lineis, conuenit. Quòd ſi uera, id eſt, unius rei & Synonymos reputetur definitio hæc, pro eodem quoq; erunt habendæ Qualitas & Quantitas, res toto Genere diſcrepantes. Item Amicitiæ definitio honeſtæ hæc ſi fuerit, ut ſit Beneuolentia mutua

boni cuiusdam communione contracta. Cùm eadem conueniat amicitijs quoq; utilitatis aut uoluptatis gratia susceptis, utile nimirum, iucundum, & honestum, penitus eadem & Synonyma erunt. Liquet igitur hoc absurdo definitionem hanc esse nullam, quia nulli significatæ rei quatenus exprimuntur Homonymo, poßit accommodari. Ambigua enim definitione cùm non unum aliquid declaretur, ea nimirum significabitur nullum, Siquidem non unum idem est ei quod dicitur non ullum, id est, nullum. Istius uitij coarguit Aristoteles definitionem quandam Dionysij qua is Vitam definijt sic ambiguè, ut stirpium & animantium, si definitio uera sit & συνώνυμος, ex neceßitate uita & anima esse uideatur eadem. Eam his expreßit uerbis, ut Vita nimirum sit insita motio, generis quod particeps est nutritionis, consectaria. Interno principio excitatam motionem, quæ nimirum consectaria sit uegetatricis animæ, Vitam esse dicit. Proinde constat omnes motus insitos atq; interno principio excitatos, ut sentientis animæ, item mouentis in loco, consectarios esse uegetaricis animæ & facultatis, seu θρεπτικῦ γένους. Nam sine nutricante nulla reliquarum esse potest, suntq; ipsius in animalibus, ut dictum est, consectariæ. Consectariam ergo motionem esse uegetatricis, si eodem modo animalium, quo stirpium animam declarat, necesse erit eandem omnino stirpium & animalium esse animam, si hanc non tanquam Homonymon reijciamus definitionem. Sed ut Genere stirpes & animalia, ita quoq; animæ, quibus uiuunt, inter se discrepant. Falsa igitur hæc est uitæ definitio, qua uegetatrix cum alijs animæ generibus confunditur. Tres porro modi sunt, quibus hallucinari contingit sic definientem. Primus, quando ignorans quispiam Homonyma esse quæ significantur, unam illorum proferat definitionem, & res significatas suapte natura distinctas, nesciens definitione confundat, ut fit in his quæ Dialecticis uidentur Synonyma, quæ tamen reuera & apud Physicos usurpentur pro Homonymis. Secundus, quando non ignorans id faciat sed contendat rationibus & argumentis, res Homonymia significatas speciem esse unam & eandem. Vt sunt, qui nutrientem & sentientem uitam seu animam non duas sed unam uitæ speciem affirmant esse, qua in hæresi est Protagoras, apud

pud Platonem in Theæteto, qui ſenſu præditas ſtirpes cenſet: & Timæus item, apud quem ſic ſcriptum legitur. Πᾶν ὅ, τι περ ἂν μετάσχῃ τοῦ ζῆν, ζῶον μὲν ἂν ἐν δίκῃ λέγοιτο ὀρθότατα. Et paulo poſt de ſtirpibus loquens ſic ſcribit διὸ δὴ ζῇ μὲν, ἔστι δὲ οὐχ ἕτερον τοῦ ζώου. Μόνιμον δὲ κατερριζωμένον πέπηγε διὰ τὸ τῆς ἐφ' ἑαυτοῦ κινήσεως ἐστερῆσθαι. Haud longè ſecus quidã (ut Stoici) contendunt, Vtile et honeſtum unũ eſſe Bonũ, nec diſtinguunt Idæis. Itẽ, ſperma maſculinũ et muliebre idẽ eſſe cenſet Galenus natura & ſubſtãtia, quia ambo uim habeant agendo et patiendo aliquid, dum generatur animal. Ariſto. uocabulũ ſpermatis maſculino duntaxat principio finit, neq; id prouenire à mulierib. opinatur, quæ nihil aliud q̃ materiam generandi fœtus ſuppeditent. Præterea alia ratione Sexus uocabulum conuenit uiro, & alia fœminæ. Vna definitione ſi utrunq; ſignificetur, homonymon eſſe oportebit. Sexus ratio in ſtirpibus eſt una, nec ſeparatis diſtinguuntur naturis, ſed in una ſubſtantia cõcretis ambæ facultates coaluerũt. In Hermaphrodito ratio Sexus nulla eſt, neutrũ eſt enim, autore Gal. in lib. de Semine, tametſi uideatur eſſe utrũq;. Satis exemplorũ iſtius modi protulimus. Sequitur tertius modus, quo cõtingit intelligentẽ & cognoſcentem homonymiã uocabuli, nihilominus definiendo hallucinari, & proponere definitionem talem, quæ ſignificato quoq; alteri poßit accõmodari. Vt ſi Paralyſis ſignificans morbũ, et ſymptoma, definiatur eſſe Affectio qua articuli ſint expertes ſenſus & motus. Vtriq; nimirũ conueniet hæc definitio. Nam & quodãmodo morbus ea ſignificatur. Quoniam Paralyſis eſt qua tãquam cauſa (quæ nimirũ morbus eſt) articuli priuantur ſenſu & motu. Et præterea eſt affectio etiam, quam interpretari licet Symptoma, qua priuati ſunt ſenſu & motu nerui: Complures ſunt huiusmodi uocabulorũ definitiones, quib. ὁμωνύμως ſignificata non latent, ut quando ſpecies uel Genere duntaxat, uel Accidentibus definiuntur communibus. Homo pictus & qui uerè eſt homo, quin homonymo uocabulo communicent, nemo ignorat. At ſi quis definitionem Democriti adhibuerit, nihil certe erit inter ambos diſcriminis. Is enim figura quadam & ſpecie colorum definit hominem, quæ picto & uero homini ſunt communia. De quo ſic Ariſtoteles libro primo de partibus animalium ſcriptum reliquit. εἰ μὲν οὖν τῷ σχήματι καὶ τῷ χρώματι ἕκαστόν ἐστι τῶν ζώων καὶ τῶν μορίων,

ὀρθῶς ἂν Δημόκριτος λέγοι. φαίνεται γὰρ οὕτως ὑπολαβεῖν. φησὶ γὰρ παντὶ δῆλον εἶναι, ὅτι τὴν μορφὴν ἐστὶν ἄνθρωπος, ὡς ὄντος αὐτοῦ τῷ τε σχήματι, καὶ τῷ χρώματι. Quocunq; tandem modo peccatum sit, huius loci argumento refellenda confusio erit homonymiæ, & error definitionis coarguendus.

LOCVS LXIIII.

QVoniam autem quædam Homonyma sunt obscura, is qui interrogat, eis pro synonymis vti debebit. Qua ratione vnius definitio non conuenit alteri, & ob id non apta constituta definitio videbitur. Nam Synonymum cuilibet significato conuenire existimatur. Is autem qui respondet, ambiguum debet distinguere.

Locus ille relegandus ad Sophistam esset, siquidem nihil aliud, quàm ad fallendum armaret Interrogantem, nisi Respondentem etiam, quomodo captioni huic sit occurrendum, instrueret: quod fieri in Dialectica palæstra debet, idq; artis huius est proprium. In latentibus homonymijs id agendum est interroganti, ut pro synonymo uocabulum (quod tamen non sit) usurpet. Deinde si definiatur sic, ut unius duntaxat rei significatæ natura per eam intelligatur, alterius uero non appareat ratio, quod itidem hoc significetur uocabulo, Falsitas repræhendatur definitionis, ut pote quæ non omnibus συνωνύμως significatis rebus congruat. Qui respondet (significata scilicet distinguens) uocabulum homonymum esse doceat. Vt si quis calidius definiens, dicat id esse, quod reliquis citius calefiat. Si uox hæc sit Synonyma, aut uideatur esse, hanc ei definitionem non conuenire Interrogans ostendit argumento Calidioris ferri, quod tardius incandescat, & tamen multo sit alijs feruentius. Respondens occurrat hac ei distinctione, qua doceat Calidius usurpari ὁμωνύμως, ac multis modis ipsum dici & definiri, de quibus apud Aristotelem libro secundo de partibus animalium reperies.

LOCVS LXV.

Quoni-

QVoniamq; nonnulli eorum, qui rem aliquam defendunt in disputationibus, Synonymum dicunt esse Homonymum, quando videlicet non conuenit omnibus, quæ posita est definitio, & præterea Homonymum dicunt esse Synonymum, si vtrisq; conueniat. Ante inter ipsos conuenire debet de talibus voculis. Aut pro syllogismo quodam probandum, quòd sit homonymum, aut Synonymum, utrum tandem fuerit. Facilius enim concedunt ii, qui quid sequatur non prouident. Quòd si non conuenerit inter eos qui disserunt, & aliquis Synonymum dicat esse Homonymum, propterea quòd ea definitio non etiam alteri significato conueniat, videndum est, num istius definitio etiam aliis quibusdam quadret. Perspicuum enim erit, quòd respectu illorum sit Synonymũ. Si uero non conueniat, plures nimirum erunt Definitiones, quibus alia hæc & reliqua finiantur significata. Duæ enim nominis finitiones ad ea accommodabuntur, & prior scilicet, quæ posita est, & posterior item.

Hactenus definitiones Homonymorum, quomodo sint refellendæ, ostendimus. Sed quandoquidem Synonyma interdum etiam appellari soleant Homonyma, atq; è regione Homonyma habeantur pro Synonymis, à Respondentibus scilicet percontandum, quanam ratione ambo Vocabula hæc usurpent. Nonnulli sunt enim, qui arbitrentur Synonymum esse tum homonymũ, quando nimirum Synonymi proposita definitio, non cuiuis poßit applicari, cui Nomen conueniat & attribuatur definiti. Atq; porro etiam homonymum censent esse Synonymum, quando omnibus uocabulo illo significatis, definitio quoq; poßit accommodari eadem. Quibus tamen rationibus nequaquam apud Dialecticos uel definiantur, uel differant inter se homonyma & Synonyma uocabula. Quanq; Aristoteles etiam interdum homonymi uocula utitur pro synonymi, ut in secundo libro de partibus animalium sic scribens, ἐστὶ γὰρ ὡς ἐνίων τὸ μέρος ὁμώνυμον τῷ ὅλῳ, οἷον φλεβὸς φλέψ, ἐστὶ δ' οὐ ὡς ὁμώνυμον, ἀλλὰ προσώπου πρόσωπον οὐδαμῶς. *Proin-*

de qui uocabulum Synonymum latius fusum & ad plura pertinens, quam eius pateat qualiscunq; definitio, Homonymum appellant, hi metiuntur non definitionib. legitimis, sed uoculis perperam definitis, homonymiam. Et quibus uidentur hæc appellanda Homonyma, quorum non minus definitio, quàm uox definita ex æquo significare res non easdem uideatur, iis necesse est, si definitione quapiam Res una, & non ambiguè significetur, eius uocabulum seu definitum pro non Homonymo astruere, cum tamen certæ rei definitio, secundum Dialecticos uocabulum ab Homonymia non uindicet. Non enim significata res certa & expressa definitione, Synonymum efficit uocabulum, sed ratio una Nominis, qua significatur communitas & unitas naturæ multarum rerum uno uocabulo, eiusq; definitione una compræhensarum. Quæ sint ueræ Definitiones Synonymi uocabuli, item Homonymi, satis planè & disertè Dialectici docent, quæ in præsentia commemoranda non arbitror. Sciscitandum itaq; quonam pacto Respondens Homonymum aut Synonymum intelligi uelit, & quasi ex composito & conuento appellationis, conflictus rationum & disputationum Dialecticarum ordiendus. Accidit interdum, ut indoctorum definitiones repræhendantur, quòd nimirum ad pauciora pertineant, quàm uocabulo et nomine earum significetur. Vt si Animal definiens quis, dicat ipsum esse, substantiam animatam, rationis expertem. Excusatione deinde utatur Homonymiæ, quam definiat suo arbitratu sic, ut sit uox, quæ latius, quàm definitio eius pateat. Nam & homo Animal est, cui tamen definitio hæc non quadret. Deinde quadam animalis est definitio communis συνώνυμος, quæ ut omnibus, ita quoq; homini conueniat. Simili errore Homonymum etiam pro Synonymo defendunt interdum, ut sunt nonnulla (de quibus aliâs diximus) quæ Dialecticis quidem non sint Homonyma, physicis tamen definitionibus Homonymorũ habent rationem. Ac multo magis illi hallucinantur, qui Dialecticis etiam definitionibus homonymias, affingunt falsas, quando nimirum totam essentiam definiti, differentiis angustioribus, & per accidens additis ad pauciora restringunt, quàm communitas illorum συνώνυμος patiatur, ac quodammodo uocabula suis propriis spoliant

signi-

significatis, ut exemplo paulo ante definiti Animalis liquet, Aut quando homonymon uoculam arbitrantur esse Synonymon, quod nimirum definitione sua discrepantes res, quoad idem esse non possunt, complectatur, quò certè nimis uidentur relaxare Synonymorum communitatem. Vt si Melancholiæ uocabulo & finitione significetur, bilis atra, & fex, seu craßißimum, quod est in sanguine. Aut si Phlegma eadem ratione & appellatione dicatur salsum & acidum. Is perinde faciat, atq; si uinum & acetum communi uoce comprehendat, cuius una tamen non sit, nisi ὁμώνυμος *definitio. In usu equidem & abusu uerborum, si res ita ferat, faciles esse debemus: siquidem non natura, sed ut Plato & Aristoteles censent, nomina sint imposita rebus* συνθήκῃ, *& quodam quasi pacto differentium. Facilitatem illam permißionis, qua conceditur alicui, ut eo, quo libuerit modo, utatur uocabulis, his uerbis laudat Socrates in Theæteto.* Τὸ δὲ εὐχερὲς τῶν ὀνομάτων τε καὶ ῥημάτων, καὶ μὴ δι' ἀκριβείας ἐξεταζόμενον, τὰ μὲν πολλὰ οὐκ ἀγεννὲς, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ τούτου ἐναντίον ἀνελεύθερον. *Præterea in Politico laudatur etiam ab Hospite Socrates, quòd uocularum minus sit studiosus quàm rerum, sic ipsum alloquens.* Κἂν διαφυλάξῃς τὸ μὴ σπουδάζειν ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι πλουσιώτερος εἰς τὸ γῆρας ἀναφανήσῃ φρονήσεως. *Vrgere nimis significationes uocabulorum, & sophisticum est, & inopiam intelligentiæ rerum declarat. Non enim ut rationes, ita quoq; uocabula rerum certa esse possunt. Ergo quid significetur uoculis, prius est transigendum, quàm disputando illis utare, ut eodem sensu usurpentur ab utroque, & ut constet inter respondentem & Interrogantem, qua nam ratione, & quo modo pro Synonymis, aut pro Homonymis habeantur, siquidem non sensu disputantium semper eodem, hæc definiri contingat, ut paulo ante est dictum. Permissum quoque Interroganti est, reprehendere abusum uocabuli Synonymi, si eo utatur perperam Respondens. Quamobrem inter disputandum licet, & permissum est nobis, quod sit pro Synonymo falsò aßignatum, id ostendere esse Homonymum, Et contra, quod perperam usurpetur tanquam Homonymum, id esse Synonymum. Aperte tamen*

id argumentis non est faciendum, ne sua respondens & uitiosa illæ homonymi et synonymi finitione se tueatur & excuset, ad quam tanquam ad sacram, ut dicitur, anchoram confugiat. Tenendus ergo respondens est, & ex insidijs captandus, & tanquam aliud agens tacere interrogans debet, ut nimirum propositum suum cælando, illò adducat respondentem, ut necesse sit fateri quod ab ipso sit positum, nō esse aut synonymum reuera, aut homonymū: utrumcunq; positum fuerit, ac uerè repræhendatur quod ab ipso perperā erat positum. Confeßione autem ueri inopinata, suo illo perfugio excludetur, quam extorquebit ei anticipata ratiocinatio, priusquam intelligat id agi ab interrogante, ut coarguatur erroris: & prius quæ uera sunt, fateatur, quàm id quod ipse posuit falsum esse animaduertat. Multis ambagibus & circumductionibus inuoluta argumenta, quibus clam captatur respondens, κατασυλλογισμοὺς Græci uocant, & plurium syllogismorum obscuras connexiones, quibus tandem perueniatur ad principale conclusum, nominãt Prosyllogismos. Exempli gratia. Animalis qu e supra est posita definitio, ostendatur ipsius nō esse ut homonimi uocabuli, hoc modo. Synonymū esse probatur, cuius una & eadē ratio est in multis, quatenus illo appellantur nomine. Rationem deinde quandam communem explicet, ac definitionem, quæ omnibus animalibus specie differentibus, & præterea nulli alij rei poßit conuenire. Postea, hanc rationē eis communem esse, non quia aliud quicquam aut quatenus aliud sunt, præterquam animal. Præterea, si quæ sit alia definitio animalis eam non esse animalis propriam, sed alterius cuiusdam, quod non sit ipsum animal, sed pars quædam seu species animalis, Item monebit & subijciet: definitione Generis si excludatur species aliqua à definito, id non fieri nisi peccato quodam definientis, et nō propria uocabuli homonymia, seu definitionis ipsius. Hæc & similia istorū si proposita & concessa fuerint à respondente, omnem scilicet ansam ei eripient defendendi falsam hanc animalis definitionem, qua necesse non sit animalis uocabulum esse, sed fingi errore quodam definitionis, homonymum. Promptius autem concedunt, quibus non putant se captari, aut si non intelligunt, concessa suo obesse proposito, respondentes, Quare coaceruationibus prosillogismo-

rum

rum est utendum, & suspitio conclusionis aduersariæ argumentando longius est amolienda. Modus præterea est alius refellendi (propter definitionem falsam) uocabuli homonymiam inusitatam, cui astipulari interrogans nolit. Nam si hæc uera sit definitio homonymiæ (ad quam subinde confugiunt indocti) profecto nihil erit uocabulorum quod non posit esse homonymon. Ut si animal, istius definitionis gratia, qua dicitur, Substantia, animata, sentiens, rationis expers. Quod si est homonymum, & dicitur hanc ob causam, quia uocabulum animalis homini, & non item definitio tribuatur, considerandum, an reliquis etiam, excepto homine, συνωνύμως conueniat animalibus, Quòd si conuenit, quî nō magis synonymum causa istius definitionis, uocabulum illud, quàm homonymum erit? Aut si reliquis etiam comprahensis hoc uocabulo non tribuatur συνωνύμως, duas scilicet eius oportebit esse definitiones. Priorem, qua separetur ratio eius ab homine, quæ modo posita fuit, Deinde posteriorem, qua nimirum separata sit ratio eius à reliquis etiam, ut si reliquum, quod continetur appellatione animalis, sit, substantia, animata, sentiens, rationis expers, cicur. Ex quo concludendum (contra illum scilicet differendo, qui causa definitionis falsæ, nullum non ausit uocabulum homonymum dicere) animalis, quoad animal sit, plures esse rationes & finitiones, quod perabsurdum tamen sit dictu, Quòd si est Genus multorum unum, & ratio quoq; eius una sit, homonymum nequaquam esse poterit id quod describitur aduentitijs à speciebus, & per accidens additis differentijs. Quamobrem falsa hæc erit Homonymiæ definitio, qua ab indocto disputatore censetur omne id homonymum, cuius definitio non eidem conueniat, cui nomen: siquidem definitio eius non legitimè constituta, & inutili adiectione deprauata fuerit ipsius Synonymia. Idē de istius Generis et modi homonymis sentiendum uitiosè, propter inscitiam, pro synonymis uocibus usurpatis, definiendo eas ineptè scilicet.

LOCUS LXVI.

RVrsus, si quis quid eorum quæ multis modis dicuntur, definiat, neq; ijs omnibus, quæ nomen homonymum complectitur, definitio conueniat, si nihilominus homonymum non esse dixerit, affirmetq; nomen iccirco non accommodari omnibus, quia nec definitio sit accommodata. Contra hunc afferre debemus, appellatione esse utendum, ea quæ & tradita sit uulgò & quam sequamur, nec illam æquum esse infirmare. At forsan nonnulla, ut uulgus solet, non sunt appellanda.

Non raro errant imperiti, qui perperam aßignatis finitionibus, quod Synonymum sit nomen pro homonymo numerant, & è regione homonymum pro synonymo. Prioris exemplum præcedente loco positum, nunc in altero quomodo peccetur, planum facere uolumus. Propositis definitionibus certam speciem significantibus, nonnulli uocabulum quoq; non homonymum esse censent. Neq; enim ad alia, uel plura, definitum quàm definitionem posse accommodari rentur: quæ definitio si fuerit συνώνυμος, etiam definitum pro Synonymo haberi uolunt. Occurrendum his erit, dicendumq;. Rerum nominibus & appellationibus sic utendum, pro eo ut receptum sit more & consuetudine loquentium, quam sequi debeamus. Quoniam hanc penes est usus, & mos, & norma loquendi, ut Poëta ait, quam mutare nostro, aut cuiusuis arbitrio non liceat. Quorundam uocabulorum sic multiplex significatio est, ut definitione una explicari nequeat, quæ ut sunt, ita habenda quoq; erunt pro homonymis, etiamsi speciei certæ cuiusdam adhibeat quis definitionem. Veruntamen non si quid uulgò tanquam penitus synonymum usurpetur atq; etiam finiatur, idipsum semper etiam pro Synonymo habendum etit. In his enim non uulgi opinio, sed doctorum autoritas sequenda, quæ rerum appellationes uno uocabulo confusarum ob ignorantiam, finitionibus distinguuntur, quas tamen differentes res uidere non possunt indocti propter inscitiam. Plura ergo sunt homonyma quàm uulgò existimentur esse. Species Febris tertianæ una censetur ab imperitis

tis artis medicæ, & eodem uocabulo appellant ὁμωνύμως ſynceram ſcilicet & ſpuriam, quam docti diſtinguunt finitionibus. Et libro quarto Commentar. ſuper librum Hippocratis, de morbis acutis, comment. 13. Galenus κακόν ὁμωνυμίαν, uulgo ignotam eſſe oſtendit. Item Fidei uox eſt ambigua. Alia eſt enim, quæ primis notitijs adhibetur. Alia, quæ in uita & moribus iuſtitiæ & probitatis fundamentum cenſetur. Alia, quæ ſalutis æternæ uim & rationem eſt complexa. Sed hæc paßim in diſciplinis ſeſe nobis offerunt, ut cauſa exempli plura commemorare non ſit opus

LOCVS LXVII.

SI cuiuſpiam complexi pluribus nominibus definitio ſit propoſita, uidendum, ſi detracta parte aliqua complexi, conueniat ei pars quædam definitionis, ut reliqua parti reliquæ quadret. Si non quadrabit, nec tota definitio conueniet toti definito. Vt ſi quis complexum illud: Lineam finitam rectam, definiat, Eſſe extremum plani habentis extremitates, cuius medium proferat ſe ad determinationes ipſius plani. Si finitæ lineæ, definitio eſt, Extremum plani habentis extremitates, Rectæ, quod reliquum eſt, erit definitio, nempe cuius medium ſe profert ad extremitates. Rectæ uel rectitudinis lineæ finitio hæc non eſt. Nam nihil prohibet rectam quoq; infinitam eſſe, cuius nec medium, nec extrema quædam ſint. Quamobrem reliquum non erit reliqui definitio.

Definitis aliâs ſignificantur multa propter homonymiã, aliâs, complexione plurium uerborum comprahenſum quid ſit quæritur, ut quid ſit iuſtitia fidei, Quid ſit uiuere ſpiritu: aut quid, mortuum eſſe peccatis. Complicari & connecti multa poſſunt, quorũ rationes ſic

instituí debent, ut partes definitionis consentaneæ sint partibus definiti. Quod si detractum definitionis detracto definiti conueniat, residuum autem residuo non conueniat, nec tota scilicet toti definito quadrabit & congruet, Vt si quis iustitiam diuinam fidei definiens, dicat eam esse habitum tribuentem Deo quod suum est, bonorum operum fiducia. Fides enim cum sit fiducia non nostri meriti, sed Iesu seruatoris, redemptionis & liberationis à peccatis certa & indubitata cum Spiritus sancti instinctu notitia & fiducia. Quare parte huius definitionis partis reliquæ definiti falsa, totam quoque falsam esse oportebit definitionem. Exempli in textu propositi facilis est explicatio. Vtilis est locus omnibus professionibus, præsertim Iurisperitis, qui de complexis definitis, quid sint, subinde solent quærere.

LOCVS LXVIII.

VItiosum etiam definiendi genus est, cum id quod definitur, copulatum est, eique attribuitur definitio eiusmodi, quæ æqualibus & paribus quasi membris respondeat. Definitio autem paribus membris refertur, cũ quot sunt in definito coniuncta, totidem etiam sunt nomina & verba in definitione. In his enim talibus, ipsorum nominum, aut omnium, aut aliquorum mutatio facienda est necessario, quandoquidem non plura sunt modò nomina, quàm prius fuerunt. Debetque is qui definit, pro nominibus omnibus rationem reddere, aut si non pro omnibus, certè pro plerisque. Nomina enim simplicia permutans simplicibus, non conficit definitionem, ut si pro veste ponat tunicam. Multo magis peccabit, si verba reponat obscuriora, vt si pro homine albo dixerit, mortalem candidum. Nam nec definiit, & minus præterea perspicuo vsus est.

Aliud est genus definiendi composita definita per ἴκθεσιν, idem, sed euidentius aliquid significantibus uocabulis exprimens. Vt

SCIRE

SCIRE QVAMQVE REM, si quis explanans, dixerit, esse, cognoscere per causas, quid per se quæq; res sit, ut ambo uidelicet sint unum, nempe id, quod scitur nomen, & id quo scitur, ratio scilicet ipsius & demonstratio. ἔκθεσις hæc est apud Aristotelem libro .I. Metaphysicæ. Ergo aut quid significet, aut quid sit Definitum, pluribus quàm ipsum sit compræhensum uerbis est explanandum: nec Definitio, ut hoc loco ait Aristoteles, potest esse ἰσόκωλος definito. Definitio, qua quid significetur uocabulo definiti, exprimi solet, non οὐσιώδης, sed ὀνοματώδης: λόγος dicitur in Analyticis ab Aristotele. Nominis interpretatio, quæ mereatur appellationem definitionis, non ἰσοκώλῳ Synonymia Grammaticorum absoluitur, sed duobus ut minimum nominibus, altero ut determinato, altero autem ut determinante. Vt Tonitru nomen, significat sonitum in nubibus. Quid sit iustificari Fide. Quid sit, quod Triaugulus dicitur tres habere duobus rectis angulis æquales, de nomine definiti quærunt. quomodo scilicet intelligi debeat, non de causa & demonstratione sciscitantur. Vtroq; enim modo hæc definiri dicuntur. At sine explicatione causæ λόγον habent ὀνοματώδη, cum demonstratione & causa οὐσιώδη rationem habent, qua demonstratio non differt à definitione, nisi positu, ut aliâs me dixisse memini. Definientem itaq; pro nomine reddere oportet orationem, non uero nomen pro nomine. Quia definitum nomen est, sed definitio est oratio, ut minimum conflata ex duobus nominibus. Quamobrem in compositis Definitis, aut omnium nominum, aut plerorumq; ratio poni debet. In perspicuis enim, loco interdum orationis ponitur nomen. Vt si pro substantia, animata, sentiente, ponitur Animalis uocabulum. In compositis Definitis, si erunt æqualia nomina per Metalepsin idem significantia, definitio scilicet huiusmodi oratio non erit, sed per Metalepsin uocabulorum, quædam declaratio nominis definiti. Igitur in composito quoq; definito, numero uerborum definitio superabit definitum. Quid est adolescere corpus Animalis? λόγος ὀνοματώδης est. Ex minore fieri grandius corpus, uita & sensu præditum. λόγος οὐσιώδης causæ rationibus explanatur, quæ prolixior & operosior est definitio, eam exponit Aristoteles libro priore de ortu & interitu. Idem modus est defi-

finiendi complexum illud definitum. Quid est quòd mutua contagione corpora affici dicuntur? Et ὀνοματώδη & οὐσιώδη λόγον pluribus quàm definitum uerbis explanari oportet. Cœterum non modo ad ueritatem Definitionum, sed etiam Syllogismorum, utilis est huiusmodi per Metalepsin uerborum & nominum expositio. Autore enim Aristotele, πολλάκις διαψεύδεσθαι συμπεσεῖται παρὰ τὸ μὴ καλῶς ἐκτίθεσθαι τοὺς κατὰ τὰς προτάσεις ὅρους. Ac præterea cùm in Syllogismo, tum extra Syllogismum satius est interdum oratione, quàm uno uerbo uti, quare in huiusmodi quoque rationibus Metalepses erunt necessariæ. Sic Aristoteles in prioribus Analyticis scriptum reliquit, οὐ δεῖ τοὺς ὅρους ἀεὶ ζητεῖν ὀνόματι ἐκτίθεσθαι· πολλάκις γὰρ ἔσονται λόγοι οἷς οὐ κεῖται ὀνόματα. Διὸ, καὶ χαλεπὸν ἀνάγειν τοὺς τοιούτους συλλογισμούς. Præterea, sunt etiam μεταλήψεις τῶν ὀνομάτων utiles ad Syllogismos ex hypothesi. Nam ut scribit Aristoteles. ὅσοι κατὰ μετάληψιν ἐν τοῖς ὑποκειμένοις οὐκ ἐν τοῖς ἐξ ἀρχῆς, ἀλλ' ἐν τοῖς μεταλαμβανομένοις ἔσται ἡ σκέψις. Veruntamen suspecta sine definitione Metalepsis est, aut unius uocabuli in aliud, aut complexi alicuius in totidem uocabula, quibus interdum res non exponitur, sed interpretatione falsa peruertitur, qua subinde μεταβιβάζοντες in disputando utuntur, quasi per gradus quosdam rationum, & orationum, & uerborum, ex incredibilibus facientes probabilia, quo ferè genere argumenti Cicero in Paradoxis utitur. Permutationibus ergo his uocabulorum ac transitionibus utendum sic est, ut hoc loco monet Aristoteles, ut nimirum obscurius quod est, interpretemur planioribus & magis perspicuis uocabulis. Qui notum permutauerit obscuro, minime is quidem finierit, cùm finitio omnis sit declaratio quædam Finiti. Proinde non raro transmutatis uoculis, etiam contumacißimi in aliam à priore deducuntur sententiam, & quod Paradoxon antea uidebatur, hac deductione apparet ipsis esse uerißimum, Græci Dialectici transitionem hanc per Metalepsin uocabulorum, appellant μεταβιβάζειν. Quod ut planius quid, aut quale sit, intelligatur, ex Aristotele quædam afferam, qui Ethicorum libro ad Eudemum primo sic scriptum reliquit. Κράτιστον γὰρ πάντας ἀνθρώπους φαίνεσθαι συνομολογοῦντας τοῖς ῥηθησομένοις. εἰ δὲ μή, τρόπον γέ τινα πάντας, ὅπερ μεταβιβαζόμενοι ποιήσουσι, ἔχει γὰρ ἕκαστος οἰκεῖόν τι πρὸς

τὴν

τὴν ἀλήθειαν ἐξ ὧν ἀναγκαῖον δεικνῦναι πῶς περὶ αὐτῶν. ἐκ γὰρ τῶν ἀληθῶς μὲν λεγομένων, οὐ σαφῶς δὲ, προϊοῦσι ἔσται καὶ τὸ σαφῶς, μεταλαμβάνουσι ἀεὶ τὰ γνωριμώτερα τῶν εἰωθότων λέγεσθαι συγκεχυμένως. *Reprehendendum & cauendum in huiusmodi transitionibus, ne pro definitionibus ponantur uocabula, cùm in plerisq; satius sit pro uocabulis poni orationes, siquidem Autore Platone,* δεῖ ἀεὶ παντὸς πέρι τὸ πρᾶγμα αὐτὸ μᾶλλον διὰ λόγων ἢ τοὔνομα μόνον συνωμολογεῖσθαι χωρὶς λόγου. *At si uocabula alia pro uoculis fuerint reposita, si fuerint obscuriora, nihil penitus declarabunt, si apertiora, aliud plerunque significant, quàm definitione exprimatur, quando quidem unius non poßit nisi una esse Definitio, unum uero, aliud significantibus uoculis multis & uarijs poßit adumbrari. Exemplum est in Protagora Platonis, quo Socrates ostendit, omne uitium ignorantiam esse. Enimuero deteriorem esse, qui succũbat & inferior sit aliquo. Id ipsum uero* ἡττᾶσθαι *esse* ἀντὶ ἐλαττόνων ἀγαθῶν μείζω κακὰ λαμβάνειν. *Postea Metalepsi uocabulorum utitur, & quod dolorem affert. Malum, quod uoluptatem, Bonum appellat. Sed ut uincatur aliquis & inquinetur uitijs, causam præcipuam esse, quòd uoluptatibus indulgens, laborem & molestiam fugiat tanquam malum, Atq; id omnino facere aliquem propter ignorantiam, nescientem quæ uerè bona aut mala sint, quoniam non nisi ignarus succumbat deteriori. Postea subiungit,* μεταλάβωμεν δὴ τὰ ὀνόματα πάλιν τὸ ἡδύ τε καὶ ἀνιαρὸν ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς τούτοις, καὶ λέγωμεν ὅτι ἄνθρωπος πράττει. τότε μὲν ἐλέγομεν τὰ κακά, νῦν δὲ λέγωμεν τὰ ἀνιαρά, γινώσκων ὅτι ἀνιαρά ἐστι, ἡττώμενος ὑπὸ τῶν ἡδέων, δηλονότι ἀναξίων ὄντων νικᾶν. καὶ τίς ἄλλη ἀναξία ἡδονῆς πρὸς λύπην ἐστὶν ἀλλ' ἢ ὑπερβολὴ ἀλλήλων καὶ ἔλλειψις. *In eodem Dialogo perelegans est, propemodum in extremo exemplum. Socrate demonstrante Virtutem esse* ἐπιστήμην, *et Vitium esse* ἀμαθίαν, *ubi crebris permutationibus uerborum utitur, idem, sed euidentius aliquid significantib. Non tantum definitis, sed definitionibus quoq; ipsis adhibemus interpretationes has, quibus loco nominum ponuntur orationes, quale est illud Heracliti apud Platonem in Conuiuio obscurius definitum, quod postea commodioribus quidam uerbis interpretatur, ut quod dicit Heraclitus, probabile appareat. Græca sic habent,* ἄτοπον ἴσως καὶ Ἡράκλειτος βούλεται λέγειν· ἐπεὶ τοῖς γε ῥήμασιν οὐ καλῶς λέγει. τὸ γὰρ ΕΝ φησὶ διαφερόμενον

αὐλῶν αὐτὸ ξυμφέρεσθαι ὥσπερ ἁρμονίαν τόξου τε καὶ λύρας. ἐστὶ δὲ πολλὴ ἀλογία ἁρμονίαν φάναι διαφέρεσθαι, ἢ ἐκ διαφερομένων ἔτι εἶναι. ἀλλ' ἴσως τὸ δ' ἐβούλετο λέγειν ὅτι ἐκ διαφερομένων πρότερον τοῦ ὀξέος καὶ βαρέως, ἔπειτα ὕστερον ὁμολογησάντων γέγονεν ὑπὸ τῆς μουσικῆς τέχνης ἡ ἁρμονία. Οὐ γὰρ δήπου ἐκ διαφερομένων γε ἔτι τοῦ ὀξέος καὶ βαρέος ἁρμονία ἂν εἴη. ἡ γὰρ ἁρμονία συμφωνία ἐστί. Συμφωνία δὲ ὁμολογία τις. ὁμολογίαν δὲ ἐκ διαφερομένων, ἕως ἂν διαφέρωνται, ἀδύνατον εἶναι. Διαφερόμενον δὲ αὖ καὶ μὴ ὁμολογοῦν ἀδύνατον ἁρμόσαι. *Sed de his dictum satis. Loci præsentis admonitio hæc est. Ne scilicet complexum definitum, paribus numero definiamus uerbis, sed aut omnium aut plerorumq; uocabulorum orationes reddantur. Quòd si interdum Metalepsi uocabulorum utamur, obscurioribus abstinendum esse, quibus magis inuoluatur quàm explicetur notitia rei.*

LOCVS LXIX.

ATq; etiam in commutandis uerbis illud uidendum est, an definiendo non idem declararit esse. Vt si contemplatricem scientiã, dixerit appræhensionem contemplatricem. Scientia enim & appræhensio non sunt idem. Oportet autem idem esse, siquidem totum sit idem toti. In utrisq; enim finitionibus, contemplans, idem usurpatur. Reliquum autem discrepat.

Locus ille admonet, ut permutatis per Metalepsin uocabulis cautè utamur. Quanquam enim sæpe pluribus res eadem uocabulis, non ob id ratione tamen eadem, significatur. Vt Continens definitur, qui ratione recta uti soleat, uoluptatum abstinentia. Quòd si uoculam usus transferas aut permutes in uocabulum, habere, aut præditum esse, Sicut sit, qui præditus est notitia, qua poßit exploratum habere abstinendum esse à uoluptatibus, non eadem scilicet hæc cum priore erit Definitio. Habere enim scientiam quis potest, etiam si ea non utatur, ut qui habitu præditi scientiæ nihilominus hallucinantur, Quare posterior definitio poterit etiam accommodar

commodari incontinentibus, priore non nisi continentibus congruente. Cauendum tamen, ne diligentia hæc distinguendarum uocum in morositatem Sophisticam, & inanem calumniam degeneret. Quo nomine reprehenditur à Socrate Prodicus in Protagora Platonis: ineptias in distinguendis Vocabulis ipsius ad hunc exagitante & irridente modum, ἀλλ' ὥσπερ περὶ τοῦ δεινοῦ Πρόδικός με οὑτοσὶ νουθετεῖ ἑκάστοτε, ὅταν ἐπαινῶν ἐγὼ ἢ σὲ ἢ ἄλλον τινὰ λέγω. ὅτι Πρωταγόρας σοφός τε καὶ δεινός ἐστιν ἀνήρ. ἐρωτᾷ εἰ οὐκ αἰσχύνομαι τἀγαθὰ δεινὰ καλῶν. Τὸ γὰρ δεινόν φησι κακόν ἐστιν. οὐδεὶς γοῦν λέγει ἑκάστοτε δεινοῦ πλούτου, οὔτε δεινῆς εἰρήνης, οὔτε δεινῆς ὑγιείας ἀλλὰ δεινῆς νόσου, καὶ δεινοῦ πολέμου καὶ δεινῆς πενίας, ὡς τοῦ δεινοῦ κακοῦ ὄντος. *Idem in Charmide* Καὶ γὰρ Προδίκου μυρία τινὰ ἀκήκοα περὶ ὀνομάτων διαιροῦντος ἀλλ' ἐγώ σοι τίθεσθαι μὲν τῶν ὀνομάτων δίδωμι ὅπῃ ἂν βούλῃ ἕκαστον, δήλου δὲ μόνον ἐφ' ὅ,τι ἂν λέγοις. *Prudentia apposite definitur, quando recte ratio rerũ agendarũ esse dicitur. Vno mutato uocabulo, agendarũ, scilicet in faciendarũ, aliud quidpiam, nempe artem definieris. Quin etiam non recte proximũ Genus permutatur superiore quodã. Non est enim idem, Scientiam contemplatricem, Et apprehensionem contemplatricem, dicere.* ὑπόληψις *autore Aristotele libro septimo Physicorum, genus est* ἐπιστήμης. *Genus autem pro specie non debet in definitione poni, nec pro accidente subiectum, nec pro subiecto accidens, nec accidens pro accidente, aut subiectum pro subiecto. Non enim in rebus est Metalepsis, qualis usitata est oratoribus & Poëtis, sed est in uocculis omnino & exquisite rem eandem significantibus. Itaq; nomen in disputationibus Dialecticis ponitur pro nomine, & oratio pro oratione, & nomen pro oratione, & oratio pro nomine. In syllogismis porro præsertim cognitu necessarium est, quid pro quo sit ponendum, de qua Metalepsi Aristoteles libro primo Analyticorum priorum scriptum reliquit. Nam si nomen dubium est, aut obscurum, tum Oratio ponenda est. Aut si oratio longa, causa breuitatis ponendum nomen, quo minus impedita sit syllogismi collectio, præcipiente ad hunc modum Aristotele.* Δεῖ δὲ μεταλαμβάνειν ἃ τὸ αὐτὸ δύναται ὀνόματα ἀντ' ὀνομάτων, καὶ λόγους ἀντὶ λόγων, καὶ ὄνομα καὶ λόγον καὶ ἀεὶ ἀντὶ τοῦ λόγου τοὔνομα λαμβάνειν. ῥᾴων γὰρ ἡ τῶν ὅρων ἔκθεσις. οἷον, εἰ μηδὲν διαφέρει εἰπεῖν τὸ ὑποληπτὸν τοῦ δοξαστοῦ μὴ εἶναι γένος. ἢ

μὴ εἶναι ὅπερ ὑποληπτόν τι τὸ δοξαστόν. Ταυτὸν γὰρ τὸ συμαινόμενον ἀντὶ λόγου τοῦ ληφθέντος τὸ ὑποληπτὸν καὶ τὸ δοξαστὸν ὅρους θετέον. *Quamobrem & ipsi quid pro quo positum sit consideremus, & ab interrogante si tale quid postuletur à nobis, cautio adhibenda, ne conceßione hac & facilitate præbeatur ei ansa nos captandi.*

LOCVS LXX.

IAm si quis alterum nomen commutet (in definitione) ac non differentiam sed Genus, uitiosa erit definitio. Quod in exemplo, quod modo protuli, cernere licet. Ignotius enim est Contemplatrix, uocabulum, quàm Scientia. Quorum hoc Genus est, illud differentia, Et Genus, quoniam latissimè patet, reliquis notius est. Ergo non Genus mutandum fuit, sed differentia, quandoquidem Genere obscurior est. Nisi fortè ridicula hæc repræhensio est, præsertim cùm nihil prohibeat differentiam notissimo uerbo significari, Genus non item. Quæ cum ita erunt, certè Generis, non differentiæ nomē mutandū erit. Quòd si quis non nomen pro nomine, sed orationem pro nomine ponat, profectò magis differenriæ quàm Generis explicanda definitio est. Quandoquidem rei illustrandæ & cognoscendæ gratia definitio traditur, & minus nota differentia quàm Genus est.

In definitionibus, id quod communius est, rationē habet generis, quod uerò ei additur, ipsumq; ad pauciora astringit, conditionem obtinet differentiæ. Sua quodq; genus limitandum est differentia: & ob hanc causam genus legitimum non potest permutari uel superiore quopiam genere, uel alieno. Idem sentiendum de differentia. Alieni generis per Metalepsin assertio, talibus declaratur exemplis. Principium si quis finiens dixerit. Minimū esse ex quo res constituatur. Id uerò interpretetur insecabile & ἄτομον *corpusculum, eoq; quasi*

idem

idem significante in definitione principij usus fuerit quispiam, non ritè interpretatum ipsum esse genus principij, neq; idem esse utrunq;, Minimum scilicet, & ἄτομον corpusculum, ostendemus. Præterea, quæq; res Vna esse dicitur, quoad eius substantia & forma differt à quacunq; alia. Interpretantur hanc Substantiam Vnam, quidam Aërem, alij Aquam, alij Ignem. Quoniam somniant quidam quanq; rem nihil aliud esse quàm istorum quidpiam elementorum. Vnum in natura Heraclitus ignem appellauit. Anaximenes aërem, Thales, aquam. Vnius ergo multiplex est Metalepsis, quod Genere materiæ definiunt modò commemorati Philosophi, quòd ipsum uariè tamen proferunt. Scitè repræhendit hanc Metalepsin Hippocrates in libro de Natura humana. Γνώμῃ γὰρ τῇ αὐτῇ πάντες χρέονται λέγουσι δὲ οὐ τὰ αὐτὰ ἀλλὰ τῆς μὲν γνώμης τὸν ἐπίλογον τὸν αὐτὸν ποιέονται. Φασὶ γὰρ ἕν τε εἶναι ὅ, τι ἐστί. Καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ ἕν τε καὶ τὸ Πᾶν. Κατὰ δὲ τὰ οὐνόματα οὐχ' ὁμολογέουσι λέγει δὲ αὐτῶν ὁ μέν τις φάσκων ἀέρα τοῦτ' εἶναι τὸ ἕν τε καὶ τὸ Πᾶν. ὁ δὲ πῦρ, ὁ δὲ ὕδωρ, ὁ δὲ γῆν, καὶ ἐπιλέγει ἕκαστος τῷ ἑωυτοῦ λόγῳ μαρτύριά τε καὶ τεκμήρια, ἅ γε ἐστὶν οὐδέν. ὅτι μὲν γὰρ τῇ αὐτέῃ γνώμῃ πάντες χρέονται, λέγουσι δὲ οὐ τὰ αὐτὰ, δῆλον ὅτι οὐδὲ γινώσκουσι αὐτά. Quinetiam obseruandum in differentijs, ne uitiosa fiat permutatio per Metalepsin. Vt in definitione animæ differentia uitæ particeps δυνάμει, rectè permutatur in organicum. Nam solum organicum uitæ particeps est, sed etiam notius est organicum esse, quàm δυνάμει particeps uitæ. Vel igitur genus duntaxat in aliud transumitur, uel differentia, uel utrunq;. Exemplorum satis magna est copia in Platonis Dialogis, quibus astruuntur uel refelluntur definitiones, ac præterea in Socraticis disputationibus apud Xenophontem, quæ lubens, causa breuitatis omitto. Cœterum frequentius differentiæ Metalepsi nominum, quàm genera explicantur, propterea quòd notiora sunt genera, quàm sint differentiæ, quoniam differentijs quoq; communiora sunt. Cauendum in utrisq;, ne dum interpretari definitiones uelimus, falsas eas permutatis uocibus proponamus. Consideratur etiam uitium illud in Metalepsi, quod non ueram, sed uerisimilem habet reprehensionem, ut si generis uocabulum Metalepsi declaremus, & non differentiæ, cùm tamen (ut paulo ante dictum est) differentia genere uideatur ignotior

tior. Futilis hæc est repræhensio (ut ait Aristoteles) quoniam potest fieri, ut genus aßignetur appellatione non satis nota: differentia autem uulgò sit notior, ut in definitione Animæ uox ἐντελεχείας usurpatur, qua non modo uulgus quid significetur, non satis intelligit, sed de interpretatione eius docti quoq; inter se dissentiunt, differentijs reliquis controuersia carentibus. In definitionibus igitur si genus fuerit, quàm differentia, ignotius, permutatione & metalepsi nominum consulendum est obscuritati. Alioqui fieri nequit, ut minus intelligatur genus quàm differentia, ὅτι ὑμῖν δῆλα καὶ σαφῆ τὰ συγκεχυμένα μᾶλλον, ut quodam in loco scribit Aristoteles. Nec quod ad plura pertinet, per se ignotius est eo, quod paucioribus est accommodatum. Ergo nominis, non autem definitionis gratia, genus obscurius esse poterit differentia. Itaq; si non pro nomine nomen, sed oratio est reddenda, ut altera pars definitionis explanetur, altera existente nota & perspicua, ea uidelicet quæ desiderat finitionem, nequaquam genus erit, sed differentia. Nam si comparentur simpliciter ignotiora notioribus, id est, explananda definitionibus, ijs, quæ duntaxat nomine interpretamur, necesse erit hac ratione semper differentiam genere esse ignotiorem. Simpliciter enim ignotior potest esse differentia quàm genus, sed simpliciter ignotioribus Definitione est succurrendum. At genus nequit simpliciter ignotius & obscurius esse differentia, quamobrem nomine tantum, non item finitione explanari respectu manifestæ differentiæ oportebit genus. Parte extrema huius Loci suo more Aristoteles eruditè admodum & subtiliter hæc disputat, ut ambiguitati superiori respōdeat, qua uidebatur genus non posse interpretationem definitionis desiderare, existēte manifesta definitione differentiæ.

LOCVS LXXI.

SI uero differentiæ definitionem explanarit, an ad aliquid aliud definitio transferatur, videndum est. Vt si numerum imparem dicat, Numerum qui mediū aliquid habet. Nam & numerus in vtraq; oratione est, & Imparis nomen

nomen permutatum in rationem. Atqui medium aliquid, & linea & corpus, habent, cum non ſint imparia tamen. Non igitur propria eſt illa imparis definitio. Quod ſi multis modis dicatur id, quod medium aliquid habet, diſtinguendum eſt, quemadmodum medium complectatur, ita aut ſimpliciter reprehendetur definitio, aut vitioſa eſſe Syllogiſmo concludetur.

Quemadmodum definitione, definitum, ab omni alio ſeparatur abſolutè, ita proprio ſeparatur ſubiectum à quouis alio, ratione ſubiectionis. Complexum ex Proprio & ſubiecto definitum aliâs definitionem non requirit, ut omne totum maius eſt ſua parte. Aliâs definitione ſolet explicari, ut quid eſt Numerus impar? Quid eſt Corpus animatum adoleſcens? In definitionibus horum complexorum, non omnino nihil, quod nomine non ſit idem cum definito, ponitur, ut in abſolutis fit, ſed ſubiectum definiendo repetitur, at proprium per Metalepſin in orationem quandam permutatur. Vt quid eſt, Numerus impar? Eſt numerus habens medium quoddam. Sunt uſitatæ admodum huiuſmodi propriorum in ſuas definitiones Metalepſes. Peccatur tamen plerunq; in his permutationibus, quod nimirum redduntur loco propriorum finitiones, quæ pluribus quàm uni & propoſito ſubiecto conueniant, ut habere medium, non proprium eſt imparis, ſed multis accidit, ut lineæ, ut corpori, ut alijs quibuſdam. Supra Loco ſexageſimo octauo eſt oſtenſum, quaſdam propriorum eſſe definitiones ὀνοματώδεις, quaſdam uero explicatione cauſarum οὐσιώδεις eſſe. Quibus nomen explicatur, plerunq; ſunt tales, ut pluribus conueniant rationes illæ, quàm propria: quare definitiones illæ non ſunt propriæ, quia non ſeparant proprium à quouis alio. Vt ſi corpus adoleſcens, definiatur eſſe Corpus, quod ex minore fiat grandius. Ratio hæc non eſt propria adoleſcentiæ, quoniam inanimis quoq; conuenit corporibus acceßione aliqua auctis. Item quæritur quid ſit Fides iuſtificans? Si definias hoc modo, ut ſit Fides, quæ freta bonis & honeſtis actionibus, nos iuſtos faciat. Hæc ratio iuſtificationis non eſt propria Iuſtitiæ Fidei, ſed communis,

& pertinens etiam ad acquisitionem habitus Ethicæ iusticiæ. Crebræ enim & frequentes actiones, & ipsæ ex non iusto faciunt iustum, ut omnino sit alia iustificationis seu iustificantis Fidei Definitio, aliaq; proprietatis Metalepsi enarranda, siquidem proprium est fidei iustificare. Perutilis est locus ille tractandis ex proprio differentijs rerum, estq; ad multa similia exempla exercitatione disserendi ampliandus. In compositis ex proprio et subiecto definitis, proprium quidem differentiæ, sed generis instar, obtinet subiectum. Quoniam ut genus differentijs, ita subiectum commune est propriorum. Quinetiam Differentiæ proprium sunt quiddam generis, neq; enim sine genere sunt, aut definiuntur differentiæ, quum uidelicet sint qualitas propria generis. Earum rationes aliquando, ut aliâs propriorum, sic explicantur Metalepsi, ut ad plura pertinere, quàm ipsæ uideantur. Vt si quæratur. Quid est Animal rationis compos? Si respondeas. Esse Animal, quod internoscat rerum discrimina, Ad plura ratio differentiæ, quàm ipsa Differentia, pertinebit. Internoscunt enim res etiam bruta, non ratione, sed communi sensu freta. In his differentiarum & propriorum complexis definitionibus, aliquid habent idem definitio & definitum, nempe aut Genus, aut Subiectum, quod reliquum est, exponitur aut accommodata, aut aliena Metalepsi. Medium habere, aliena est, quia communior. Quippe corpus etiam & linea medium habent. Determinandum igitur, ut soli impari sit accommodatum, nempe modo quodam, qui describitur unitate. In impari enim media est unitas. Correctio hæc fit aut simplici quadam instantia, ut apparet in exemplo nunc posito. Aut Syllogismo quodam & demonstratione absoluitur, ut quando ὀνοματώδης λόγος permutatur εἰς λόγον οὐσιώδη, qui non nisi positu differt à Demonstratione.

LOCVS LXXII.

PRæterea uitiosa etiam erit, si id, cuius Definitio statuitur, in ijs quæ SVNT, numeretur. Quod autem

De-

Definitioni subiicitur, non numeretur. Vt si quis, exempli gratia, rem albam esse dicat, Colorem cum igne permixtum. Neque enim quod expers est corporis, permisceri potest cum corpore. Ita color permixtus & confusus cum corpore nullus est, Et tamen Album est.

Constat inter omnes, si definitum sit ex numero eorum, quæ SVNT, Definitionem eius nequaquam esse talem, qua declaretur quidpiam, quod nullo modo esse queat. Eo enim, quod omnino nequit esse, id quod Est, haudquaquam finietur. Vt LOCVS, quando definitur à Physicis Interuallum inane. Et Natura, si finiatur causa esse fortuito motu atomorum, certas rerum species gignens. Sub istius loci repræhensionem cadit definitio Mixtionis, quando dicitur esse. Totorum per tota temperatio. Quæ miscentur enim, corpora scilicet, tota appellantur, Ea non possunt tota esse in totis aliis, sine occupatione & penetratione mutua corporum, quæ nulla potest esse in natura rerum. Sin uero Qualitates totæ in totis aliis inesse dicantur, Mixtilia scilicet Qualitates erunt, cum tamen μικτὸν esse, proprium sit corporis, propter Qualitates contrarias. Hanc mixtionis rationem Stoici perperam ad Qualitates accommodarunt, unde manauit error etiam ipsorum, ut dicerent calorem cum igne mixtum, & quamlibet formam cum sua materia mixtam. Quamobrem Definitio hæc, si absolutè subiectis adhibeatur rebus, ut uera & consentanea defendi non poterit. Quòd si illud, Tota per tota temperari, rationem causæ mixtorum explicet, quæ nimirum cùm sint Corpora, propter qualitates sint tota in totis: eatenus scilicet uera erit, & congruet cum definitione Arist. qua definit mixtionem sic, ut sit, Mixtilium alteratorum unitio. Neq; enim aliter licet transferre ἕνωσιν. Eadem absurditate laborat Anaxagoræ definitio, qua rerum omnium materiam & πανσπερμίαν illam suam definit. Inquiens eam esse, in qua omnia sint mixta. Quocirca Accidentia quoq; inerunt mixta. Sed hæc misceri ipsa per se (quum separata esse & seipsis subsistere nequeant) ne coniectura quidem ali-

qua fingere possumus. Contra opinionem hanc Anaxagoræ in primo Physicorum libro sic scribit Aristoteles. Τὸ δὲ μηδέποτε διακριθήσεσθαι, οὐκ εἰδότως μὲν λέγεται, ὀρθῶς δὲ λέγεται. Τὰ γὰρ πάθη ἀχώριστα. εἰ οὖν μέμικται τὰ χρώματα, καὶ αἱ ἕξεις, ἐὰν διακριθῶσιν, ἔσται τι λευκὸν ἢ ὑγιεινὸν, οὐχ ἕτερον τι ὂν οὐδὲ καθ' ὑποκειμένου. ὥστε ἄτοπος τὰ ἀδύνατα ζητῶν ὁ Νοῦς, εἴπερ βούλεται μὲν διακρῖναι, τοῦτο δὲ ποιῆσαι ἀδύνατον καὶ κατὰ τὸ ποσὸν καὶ κατὰ τὸ ποιόν. Καὶ κατὰ μὲν τὸ ποσὸν, ὅτι οὐκ ἐστὶν ἐλάχιστον μέγεθος. Κατὰ δὲ τὸ ποιὸν, ὅτι οὐκ ἐστὶν ἀχώριστα τὰ πάθη. *Exempli Aristotelici interpretatio hæc est. Si definiatur Album, esse color mixtus cum igne. Quod eius hæc non sit definitio hoc probatur argumento, quo constat colorem esse aliquid natura subsistens. At definitionis huius ex natura rei petita ratio non constat. Corpori enim id quod non est corpus, nempe igni color, commisceri nulla ratione potest, ut liquet è superius & paulo ante dictis, Plato in Timæo, colores cum igne mixtos prouenire affirmat. Vnde, ut opinor, istud exemplum adduxit Aristoteles, ad refellendum ipsum huius loci argumento satis idoneum.*

LOCVS LXXIII.

QVi etiam uitiosè definiunt, qui non distinguunt ea quæ referuntur, respectu cuiusnam aliquid esse dicantur, sed plura complectentes istud efferunt, aut omnino, aut aliqua ex parte, uitiosè definiunt. Vt si quis exempli causa, Medicinã dicat Scientiam esse eius quòd EST. Nam si nulllius eorum quæ SVNT, medicina scientia est, certè uitiosa falsaq; est omnino definitio. Sin uero alicuius est, cuiusdam uero non est scientia, quadam ex parte falsa est. Debet enim omnium esse, siquidem per se, & non secundum accidens ENTIS esse dicitur. Id quod in cæteris, quæ cum aliquo conferuntur perspici licet. Omne enim ἐπιστητὸν, idest, quod scitur refertur ad scientiam. Eadem est cęterarum ratio, quando quidem quæ referuntur, reciprocantur omnia. Omne enim quod scitur, refertur ad Scientiam.

Tametsi

Tametsi respectu alicuius, quod sit, definitum sit quidpiam, nisi sit, tamen omnino ei accommodatum per definitionem id ad quod refertur, haud pertinere ipsum ad definitionem censeri debet. In plerisq; differentia explicatur respectu quodam: etiam in absolutis, quæ nimirum aliquid alicuius esse dicitur, quod ipsum licet relatio non sit, includat in se tamen relationem quandā. Vt in definitione grammaticæ, literæ rationem includunt ἐπιστητοῦ. Quo fit ut literarum tanquam differentiæ, genus ponatur Scientia in Grammaticæ definitione. Quoniam igitur omnino refertur ad literas, & non ex parte aliqua, ut si diceretur esse τοῦ ὄντος, aut alterius cuiusdam ἐπιστητοῦ quod patet latius, neq; etiam ad ipsas refertur, ut referri præterea poßit ad aliud, quod sit extra complexum literarum, iccirco hæc uera ipsius erit definitio. Aliorsum enim quàm oporteat, nihil est referendum: quod tum fit, si id ad quod refertur, ad plura pertineat, atq; id repræhenditur præsente loco, Aut si ad pauciora, cui repræhensioni sequens destinabitur locus. Ergo ut latius non pateat id ad quod refertur, Definito ipso, nec eius ad quod refertur Genus ponendum est, neq; accidens quoddam. Phantasian quidam definiunt esse sensum cum opinione. Pertinente opinione ad plura, quam phantasia, ad opinabile scilicet non referetur definiendo: phantasia, quoniam εἶδος ipsius non constituit. Etenim phantasia in his est etiam Definitio
quæ opinari non possunt, ut in brutis: opinio autem non est nisi in hæc est a-
rationis compote animali. πάσῃ γὰρ δόξῃ ἀκολουθεῖ πίστις, πίστει δὲ τὸ πεπεῖσθαι, pud Pla-
πειθοῖ δὲ λόγος. Vt ergo sensus quando definitur, cuiusdam esse dicitur, tonem in
ita quoq; phantasia ad aliud relata, quod nimirum propriè respiciat, Sophista,
intelligitur, Est aūt ipsa nihil aliud, quàm facultas, quæ affectis e- Aristo. li. 3.
nergia sua sensibus, ipsa quoq; per energian hanc poßit affici. Vt, ni- de anima.
mirum sit, autore Aristotele, κίνησις ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως, τῆς κατ' ἐνέργειαν γιγνομένης. Energia rei quæ sentitur duplex est. Vna, qua afficiuntur sensus externi. Altera, quando per energian sensus afficiunt phantasian, qua specie energiæ, non autem ipsius Genere, definienda est phantasia. Præterea nec accidente, id est opinione. Accidit enim phantasiæ opinio in homine, cum sit phantasia in brutis, ut dictum est, sine opinione. Hallucinantur eodem modo, qui scientiam

definiunt, Notitiam qua apprahendatur aliquid conclusum Syllogismo. Non enim omnis sed cuiusdam conclusi Syllogistici, notitia est. Nec βουλευτὸν est, res quæ cadit sub deliberationem. Certè non cuiusque respectu deliberationis βουλευτὸν definiendum est (ut quæ stulti etiam & furiosi consilium capiunt, ut Phreneticus ille apud Galenum, qui primum, aut secundum, ex edito loco quid proiicere deberet, deliberabat) sed eius quam suscipiunt mentis compotes, βουλευτὸν aliquid dici & definiri consueuit. Hæc ut acuratè distinguat Aristoteles, quàm est in talium Relatorum finitionibus sollicitus? ut in definitione προαιρέσεως, item βουλευτοῦ, & βουλητοῦ. Quod ipsum sedulo quoque in septimo Ethicorum libro agit, in quo acquisitos, & præterea naturales etiam habitus, respectu suorum propriorum obiectorũ rectißimè definit. Neque enim δυνάμεις rerum sine obiectis possumus distinguere. Quoniam per energias cognoscuntur δυνάμεις, sed energiæ per obiecta discernuntur, quorum in primis cognoscendæ sunt differentiæ, autore Aristotele in secundo libro de anima sic scribente. Εἰ δὲ χρὴ λέγειν τί ἕκαστον αὐτῶν, οἷον τί τὸ νοητικὸν, ἢ τὸ αἰσθητικὸν, ἢ τὸ θρεπτικὸν, πρότερον ἔτι λεκτέον, τί τὸ νοεῖν, καὶ τί τὸ αἰσθάνεσθαι. Πρότεραι γάρ εἰσι τῶν δυνάμεων, αἱ ἐνέργειαι, καὶ αἱ πράξεις, κατὰ τὸν λόγον. Εἰ δ' οὕτως, τούτων δ' ἔτι πρότερα τὰ ἀντικείμενα δεῖ τεθεωρηκέναι. Περὶ ἐκείνων πρῶτον ἂν δέοι διορίσασθαι διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, οἷον περὶ τροφῆς, καὶ αἰσθητοῦ, καὶ νοητοῦ. Verbis his Methodum quodammodo exposuit, qua nimirum finitiones præsentis loci sint colligendæ. In primis enim considerandum illud circa quod uersatur facultas quæ proponitur definienda, deinde quo modo ratione suæ energiæ sit comparata, quoad alicuius esse dicitur. Vt uerbi gratia. εὐβουλία respicit τὸ συμφέρον. Si modus explanetur quo procurare τὸ συμφέρον soleat, hunc nimirum definitionem τῆς εὐβουλίας esse oportebit. Sunt autem isti modi quibus eam determinat in Ethicis Aristoteles. Ὀρθότης ἡ κατὰ τὸ συμφέρον πρὸς τὶ τέλος οὗ ἡ φρόνησις ἀληθὴς ὑπόληψις ἐστί. Est inquit, εὐβουλία rectitudo quædam respiciens utilitatem determinatam fine quodam, cuius notitia uera, sit prudentia. Nõ enim notitia uera qualibet in rebus agendis est prudentia. Et rectitudo, qua dirigitur εὐβουλία ad commodum, finis ratione determinatur, qualem nimirum respiciunt prudentes, non quem auari & callidi, ut in his non

rectè

rectè dicatur inesse δὐδουλία. In isto genere definiendi præsertim Iureconsultis est euigilandum, ut ne definitiones alienis rebus, aut per accidens additis infartiant. Alioqui coguntur fateri definitiones plerasq; non esse καθόλου sed exceptionibus mutilas atq; mancas, uel ad plura, uel pauciora, uel interdum etiam ad nulla pertinere, ad quæ definitũ accommodetur. Medicina si definitur esse scientia Entis. Si omnino nullius sit, falsa est penitus, Si cuiusdam sit, sed nõ cuiusq;, ex parte falsa est. Hoc modo nihil potest definiri ut sit: Scientia entis. Metaphysica quidẽ scientia est ipsius entis. Aliud enim significatur uocabulo τοῦ ὄντος, & aliud ὄντος. Integrum quiddã & solidum, nulla communitate confusum, nullo accidente uitiatum aut promiscuum esse debet quo finitur quidpiam. Per se enim primo modo (qui traditi sunt in Analyticis) aut secundo, aut quarto, partes definitionum contineantur necesse est, atq; opposita ijs accidentia excludi, deinde etiam cũ definitis totas definitiones reciprocari, quod ipsum in relatis ad aliud etiam est obseruandum, ut præsens præcipit Locus. Quæ causa Generis referuntur, ut Grammatica, Medicina, Musica, subiecto seu obiecto absoluto describunt suam differentiam, quo nimirum Generis relati differentia communis determinatur. Ut Grammatica Generis causa refertur. Scientia enim est, appræhensio τοῦ ἐπιστητοῦ. Quod ἐπιστητὸν definitione Grammaticæ, determinatur absoluto quodam, nempe ratione literarum, quandoquidem & ipsum definitum sit absolutum. Idem sentiendum de reliquis, quæ quidem absoluta cum quadam definiuntur relatione.

LOCVS LXXIIII.

PRæterea si is qui non per se sed secundum accidens rem explicat, rectè explicet & aperiat definiendo, nõ cum uno, sed cum pluribus unumquodq; eorum quæ cũ aliquo conferuntur, comparabit. Nihil enim prohibet, quandã rem esse albam, & esse bonam. Itaq; ut cum quouis eorum collatum quid definiat, certè definierit, si modo is qui re aduentitia temerè rem aliquam explanat, rectè explanat.

Ei, ad quod relatum quidpiam definitur, multa sæpe accidunt. Quapropter unius ad multa tali secundum accidens relatione definitionem constitui nihil prohibet, si definitio sit ex eorum numero, quibus res non per se, quid sit, sed per accidentia quædam cognoscitur. Sed tales definitiones uulgus fortasse non improbet, quanquam à ratione & uero sunt alienißimæ, cum his cognitio naturæ rei magis inuoluatur, quàm explicetur ac declaretur. Accidens enim fucum facit cupidis ueri, quoniam propter ipsum id, quod non est, esse uidetur, & quod est, putatur non esse. Ac per se quidem, quiduis est Vnum. Per accidens autem, unum censetur esse multa, & multa pro uno numerantur. Quocirca disciplinæ & scientiæ abstinent ab accidentibus, quippe definiunt & demonstrant quamq; rem ipsam per sese, non quoad ei aliquid accidit, quo nimirum confunditur, non distinguitur cuiusq; rei notitia perfecta & syncera. His quæ diximus, astipulatur Aristoteles libro Metaphy. μ. ad hunc scribens modum, ἐπιστήμας ἁπλῶς ἀληθὲς εἰπεῖν τούτου εἶναι, οὐχὶ τοῦ συμβεβηκότος. οἷον ὅτι λευκοῦ, εἰ τὸ ὑγιεινὸν τὸ λευκόν, ἡ δ' ἐστὶν ὑγιεινὸν ἀλλ' ἐκείνου οὗ ἐστὶν ἑκάστη. εἰ ὑγιεινὸν, ὑγιεινοῦ. εἰ δ' ἡ ἀνθρώπου ἀνθρώπου. Refertur definitum etiam ad illa, quæ nimirum sunt pars eius, ad quod per se ac primo respicit. Vt Physica dicitur scientia esse τοῦ ὄντος κινητοῦ ᾗ κινητόν. Aliorũ præterea multorum, sed nõ per se, uerum quia contineantur ab illo primo, tanquam partes, ut si dicatur etiam scientia esse simplicium corporum, aut animatorum. Vel quia contineantur tanquam accidentia, ut si eadem hæc dicatur esse scientia motus, infiniti, inanitatis, loci, temporis, & similium, quæ nihil idem habeant & unum, præter subiectum, cui proprie insunt. Multo igitur minus erit Physica definienda, respectu alienorum & non propriorum accidentium, quibus non tantum quid res sit, definiendo nequit exprimi, sed ne ὅτι ἐστι quidem colligi potest, quoniam prius, quòd sit, quàm quid sit Res cognoscitur. Per Accidentia propria colligimus τὸ ὅτι ἐστι rerum definitarum, eorundem enim causa sunt partes hæ, quibus nimirum quid res sit definitur. Quòd si ὅτι ἐστι probetur per aliena Accidentia, per accidens etiam iunctis partibus quid sit Definitum, declarari oportebit, sed his potius quid non sit, quàm quid sit res, intelligi consueuit. De his Aristoteles in

Ana-

Analyticis ita scribit, ὅσα μὲν οὖν κατὰ συμβεβηκὸς οἴδαμεν, ὅτι ἐστι, ἀναγκαῖον In poste=
μηδαμῶς ἔχειν πρὸς τὸ, τί ἐστιν, οὐ δὲ γὰρ ὅτι ἐστὶ ἴσμεν. τὸ δὲ ζητεῖν τί ἐστι, μὴ ἔχοντα rioribus
ὅτι ἐστι, μηδὲν ζητεῖν ἐστι. Calore, quod est accidens commune, quidam ὅτι Analy. li.
ἐστιν animæ astruunt, ab his quid uerè sit anima, definiri & explicari 2.
nullo modo poterit. Physicus igitur cum ἐκ προσθέσεως definiat, quid omnia sint, suis explicabit respectibus ritè ac conuenienter. Absolute considerat οὐσίας Metaphysicus, Mathematicus autem ἐξ ἀφαιρέσεως quantitates & figuras contemplatur absolutè. Omnino absoluta est οὐσία, quæ ut per se quiddam & uerè est, ita per se, ac uerè finitur.
Quoniam finitio uera est, qua finiuntur omnia, ipsum autem, quod fi= Tres sunt
tur, non respectu alterius sed semetipso finitur. Non se ipsis finiun= οὐσίαι, mate=
tur, propria scilicet, & causæ, & accidentia, & partes totius ratione ria, forma,
participantes. Sed οὐσία (quatenus οὐσία) duntaxat genus habet & dif= compositũ.
ferentiam generis, quibus per se significatur essentia rei, non quatenus est aliquid in aliquo. Verum hæc tractantur exquisitius in Metaphysicis. At ut diximus, uidendum est in physicis, quidnam respectu cuius actionem præstet, aut perpeßionem sustineat, ne in definitiones irrepat, quod nimirum accidat agentibus aut patientibus. Masculinum, proprie, & quatenus ipsum, definitur esse Animal, præditum ui gignendi ex alio, nempe fœminino sexu. Atqui calidius præterea est Masculinum, item grauiore uoce præditum, & ualidioribus membris ac lacertis, & præterea ei accidunt alia quædam, quibus fœmininus careat Sexus, ad quæ tamen referri definitione sua non debeat Masculinum. Calidius enim est, quia plus sanguinis habet, & cor feruidius. Vox grauior, quia per ampliorem asperam arteriam copiosior effertur aër. Validius robur, definitur temperamento neruorum & lacertotum solidiore. Horum ergo nihil est, quo masculinum, quia masculinum, queat definiri, quanquam hæc omnia masculinum ipsum uidentur esse, quæ tamen diuersa, & non omnino unum esse, definitionibus his perspicitur. Quamobrem non si quæ sunt unius rei multa inseparabilia Accidentia, idcirco multis quoque his definiri unum illud oportebit. Aut si finiri quidem his sit concessum, non per se tamen Vnius, sed secundum accidens Vnius, definitiones erunt appellandæ, Vt uerbi gratia. Phrenitis, per se de=

finitur esse Inflammatio cerebri creans dementiam. Sunt præterea quædam ipsius alia Symptomata. Unum est, gratia cuius dicuntur ab Hippocrate βραχυπόται. Alterum, quo magno & raro anhelitu spirant. Amborum Symptomatum suis quibusdam causis rationes definiantur, id est, respectu quodam alio, quàm Phrenitis ipsa finiatur. Proprium Symptoma phrenitidis, nempe dementia, seu mentis incitatio cum ardentissima febri, ὅτι ἐστι partium definitionis Phrenitidis declarat, quæ nimirum sunt causa & subiectum. Febris enim causam ostendit, nempe inflammationem. Dementia, subiectum facit manifestum. Quibus colligitur & intelligitur quid uerè sit Phrenitis, nempe inflammatio cerebri. Cæterum quòd secundum accidens ad aliud relatis, assequi ueras definitiones non ualeamus, suo nos docuit errore Aristoteles, quando Cor, uitæ, & sensuum, progreßionisq; principium esse opinatur. Principium equidem per se caloris uitalis, est Cor. Atq; etiam motus & sensus ab eo, sed per aliud tamen, ac per accidens, ut pote per cerebrum, proficiscitur. Cerebro enim cor sanguinem & spiritum, quæ non sunt, sed ex ipsis generatur spiritus Animalis, suppeditat. Ea uis & facultas, definitur suo proprio quodam subiecto, nempe cerebro, & sua quadam energia, sensionis scilicet & motionis, quarum per accidens causa sit cor, ut raræ respirationis, & infrequentis potionis in Phrenitide, per accidens causa est cerebrum. Ut enim cerebrum non sitit per se, aut respirat, ita cor non sentit etiam, aut Animal mouet loco. Si talibus κατὰ συμβεβηκὸς πάθεσι cordis, subiectum suum cuiq; subieceris, ijs non cor, sed aliud quiddam finieris. Si unum cor omnibus finiatur, non per se, sed secundum accidens finietur, siquidem accidentibus aliquid finiri potest. Nihil est autem, quod perinde dissensiones faciat in opinionibus & artibus, atque si quod accidit, id accommodetur ad rationem καθόλου, qua res uel definitur, uel demonstratur, Autore Galeno, qui sic scribit. πᾶς τεχνίτη ἁπλῶς τῆς κατὰ τὴν ἑαυτοῦ τέχνην διαφωνίας τὴν αἰτίαν εἴσεται μίαν οὖσαν, ὅταν ἕκαστος τὸ κατὰ μέρος ἐπὶ τὸ καθόλου μεταφέρῃ.

LOCVS LXXV.

Præt-

PRæterea fieri nequit consentaneum, eo constitui definitionem, si ad quod refertur definitio, commune sit; ut non tantum Medicina, sed præterea complures aliæ dicuntur esse ENTIS. Quare cuiuslibet hæc erit Finitio, ut sit Scientia ENTIS. At nemo nescit, hanc nullius esse scientiæ finitionem. Propriam enim & non communem oportet esse definitionem.

Qui præcesserunt duo Loci, prior quidem falsitatem definitionis redarguit, si quid aßignatum sit, ad quod omnino definitum non poßit referri, aut ad quod referatur quidem, sed ex parte duntaxat quadam. Posterior uero, si positum sit in definitione, ad quod non referatur per se, sed secundum accidens, definitum ipsum, qua ratione potest utique unum referri ad multa. Contrarium huic peccatum præsente describitur loco, ut si unum aliquod sit positum, ad quod non unum, sed multa poßint referri: ut si Grammatica dicatur esse, Scientia Entis. Sua enim & propria cùm sit, nulla certè cuiusquam communis definitio multorum specie differentium esse poterit. Quare differentiæ, multiplici ratione subiectarum rerum, ad quæ commune Genus referetur uariorum definitorum, distinguendæ erunt. Vt uerbi gratia. Metaphysica, est Scientia τοῦ ὄντος ᾗ ὄν. *Mathematica,* τοῦ ὄντος ᾗ ἀφαιρετόν, *Physica,* τοῦ ὄντος ᾗ λέγεται ἐκ προσθέσεως, *Grammatica,* τοῦ ὄντος κατὰ τὸ γράψαι καὶ ἀναγνῶναι. *Perinde faciet etiam, qui Apoplexiam definiens, dixerit ipsam esse affectum cerebri, qua definitione nihil differet ab Epilepsia aut Phrenitide. Ergo Cerebrum, tametsi sit unum, non tamen una ratione subijcitur his affectibus. Vulgares illæ quoq; sunt finitiones, & propter ignorantiam rerum & causarum mutilatæ & imperfectæ proferuntur ab indoctis.*

LOCVS LXXVI.

SEd interdum non rem nudam, uerum quoad bene affecta uel perfecta est, definiunt. Quo ex genere Oratoris

toris & Furis definitio est. Si enim Orator is est, qui quod in quaque re ad faciendam fidem ualet, perspicere potest, neque quicquam eorum prætermittit. Et Fur is, qui clam accipit. Certe uterque bonus erit, qui sit eiusmodi, & Orator scilicet bonus, & Fur bonus. Neque enim fur est qui clam sumit, sed qui uult clam sumere.

Ex numero accidentium perfectio quoque est, qua definiendum quidpiam non sit, cum perfectio & imperfectio non sint partes essentiæ. Definitio itaque alia est optimæ sanitatis, quam Græci uocant ἁπλῶς ὑγιείαν, *quæ est tanquam Polycleti Canon, alia uero est sanitatis, quæ gradibus distributa magis & minus esse dicitur, Nec iustitia est, constans & perpetua uoluntas, siquidem ea significatur habitus, qui non quia semper (id enim est summæ perfectionis) sed quia plerunque suum cuique tribuat, iustitia dicitur. Et ut naturæ causa, res non semper, sed plerunque sic sunt affectæ, pro eo ut earum fert proprietas, ita quoque habitus in causa est, non ut eo fiat quidpiam absolutissimè & semper, sed ut suo quodam modo, & plærunque. Non ergo qui nunquam peccat sanando Medicus est, sed qui in plerisque coniectura sua non fallitur aut hallucinatur. Autore namque Galeno* τὸ μηδέποτε ἁμαρτάνειν, μεῖζον ἢ κατ᾽ ἄνθρωπον. τὸ δ᾽ ὡς ἥκιστα, τεχνίτου μόνου. Πολλῆς δὲ οὔσης καὶ κατ᾽ αὐτὸ τοῦτο διαφορᾶς, ὁ μὲν ἐν τοῖς εἴκοσιν ἅπαξ ἀποτυγχάνων, οὐκ ὀλίγῳ τινὶ βελτίων ἐστὶ τοῦ κατὰ δέκα διαμαρτάνοντος ἅπαξ, αὐτοῦ δὲ τούτου πάλιν ὁ ἐν τοῖς ἑκατὸν ἅπαξ ἀποτυγχάνων, ὥσπερ καὶ τούτου πάλιν ὁ ἐν τοῖς διακοσίοις. οὐκ οὖν ὀρθῶς ἡμᾶς ἐρωτῶσιν οἱ Ἐμπειρικοὶ, τί τῶν ὡς τὸ πολὺ θεωρημάτων, ἐκ τῆς τοῦ λόγου προσθήκης ἀδιάπτωτον καὶ διηνεκὲς ἐποιησάμεθα. εἶτ᾽ οὐκ ἔχοντες δεῖξαι δοκοῦσιν ἐλέγχειν ὡς ἐκ περιττοῦ τὸν λόγον προστιθέντες, εἰ γὰρ μὴ διηνεκῶς ἀλλὰ πλεονάκις γ᾽ ἐκείνων τοῦ τέλους τῆς τέχνης τυγχάνομεν ὥσπερ ἐν τῷ προγινώσκειν τὰ μέλλοντα γενήσεσθαι τοῖς κάμνουσι, οὕτω κἂν τῷ θεραπεύειν αὐτούς. *Reprehenditur hoc loco Rhetoris definitio, qua dicitur, posse in qualibet re uidere probabile, & qua nihil omittat eorum quæ ad persuadendum faciant. Id uero humanum non est, ut scientem nihil fugiat: & perfectissimi id quidem est Oratoris, non autem simpliciter Oratoris, ut in eius oratione nihil poßit desiderari. Proinde nec Fur est sic definien-*

definiendus, ut sit qui clam surripiat. Alioqui certè suspenderetur nullus, & illi quidem sunt exercitatißimi & callidißimi fures. Sed Fur est qui surripiens, operam dat ut non depræhendatur. Latere enim omnes uolunt, sed non semper possunt.

LOCVS LXXVII.

RVrsus uitiosa erit definitio, si id quod per se expetendum est, ut ad agendum, faciendumue impellens, aut tanquam propter aliud expetendum explicetur. Vt si iustitia definiatur: Legum esse custos. Vel Sapientia, Beatæ uitæ effectrix. Efficientia enim & conseruantia in rebus sunt, quæ non ui sua & propter se expetuntur. Et quanquam nihil prohibet, id quod propter se expetitur, etiam propter aliud expetendum, tamen in eo peccatur, si quis ita id quod propter se expetendum est, definiat. Nam cum in cuiusque rei ui & natura explicanda optimumquidque adhibendum sit, id autem quod propter se expetitur, ei quod propter aliud, anteponatur, fit ut illud ipsum potius significare debeat definitio.

Differunt inter se finium, & eorum quæ diriguntur ad fines definitiones, Atqui definitur interdum quod rationem finis habet, ut uideatur ipsum alterius esse gratia, non autem ad ipsum uideatur alia referri, præsertim in his id contingit, in quibus bonorum et malorum fines sunt ambigui. Qui metiuntur omnia uoluptatibus, ut ad eas cætera, sic uirtutem quoque & sapientiam referunt, & propter uoluptatem coli eas dicunt: Ab his etiam, qui non sunt καλοὶ καὶ ἀγαθοὶ *non rectè definitur Virtus, quando nimirum eam dicunt efficientem, simpliciter, seu natura bonorum. Bonis quidem & honestis uirtus ipsa sibi longè maxima est merces, nec propter aliud expetitur.* καλὸς γὰρ καὶ ἀγαθὸς ἐστιν ᾧ καλὰ ἐστὶ τὰ φύσει ἀγαθὰ, καλὸν γὰρ τὸ δίκαιον, τοῦτο δὲ τὸ κατ᾽ ἀξίαν, ἄξιος δὲ οὗτος τούτων καὶ τὸ πρέπον καλόν. Πρέπει δὲ ταῦτα τούτῳ, πλοῦτος, εὐγένεια, δύναμις ὥστε τῷ καλῷ καὶ ἀγαθῷ τὰ αὐτὰ συμφέροντα καὶ καλὰ ἐστίν. τοῖς πολλοῖς διαφωνεῖ τοῦτο, οὐ γὰρ τὰ ἁπλῶς ἀγαθὰ κἀκείνοις ἀγαθὰ ἐστὶ, τῷ δ᾽ ἀγαθῷ, ἀγαθὰ καὶ καλά. πολλὰς γὰρ καὶ ἀγα-

θας πράξεις δι' αὐτὰ ἔπραξεν, ὁ δ' οἰόμενος τὰς ἀρετὰς ἔχειν δεῖν ἕνεκα τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν κατὰ τὸ συμβεβηκὸς τὰ καλὰ πράττει. Pluribus hæc commemoranda & ex Aristotele repetenda altius duxi, quòd nimirum in practicis finibus huiusmodi præcipuè dubitatio & controuersia locum habeat, non item in his studijs quibus effectio quædam terminatur artificum. Deinde ut, quod exempli gratia ponit Aristoteles, rectius et facilius poßit intelligi, præsertim illud posterius, quo ostendit non recte definiri Sapientiam, si quis eam efficientem fœlicitatis dixerit, cùm ipsamet Sapientia, summa sit fœlicitas. Paulò antè dictum est opinione & prauitate hominum rationes finium, præposterè cum his, quæ ad ipsum diriguntur, permutari. Quod ipsum usu uenit etiam in comparatione prudentiæ & sapientiæ, qui proprij sunt hominis Fines, & ad quos reliqua omnia debeant referri. Cum enim unus sit optimus & præstantißimus, aut prudentiam sapientiæ, aut sapientiam prudentiæ subministrare, & inseruire oportebit. At multis quidem uidetur Sapientia esse propter Prudentiam, eiq; famulari Sapientiam putant, quippe nihil melius Prudentia censent esse. Falli tamen eos ignorantia, & hallucinari quodam errore in dijudicandis finibus, deinceps planum faciemus, ac prudentiæ finem esse sapientiam, rationibus Aristotelicis demonstrabimus. Contemplatricem eam esse ueritatis principiorum, ac rerum diuinarum, quoad eas homo potest assequi: cognitricem, constat sanè inter doctos. Prudentiam uero esse habitũ liquet, quo rectæ rationi obedientes affectus & appetitus omnibus rebus decenter uti poßint, & quæ suppeditet etiam ea quæ ad benè uiuendum sint necessaria, præsertim autem efficiens deteriorem partem hominis meliori & potiori concordem & consentaneam. Ac præterea constat etiam prudentiæ oculum, multis & quasi innumeris rebus circumspiciendis occupatum, eam uitam gubernare quæ multis egeat adminiculis, & multorum indigentem, & ne qua in parte periclitetur uita nostra, multa & uaria requirentem. Sapientiam porro extra neceßitates illas positam, ac in sublimi contemplationum specula constitutam, à principijs notis, (quæ sunt pauca numero, ordine quodam inter se contexta) ad unum illud omnium rerum principium nempe Deum Optimum Maximum mentis aciem intendere, in cuius unico cultu

&

& contemplatione acquiescentem beatißimæ uitæ ducem esse, & quæ homo similis quodammodo fiat Deo. Quemadmodum ergo Medicina sanum facit corpus, ipso autem non utitur corpore, sed ipsum corpus sanum seipso utitur, suis actionibus ritè obeundis. Sic prudentia & uirtus sanam mentem hominis efficiunt, quæ tamen ea non utatur. Verum sana mens seipsa utitur dum cultui & contemplationi diuinarum rerum uacat, quæ est propria mentis nostræ & perfectißima energia. Ac prudentia quidem sapientiæ non præcipit quicquam, sed propter illam præcipit affectibus, & præficitur rebus gerendis & administrandis in uita ciuili. Perinde autem dixerit quispiam, præfectam atq; præpositam Sapientiæ Prudentiā, ac si quis dicat Ceremonias politicas præesse Dijs, quia nimirum ciuilis ratio hæc & religio procuret omnia quæ ad colendos Deos pertineant, cum tamen idem non sit Alicui præesse, & propter ipsum (ut sit & existat) efficere & administrare aliquid. Subijcere his libuit quæ de principatu εὐδαιμονίας scribit Aristot: libro. η. Ethicorum ad Eudemum, quem omnino dicat esse Sapientiam, eiusq; efficientē non item finientem causam esse Prudentiā, ἐπεὶ ἄνθρωπος συνέστηκεν ἐξ ἄρχοντος καὶ ἀρχομένου, καὶ ἕκαστον δὴ δέοι πρὸς τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν ζῆν. Αὕτη δὲ διττή. ἄλλως γὰρ ἡ ἰατρική, καὶ ἄλλως ἡ ὑγίεια. Ταύτης δὲ ἕνεκα ἐκείνη. Οὕτω δ᾽ ἔχει κατὰ τὸ θεωρητικόν. Οὐ γὰρ ἐπιτακτικῶς ἄρχων ὁ Θεὸς, ἐπεὶ κεῖνός γε οὐδενὸς δεῖται. ἀλλ᾽ οὗ ἕνεκα, ἡ φρόνησις ἐπιτάττον δὲ τὸ οὗ ἕνεκα. ἥ, τις οὖν αἵρεσις καὶ κτῆσις τῶν φύσει ἀγαθῶν, ποιήσει τὴν τοῦ μάλιστα θεωρίαν, αὕτη ἀρίστη, καὶ οὗτος ὁ ὅρος κάλλιστος. Ex his quæ dicta sunt hactenus liquet, Sapientiam non effectricem finis, sed ipsum esse finem, id est, fœlicitatem. Alterius exempli interpretatio hæc est. Iustitia si conseruatrix sit Legum, finis scilicet iustitiæ, legum erit conseruatio, cùm potius contrà, leges sint propter conseruandā iustitiam. Leges enim iustitiæ, non iustitia legibus seruit, quibus nimirum si fuerit in omnibus obnoxia, summū interdum ius, summa erit iniuria. Propter iustitiam qua ratione positæ sint leges, et quod administratio iustitiæ non sit penes Leges sed penes Regium hominē qui omnes æquitatis uias consideratas & perspectas habeat, quas tamen Legibus compræhendi propter infinitatem, nemo prudens dixerit, his in politico uerbis eruditè & disertè admodū Plato ostēdit,

ad hunc scribens modum. τρόπον μέντοι τινὰ δῆλον ὅτι τῆς βασιλικῆς ἐστὶν ἡ Νομοθετική. τὸ δ' ἄριστον οὐ τοὺς Νόμους ἐστὶν ἰσχύειν, ἀλλὰ ἄνδρα τὸν μετὰ φρονήσεως βασιλικόν. οἶσθ' ὅπῃ; Σω. Πῇ δὴ λέγεις; Ξε. ὅτι Νόμος οὐκ ἄν ποτε δύναιτο τό, τε ἄριστον καὶ τὸ δικαιότατον ἀκριβῶς ἅμα πᾶσι περιλαβὼν τὸ βέλτιστον ἐπιτάττειν· αἱ γὰρ ἀνομοιότητες τῶν ἀνθρώπων καὶ πράξεων, καὶ τὸ μηδέποτε μηδὲν, ὡς εἰπεῖν ἔπος, ἡσυχίαν ἄγειν τῶν ἀνθρωπίνων, οὐδὲν ἐῶσιν ἁπλοῦν ἐν οὐδενὶ περὶ ἁπάντων καὶ ἐπὶ πάντα τὸν χρόνον ἀποφαίνεσθαι τέχνην οὐδ' ἡντινοῦν, ταῦτα δὴ συγχωροῦμεν που; Σω. τί μήν. Ξε. τὸν δέ γε Νόμον ὁρῶμεν σχεδὸν ἐπ' αὐτὸ τοῦτο ξυντείνοντα ὥσπερ τινὰ ἄνθρωπον αὐθάδη καὶ ἀμαθῆ, καὶ μηδὲν ἐῶντα ποιεῖν παρὰ τὴν ἑαυτοῦ τάξιν, μήτ' ἐπερωτᾶν μηδένα, μὴ δ' ἄν τι νέον ἄρα τῳ ξυμβαίνῃ βέλτιον παρὰ τὸν λόγον ὃν αὐτὸς ἐπέταξε. Σω. ἀληθῆ· ποιεῖ γὰρ ἀτεχνῶς καθάπερ εἴρηκεν νῦν ὁ Νόμος ἡμῖν ἑκάστοις. Ξε. οὐκοῦν ἀδύνατον εὖ ἔχειν πρὸς τὰ μηδέποτε ἁπλᾶ, τὸ διὰ παντὸς γιγνόμενον ἁπλοῦν. *Ex his euidens est causa falsitatis istius definitionis, qua dicitur* Δικαιοσύνη σωστικὴ τῶν Νόμων. *Instantia quadam uidetur hunc locum Aristoteles corrigere, quam tamen esse nullam & infirmam ostendit. Dixerit forsan quispiam, nihil impedire, quo minus quod expetitur per se, id etiam propter aliud bonum uideri, & expetendum, & ob id finiri quoq; quoad referatur ad alium finem. Vt prudentiam, ut Legem, quanquam in bonis sunt per se & fines quidam, illa quidem simpliciter & natura bonorum, hæc autem* Νομοθετικῆς, *nihilominus quin referantur ad potiora, ut prioribus liquet exemplis, nulla uetat absurditas. Huic instantiæ sic occurrit Aristoteles. Tametsi interdum quæ per se sunt, & quorundam fines, aliorsum referantur, nihilominus essentia eorundem explicanda potior ratio est, qua hæc per se bona & expetenda intelliguntur, quàm qua, propter aliud. Nam quo optimum suo in genere aliquid est, id maximè substantiæ ipsius proprium & uernaculum est. Quamobrem sua Prudentiæ & Legis definitio erit, qua per se, non quoad referantur ad melius quiddam, bona esse intelligantur, ut qui ad aliud ista referens, definierit, non minus peccet, quàm qui supremos fines ad aliud referendo definiat.*

LOCVS LXXVIII.

ATQ; etiam illud considerandum est, is ne, qui aliquid definit, hoc & illud esse, an ex hoc & illo esse, an hoc cum

cum illo esse definiat. Nam si hoc & illud esse definiat, fiet, ut & utrique conueniat & neutri. Vt si quis, exempli gratia, definiat Iustitiam esse temperantiam & fortitudinem. Nam si duo sunt, quorum uterque altero sit preditus, uterque & neuter Iustus erit, quandoquidem ambo Iustitiam habent, & uterque, non habet. Quòd si hoc non uidetur admodum absurdum esse, propterea quòd in aliis quibusdam hoc contingit (nihil enim prohibet duos habere minam, & neutrum habere) at illud certe perabsurdum videbitur, eisdem contraria conuenire. Quod fiet, si eorum vnus Temperantia, & ignauia sit præditus, in altero Fortitudo & Intemperantia insit. Vterque enim Iustitiam & Iniustitiam habebit. Si enim Iustitia est Fortitudo & Tēperantia, Iniustitia etiam Ignauia erit & Intemperantia. Omninoque omnia Argumenta, quæ sumi possunt ad demonstrandum, totum non esse Idem, quod partes, ad efficiendum id, quod dictum est, valebunt: quippe cum is, qui eiusmodi definitionem statuit & inducit, idem esse partes & totum confirmare videatur. Aptissima autem omnium in hoc genere argumenta ducentur ab iis, in quibus aperta & perspicua partium compositio est, cuius generis est Domus, & si qua sunt similia. Perspicuum est enim, si partes sint, nihil prohibere non esse totum. Ita non sunt Idem totum & partes.

Iis quæ sunt extra essentiam, multifariam definiri uitiose & perperam res solent, quod ut præcedentibus aliquot, ita sequentibus etiam his locis planum facit Aristoteles. Considerandum præcipit hoc loco, utrum in definitione sint expressa ea, quæ sint ipsius Definiti species. An uero hæc, ex quibus fiat & generetur res. An non ex quibus, sed cum quo, aut cum quibus constituatur. Primi exemplum est, si definiens quis Iustitiam, dicat eam esse Temperantiam & Fortitudinem. Secundi, ut si definiens acetum, ex quatuor elementis in uino mixtis ipsum generari dicat. Tertij, ut si oxymel finiens,

asserat ipsum esse aquam cum melle & aceto mixtam. De posterioribus duobus deinde dicemus, nunc de primo est disserendum. Siquidem his partibus, quæ sunt ipsum Definitum, ratione nimirum καθόλου, Id est, Genus, si definiatur speciebus suis, hoc nomine erit nulla definitio, quo scilicet Definitum ita utrunq; (ut uerbi gratia si duo sint) esse definiendo astruitur, ut nihilominus neutrum tamen esse probetur hac ratione. Posita sit definitio hæc Iustitiæ, ut temperantia esse dicatur & Fortitudo. Deinde duo sint quidam, quorum alter temperans, alter fortis sit (separatæ enim illæ possunt esse partes) hi nimirum simul ambo, Iustum illud, quod definitur partibus, erunt. Neque enim, ut in Specie Differentia inseparabilis est à Genere, ita necesse est simul Species quoq; esse iunctas essentia Generis definienda, cùm uidelicet una poßit esse sine alia, ut temperantia sine Fortitudine. Perfecta Virtus, nempe Prudentia, omnes complectitur uirtutes, tanquam totum quoddam partes suas. Singulæ autem & separatæ uirtutes, tanquàm Species continentur à genere Virtutis, ut una scilicet poßit esse sine alia, ut sine fortitudine temperantia. Ergo Fortitudo quædam erit sine temperantia, nempe coniuncta cum intemperantia, & temperantia in quodam homine coniuncta esse poterit cum Ignauia. Si Iustitia sit Fortitudo & Temperantia. In utrisque scilicet simul iunctis erit Iustitia. Atq; ambo simul, iustum, quod definitur, erunt. Hac ratione iustitia ipsa erit quoque iniustitia. Potest enim fieri, ut Temperantiæ in quodam sit coniuncta ignauia, & in alio sit iuncta intemperantiæ Fortitudo, quæ simul ambo sunt nihil aliud, quàm iniustitia. Quocirca id ipsum, quod est iustum, etiam erit iniustum, & in eodem erunt iustitia & iniustitia, quod dictu perabsurdum est. Istud euidentius apparet in his speciebus, quibus totum aliquid, & unum non coalescit. Vt si quis definiens Animal, dixerit esse Hominem & Equum, utrumque in altero non inest: quare si Animal sit ambo, ipsum quoque neutrum erit. Cæterum, non ut causa Prudentiæ in unum coalescunt temperantia & Fortitudo, sic essentiam quoque constituunt unam Homo & Equus in Hippocentauro: quemadmodum nec in Hermaphrodito mascu-

linum

linum & foemininum coalescunt, quum uidelicet non utrumq;, sed potius autore Galeno, neutrum sit Hermaphroditus. Quare Sexus definiendus non erit speciebus suis. Nam si Sexus est, & definitur esse masculinum & foemininum, & in masculino includitur negatio foeminini, & uicissim in foeminino negatur masculinum. Vt utrunque, ita neutrum erit Sexus. Ex quo perspicitur, suis speciebus, tanquam partibus, genus non esse finiendum, quod ipsum finiendi genus, apud Platonem in Protagora reprehendit etiam Socrates, Protagora sic finiente Virtutem, ut sit temperantia & sanctitas. Constat sane temperantiam non esse ipsam sanctitatem, nec sanctitatem esse ipsam temperantiam. Virtus igitur erit id quod est, neque ipsa temperantia, neque ipsa Sanctitas, id est Vitium, quod non est Virtutem finiendo à Vitio separare, sed alterum cum altero miscere & confundere. Totum igitur quod est καθόλȣ, liquet non definiri suis partibus, quæ Ipsum dicuntur esse totum & definitum. Obijciet hoc loco nobis quispiam, definitione Specierum, quamuis Species definita sit Ipsum Genus, & Ipsa differentia, genus tamen non esse differentiam ipsam, nec contra, ut idem absurdum in his quoque definitionum partibus uersari uideatur. Quodam loco ostendimus supra, Genus & Differentiam non differre, sed non Idem esse. Sed constat Species differre ac participare oppositis Differentijs, ut quod ex ijs est constitutum, opposita quoque uideatur esse, & neutrum. Temperantia enim non distribuit aliquibus suum, & Iustitia, non abstinet à Voluptatibus, quibus iam non uirtus, sed Vitium significetur uoculis, quo nimirum superius absurdum concluditur. Alterius modi Totum est, quod partes habet Specie inter se similes, & eiusdem cum toto formæ, ut auri partes, & aliarum rerum ὁμοιομερῶν, quæ non sunt nisi Quantitatis causa diuiduæ. Tertij modi Totum est, cuius partes inter se differunt formis, & præterea etiam à toto, ut illæ sunt, quibus diuiduum est ἀνομοιομερὲς corpus in partes specie differentes, ut quando Facies diuiditur in Nasum, Os, Oculos, aures. Tota primi, & tertij modi, suis partibus, quo pacto nequeant definiri, præsente docemur Loco, sed eum, priusquam explanem,

totorum primi & tertij modi differentia quæ sit ostendam. Totum est, inquit Aristoteles in Metaphysicis, cui pars nulla deest earum, ex quibus totum suapte natura est constitutum. Cœterum quod continet partes, Totum scilicet, unum quiddam est, & ob idipsum quæ continentur eo partes, unum quiddā sunt, tametsi per se sint multæ. Sed unum illud geminum est, cùm uidelicet aliud sit primi, & aliud tertij modi. Primi est, quod καθόλου appellatur, quo non modo totum est unum illud, uerum etiam quælibet pars unum illud existit ipsa per sese. Animal enim & unum & totum est, & præterea species eius quælibet unum illud est, ut homo, ut equus, unum illud per se est, ac totius omnino particeps. Tertij modi unum & totum, definitur continuatione partium, uel finitione quadam formæ totius, qua dißimiles continentur partes. Harum partium nulla est ipsum unum, sed simul omnes participes fiunt unius, quod his describit uerbis Aristoteles. τὸ δὲ συνεχὲς καὶ πεπερασμένον, ὅταν ἕν τι ἐκ πλειόνων ᾖ ἐνυπαρχόντων. Quo compræhenditur etiam secundus modus, sub ratione nimirum unitatis quæ describitur συνεχεία. Animaduertendum præterea, non quodlibet totum partibus suis explanatum, pro definito ipsum, aut definitione, orationem talem habendam. Alioqui enim quæuis oratio definitio esset, totaq; Ilias definitum quiddam esset respectu carminis Homerici. Non igitur per accidens sed essentia quadam, & suapte natura unum & totum esse oportebit, cuius de definitione instituetur quæstio. Quapropter non ut aceruus, Totum appellatur unum, congestis scilicet temerè & casu quodam partibus, quo in genere totū nihil aliud est quàm partes utcunq; aggregatæ. Igitur per se necesse est unum quid, speciem esse totius, quæ nimirum sit aliud quiddam quàm partes suæ, quæ sunt tanquam materia & elementa formæ totius, nec sint totius unitas, nec uero unitas hæc formæ, sit ex his constitutum quiddam, quandoquidem forma hæc tanquam principium quoddam, cum partibus, tanquam materia totum constituat, ut aliud sit totum ipsum, aliud forma totius, aliud sint partes. Carnis species aliud est, aliud Caro ipsa, & ab utrisq; diuersum quiddam sunt elementa, quæ abolito toto, ipsa perimi tamē & aboleri non est necesse. De partibus etiam quæ differentia earum

sit,

sit, illud porro admonendum uidetur. Quædam partes sunt toto posteriores, nonnullæ priores. Posteriores sunt quæ sine essentia totius non possunt definiri. Et hæ sunt composito ex materia & forma posteriores, quales sunt caput, collum, pectus, & similes corporis animati partes. Alterius generis partes obtinent rationem materiæ Totius. Et hæ quidem toto priores sunt γενέσει, ac posterius etiam dissolutione Totius, ipsæ tamen non pereunt, ut sunt literæ syllabarum, & elementa: corporum mixtorum partes. Proinde quæ possunt suo quodam actu subsistere partes, totius respectu, prior est δύναμις actu ipsarum, ut semicirculus, prius quiddam est δυνάμει in circulo, quàm ἐντελεχείᾳ suum obtineat actum. Sed partibus his quæ suum actum habent à Toto, non modo Totum prius est, sed absq; ea parte, Totum, id est, Essentia rei, nihilominus subsistere poterit, ut sine oculo, aut pede animal, pars autem, separatim ἐντελεχείᾳ sua subsistere nequibit. Aliter hoc in genere pars ad totum, & totum refertur ad partem. Pars enim non tantum Relatione (quæ accidit Essentiæ) sed etiam essentiæ suæ ratione, totius esse dicitur. Totum autem Relatione duntaxat partis est, non item essentia sua, quæ nihilominus parte abolita, permaneat. Et hoc sanè modo, ut Aristoteles scribit primo Politicorum libro: μόριον οὐ μόνον ἄλλου ἐστὶν μόριον, ἀλλὰ καὶ ὅλως ἄλλου, ἐκείνου δὲ οὐκ ἐστίν. Partes itaq; quæ in toto insunt δυνάμει, dissoluto & abolito toto seipsis subsistunt, & absq; toto esse possunt, quoad existunt actu. Obscurè differentiam hanc partium Aristoteles libro δ' Metaphysicæ sic expreßit. τὰ μὲν γὰρ κατὰ γένεσιν ἐνδέχεται ἄνευ τῶν ἑτέρων εἶναι οἷον τὸ ὅλον τῶν μορίων, τὰ δὲ κατὰ φθορὰν, οἷον τὸ μόριον τοῦ ὅλου. Vocabulum γενέσεως significat essentiam hoc loco generatæ rei, (quod est σύνολον) propterea quod totum huiusmodi per se generatur, à quo posteriores partes nomen suum & definitionem habeant. Etenim καθόλου partes essentiæ, toto sunt priores, ac non nisi secundũ accidens dicuntur generari. Partes porro materiæ rei, non nisi interitu actus substantiæ mixti, ipsæ per se existunt absq; toto et composito. Hactenus quæ totius, quæ partium, item quæ partium respectu totius ratio sit & comparatio, præterea quænam earum discrepantiæ essent, ostendimus. Nunc proinde præsentis loci interpretatio-

pretationem aggredi uolumus. Ipsum Totum, quod est καθόλου, suam habet definitionem Genere & differentia conflatam, cuius partibus, Vnum, quod in multis insit & de multis prædicari poßit, constituitur. De partibus his quidem quæ appellantur species, prædicatur καθόλου unum, sed eisdem non definitur tamen, quòd nimirum his partibus totum uon coalescat, quippe cùm non sint materia cuiusdam totius, sed essentiæ & species perfectæ, quarum unaquæque per sese omnino totum suum includat. Quòd si tanquam ex materia, ex multis speciebus unum ipsum & καθόλου totum coagmentari quispiam opinetur, ut nimirum ipsum sit simul omnes species, id absurdi scilicet concludetur, quod exemplo quodam ab initio est declaratum. Etenim iustitia (intelligi uolo νόμιμον) quoad est καθόλου de temperantia dicitur, ut de specie, deinde etiam de fortitudine: Quia autem de utrisque simul per Hypothesin iustitia, ut totum, dicitur, separatim scilicet, neutri attribuetur, quod primum est absurdum. Deinde alterum, quod confitendum sit, ex utrisque non iustitijs etiam conflari iustitiam. Attamen alterum absurdum submoueri hoc modo potest, quòd nimirum partes quædam, in quibus sit negatio totius, simul iunctæ totum nihilominus constituant. Vt duabus dimidijs, constituitur Mina. Item materia & forma, substantia naturalis. Enimuero quodam modo in secundo Genere, item tertio, nec pars appellationem habet compositi, nec totum partis. Vt Hippias unus, & Socrates unus, non ambo Vnus sed Duo dicuntur. Et qui simul sunt Duo, ob id alteruter non est Duo, sed unus. At in primo Genere quicquid alteruter est (si duo sint duntaxat) id etiam uterque esse dicitur, & quod uterque, id ipsum dicitur separatim quoque alteruter, ut si iustus, aut homo de Socrate & Hippia proferantur. Reprehendit in Hippia maiore Socrates definitionem Sophistæ, qua pulchrum definiens, dicit ipsum esse uoluptatem, quæ percipiatur uisu & auditu. Quæ definitio (quoniam non exprimit καθόλου) ut alterutri non conuenit separatim, Ita nec utrisque simul. Quare tanquam absurda reijcitur illic à Socrate, et eodem modo quo superior iustitiæ definitio. Partes igitur in primo Genere, causa essentiæ participant toto, In secundo Genere, Totius priuatione partes describuntur,

buntur, quatenus nimirum formæ totius ſunt capaces, tanquam cuiuſdam actus: etenim habiles ſunt ut ex ipſis fiat aliquid Vnum, id eſt, Totum, ex partibus diuerſis rerum conflatum, ut Domus ſuis ex partibus, & ſyllaba ex literis, temperamentum ex elementis. Totum porro nullum huiuſmodi eſt ſuæ partes, ſed ex partibus effectum quiddam, & aliud profectò eſt, ſi dixerit quiſpiam totum eſſe τάδε, & ἐκ τῶνδε conſtitutum quid, pronunciarit. Differunt enim (ut ſupra dictum eſt) formulæ iſtæ loquendi, cum illa ſcilicet eſſentiam, hæc uerò materiam rei, partes eſſe declaret. Equidem Totum, quod non eſt ut aceruus, nequaquam eſt partes ſuæ, quoniam materia totius non eſt ſpecies eiuſdem, quæ, ut ſupra oſtendimus, ex numero eſt principiorum, nec elementum, nec ex elementis conſtitutum quiddam. Itaq; ſi domus ſit fundamentum, parietes, & tectum, ac non ſpecies ſeu compoſitionis forma quædam, oportebit ſcilicet partes has, abſq; compoſitione etiam hac, diſsipatas, diſiectasq; appellationem habere Domus. quas tamen ipſas per ſe non eſſe aut dici domum conſtat. Alioqui in eodem ſubiecto contraria ſimul inerunt, ac ſimul aliquid domus erit, & non domus. Ex quo liquet, nullum totum quod definiatur, ipſum eſſe nihil aliud quàm ſuas partes. Textus interpretatio hæc eſt. Omnino quæcunq; argumentando ſunt refellenda, quò nimirum perſpicuum ſit partes & totũ non eſſe idem, nulla exceptione ad poſterius dictum abſurdum concludendum poterunt rationes utiliter hoc modo adhiberi. Πρὸς τὸ νῦν ἀρημένον, exponendum puto relatione ad ἄτοπον. Duobus abſurdis oſtendit Ariſtoteles, non poſſe fieri ut Totum nihil aliud quàm ſuæ partes eſſe dicatur. Quorum prius illud eſt, futurum ſcilicet ut in neutro inſit quod tamen in utroq; dicatur ineſſe, quod in Totis primi modi apparet abſurdiſsimum eſſe. Nam illud ambobus ſic ineſt, uel omnibus, ut etiam utriſq; aut ſingulis inſit, ut iuſtitia temperantiæ & fortitudini ſimul ambabus, & ſeparatim utriſq;. At ſi Totum partes ſuæ eſſet, tum certe ambabus ſimul ineſſet, & ſeparatim neutris, quod in illo Genere, ut diximus, depræhenditur falſum eſſe, in reliquis duobus modis non uidetur inconſentaneum. Vt Socrates & callias duo ſunt, & dicuntur, & neuter tamen Duo eſt, ſed uterq; unus, Idem

iudicandum de toto dißimilium partium. Posterius itaq; absurdum illud propositum ab Aristotele, in uniuersum ualet in omnibus modis Totius, si totum nihil aliud, quàm partes suæ esse dicantur: quippe simul contraria eidem inerunt, quidpiam enim & Domus erit, & non Domus, item Iustum, & non iustum: ratio absurditatis supra est à me exposita. In his Tota dicimus esse omnes suas partes, sed non sic, ut singulæ partes toto participent, pro eo ut partes primi modi participant toto. Non enim ut omnes ciues fœlicitate, sic omnis unitas in quinario ratione participat quinarij, quæ significata ne confundantur in disciplinis, cauendum est. Ad posterius illud absurdum ferè omnia reuocantur argumenta, quibus ostendimus, Idē non esse TOTVM & PARTES. Maximè uero ratio est euidens in his partibus, quarum σύνθεσιν & compositionem manifestum sit, aliud quiddam esse, quàm partes. Nam in temere compositis, totum nihil aliud, quàm partes ipsæ uidentur esse. Quin etiam constat inter omnes, si partes sint, nihil prohibere, quo minus totum non sit, ex quo concludendum, partes & totum non omnino Idem esse.

LOCVS LXXIX.

SI vero res, quæ definiatur, non esse hoc & illud, sed ex hoc & illo constare dicatur, primum uidendum erit, an Vnum aliquid ex iis ipsis constare queat aut fieri. Quædam enim, veluti linea & numerus, ita affecta sunt inter sese, ut nihil ex ipsis Vnum effici possit.

Si definiatur Totum, quoad ex quibusdam sit constitutum partibus, non quia ipsum sit suæ partes, considerandum erit, utrum huiusmodi sint illæ partes, ut ex ijs unum quid fieri poßit. Sunt enim nonnulla sic inter se comparata, ut ijs Vnum per se nequeat constitui, ut ex linea & numero. Quæ componi possunt, aut materiæ & formæ rationem habeant, oportet, aut contrariorum, illis quidem Compositione, his uero mixtione fit Totum aliquid. Præterea Vnum & Totum aliàs fiunt uel contactu, uel clauo, uel uinculo, uel glutine

coagmentata. Anaxagoras definit Totum, nempe Chaos, quod ipſe nuncupat πανσπερμίαν, mixtione omnium, quæ fieri & naſci ſolent in natura. At multa generantur, quæ miſceri, aut mixti pars nullo modo eſſe poſſunt. Etenim πάθη quæ generantur, ut non ſunt χωριστὰ, ita quoq; mixti pars eſſe non poſſunt, nec mixtione poteſt ex his Vnum fieri. Linea item non recte definitur, ſi dicatur quantitas ex punctis concreta. Continuari enim, ut eſt apud Ariſtotelem in ſexto libro Phyſicorum, punctum nequit puncto. Apparet itaq;, quemadmodum partibus his repugnet, ut ex ipſis Vnum illud et totum generetur, cuius definitione ſolent exprimi. Ariſtoteles ex atomis cõpoſitum non eſſe corpus naturale, in priore de ortu & interitu libro oſtendit. Neq; Elementa ex planis figuratis conflata eſſe (quæ ſententia fuit Timæi) libro quarto de cœlo monſtrat. Et libro primo de anima, contra Empedoclem diſputans, probat, Animam ex Elementis non eſſe concretum quiddam. Cœterum non modo, quòd ipſæ non componi poßint partes, conſiderandum, ſed etiam ſi poßint, utrum reſpectu Totius & definiti coaleſcere queant, animaduertendum. Quænam ex quibus conſtituantur & fiant, magna & difficilis eſt quæſtio interdum, cùm de proximis ſcilicet quæritur partibus. Nam communiora hæc Elementa totum non definiunt. Ex lignis equidem & lapidibus ſtrui domum, nemo neſcit, ſed qualibus, & qua harmonia compingendis, notum eſt fabro. Et Phyſici ſuam cuiq; formæ proximam materiam ſubiectam inquiunt, quæ ſimplex aliâs eſt, ut quando ex aqua fit aër, aliâs compoſita ex partibus, quibus aliquo modo temperatis, aliud ſubinde fiat ex alio non reciproca permutatione. Vt ex quatuor primis, & omnia gignentibus corporibus in uite generatur ſuccus quidam, qui deinde craſi quadam alia permutetur in uinum, ac uinum porro cauſa Elementorum ſuorum, è quibus eſt generatum, permutatur putreſcens in acetum, ita tamen, ut poſterius ſemper fiat ex priore, idque tantiſper fiat, donec mixtum diſſoluatur in Elementa, non autem ex poſteriore, quaſi regeneretur prius, cuiuſmodi reciprocatio eſt primorum & ſimplicium corporum. Quæ ſic igitur ex partibus atque Elementis generantur, ut non reciprocos ortus & interitus habeant, non tam ex priore,

quàm post illud nasci censendum. Aliud enim est ἐκ τῆς γενέσεως, & aliud μετὰ τὴν γένεσιν aliquid fieri. In reciproco ortu & interitu, non tantum extrema pugnant contrariè, uerum etiam ipsæ γενέσεις sunt contrariæ. In nonreciprocis, non communis & eadem proxima est materia, sed per medias discrepantes materias fit reditus ad caput & primordium idem, ut si quando acetum retexitur rursus in Elementa. Nec γενέσεις sunt contrariæ in his, sed materiæ pugnant duntaxat, quarum causa non subinde eædem, id est, reciprocæ generantur formæ. Eadem enim prioris & posterioris non est materia, nisi secundum Accidens, nec γενέσεις sunt contrariæ, sed contrariorum duntaxat esse dicuntur. οὐ γὰρ, inquit Aristoteles, γίγνεται ἐκ τῆς γενέσεως τὸ γιγνόμενον, ἀλλ' ἐστὶ μετὰ τὴν γένεσιν. Non igitur uinum materia est aceti, sed ex Elementis Vini aliter temperatis generatur Acetum, quemadmodum ex Elementis aliter temperatis, ex Animali nascitur Cadauer. Ergo non ex aliquo tanquam materia, sed ex aliquibus quasi partibus quibusdam, proximam constituentibus materiam ista generari & nasci sunt dicenda, quod monendum duxi, ut per se materiam ab ea, quæ secundum accidens esset, distingueremus, hac nimirum solitaria, illa uero ex partibus quibusdam, ut elementis, coagmentata. Sed huic, ut opinor, Loco satis abundè fecimus.

Aristo. lib. Metaphy. α ἐλάττονι.

LOCVS LXXX.

PRæterea considerandum, id ne, quod Definitione apertum est, in vna re aliqua prima insit, ea autem ex quibus ipsum constare dixerit, non in vna re prima inesse soleat, verum vtrumque in altero. Perspicuum est enim, ex iis nunquam illud constare posse, præsertim cum in quo partes, etiam totum necesse sit existere. Ita non in vna re prima, Totum, sed in pluribus inerit.

Non modo partes sunt aliquid in aliquo ut in Toto, uerum etiam

am Totum interdum est in aliquo . Cæterum definiendo considera-ramus, in quo primo quidpiam insit. In quo igitur primo totum inest, in eodem partes quoq; inesse oportet. Quòd si in alio primo insint partes, quàm totum, huius loci Argumento definitio coarguitur tanquàm falsa. Nam si erunt in diuersis primis, partes, & totum, eis non nisi secundum accidens constituetur Vnum, quo non est aliquid finiendum, quoniam suæ & cuiusq; totius propriæ sunt partes, quibus per se constituatur, ac primis. Vt Animal totum partibus dissimilibus, partes dißimiles similibus, similes, quatuor, suo quodam modo temperatis Elementis. Caput definiendum est, pleris q; instrumentis sensuum, ut cerebro, uisu, auditu, gustatu, & partib. alijs, quibus, tanquam instrumentis, compactum est Caput. Quòd si quis ipsum definiat similibus partibus, ut oßibus, carne, cute, neruis, uenis, & similibus, falsa erit definitio, quoniam non in eodem primo, totum, id est, caput inest, & partes ὁμοιομερεῖς Capitis. Multo magis id repræhendendum, si concretione definiatur Elementorum. LAC, ut totum, partibus suis proximis, quibus est generatum, sic definiri solet, ut sit succus in uberibus concretus ex butyro, caseo, & sero. Nam partes hæ primò in Lacte, tanquam in toto insunt, non Elementa, quibus hæ partes generantur. Sanguis porro ipse per se (quoad syncerus non est) generatur ex quatuor notis humoribus, Sed quatenus purus est & syncerus, gignitur ex quatur Elementis, ritè inter se temperatis. Non modo totum quiddam est sanguis, uerum etiam usurpatur ut pars quædam totius, & ob id geminas uidetur habere Finitiones, ratione nimirum partium, quibus generatur. Præterea alio modo Aqua est pars Vini, quatenus generatur in uite, & alio, quoad miscetur & diluitur cum aqua in uase. Aqua enim & Vinum mixta, non in aliquo primo, quod Substantia sit, sed secundum Accidens (quatenus scilicet locis non sunt separata) in uno & toto quopiam mixto & diluto insunt. Neque enim admixta Aqua fit Vinum, sed permanet Aqua, ac propter contagionem cum uino qualitatibus communicans, mixtum secundum Accidens constituit. In uite cum alijs mixta Elementis aqua, tametsi non penitus aboletur, quemadmodum nec cœtera Elemen-

ta, ut pars materiæ quædam nouam aſciſcit mixtionis cauſa ſpeciem ſubſtantiæ, & ex aqua hac ratione, uinum fieri dicitur. Materia enim uini eſt concretum quiddam ex quatuor elementis, è quibus palmitum ſeu uitium gratia & efficatia uinum generetur. Hæ partes quòd ſint aliquid unius primi cuiusdam ſubiecti reſpectu, utpote uitis, quoad ex ipſis generatur uinum in uite, hac definitione perſpicuum eſt. Partibus itaq; non in eodem primo exiſtentibus ſi quid definiatur, iſtius loci argumento, ut dixi, repræhenditur definitio. Nã ſecundum accidens totum, his definitur, ut ſi corpus animatum quis finiens, dicat ipſum eſſe quod ex organicis, item ὁμοιομερέσι partibus ſit conſtitutum. Animati enim, quia animatum corpus, partes ſunt organa & ἀνομοιομερῆ. In ipſo enim tanquam πρώτῳ δεκτικῷ hæ inſunt partes ſpecie totius exiſtente anima, ὁμοιομερεῖς autem inſunt non propter ſe, ſed ſecundum accidens, quia uidelicet ſunt partes organicarum. Quamobrem his non animatum corpus ſed organa ipſius definienda erunt, in quibus inſunt ut πρώτῳ δεκτικῷ. Dubitari de animæ poſſet definitione quæ tanquam totum quiddam partes habere uidetur, quæ tamen in eodem primo δεκτικῷ haud inſunt. Nam uel Platone autore, uis intelligens in capite eſt, Iraſcens in corde, Concupiſcẽs in iocinore, adde ſi libet, Mouens in neruis & muſculis. Partibus ergo his anima, nempe totum, non ritè finietur, quandoquidem non in eodem primo inſint δεκτικῷ. Partes totius, de quibus loquimur in præſentia, ſunt materiæ partes ex quibus fiat aliquid unum, aut quæ ſint aliquid unum cauſa formæ. Cœterum forma ſeu species partes habet quæ per ſe ſint unum & totum, nec propter materiam (nihil enim materia continet & facit unum) nec propter formam aliam uno participant, alioqui forma eſſet formæ progreſſu infinito & abſurdo, atq; animæ ipſius anima eſſet alia, qua partes continerent ipſius. Sed quidnam contineat animam, & ex partibus eius faciat unum aliquid, ne fingere coniectura quidem aliqua poſſumus. Ergo ſemetipſa, ut una, ita tota eſt anima, & in qualibet parte tota, quia uidelicet non ut materia, diuiduas habet partes. Homonymiam hanc Vnius & Totius, tametſi Plato animaduertiſſe uideatur in Sophiſta, nihilominus animam (quæ eſt

ſpecies

species & essentia animati corporis) distributam partibus corporeis censet, tanquam naturis & partibus corporis disclusas, quo nomine reprehenditur etiam ab Aristotele in primo libro de anima: Non enim ut species ex multis facit essentia unum aliquid, ita uicißim multiplex materia suis partibus unitatem totius & formæ distrabit, quippe cum eam tanquam bonum & diuinum quiddam appetat, & multitudinem suam hac unitate perfici & exornari desideret. Quamobrem partium corporis gratia non erit anima diuidua, nam si sit, τί οὖν δήποτε συνέχει τὴν ψυχὴν εἰ μεριστὴ πέφυκεν; Instrumentis partium diuidui corporis secretas animæ partes Plato sic describit in quarto de Republica libro. Τὸ δὲ ἤδη χαλεπὸν, εἰ τῷ αὐτῷ τούτῳ ἕκαστα πράττομεν, ἢ τρισὶν οὖσι, ἄλλο ἄλλῳ. Μανθάνομεν γὰρ ἑτέρῳ, θυμούμεθα δὲ ἄλλῳ. Τῶν ἐν ἡμῖν, ἐπιθυμοῦμεν δ' αὖ τρίτῳ τινὶ τῶν περὶ τὴν τροφήν τε καὶ γένεσιν ἡδονῶν, καὶ ὅσα τούτοις ἀδελφά. ἢ ὅλῃ τῇ ψυχῇ καθ' ἕκαστον αὐτῶν πράττομεν ὅταν ὁρμήσωμεν. Ταῦτ' ἔσται τὰ χαλεπὰ διορίσασθαι ἀξίως λόγου. Sed de his quid sentiendum, & quid, & quomodo differendum etiam, quamuis difficilia uideantur, dictum, ut opinor, satis est. Partibus præterea partium principalium consectariis, totum non esse finiendum, liquet etiam exemplo definitionis animæ. In ea nulla fit mentio partium & facultatum, quæ superioribus tanquam Totis quibusdam continentur. Vt uisus, auditus, gustatus, continentur sentiente. Nutricans, auctrix, & procreatrix, uegetatrice. Eius porro tot uidentur esse partes & facultates, quot sunt instrumenta quibus utitur anima ad uegetandum corpus. Verum his partibus primò & per se non coagmentatur totum quod appellatur, quamobrem nec anima respectu earum dicitur Totum constituere animal. In perfecto animali, nempe homine, in partes quatuor materia totius est diuisa, eam nimirum quæ nutricationis capax est, & eam quæ sentientis facultatis instrumentum est, item quæ appetentis seu mouentis in loco, & postremo quæ intelligentis, ut patibilis est intellectus, id est, mens cum phantasia coniuncta. His quatuor (propter speciem animæ unam) fit & constituitur Vnum & Totum animal, uidelicet Homo. Deinde singulæ suis etiam constituuntur partibus, quas persequi in præsentia non est opus. Veruntamen his animal

non definitur, quia non sunt in eodem primo, ut iam sæpe diximus, δεικτικῶς. Sunt præterea partes minus principales illæ, quarum οὐσία subsistit etiam absq; toto, ut dissoluto animali subsistunt elementa, quæ nimirum aliâs appellari solent partes SINE QVIBVS *totũ non constituitur, quæ & ipsæ submouendæ sunt ex definitionibus totorũ. Verbi gratia, Ciuitas definitur apud Aristot. sic in Politicis, ut sit multitudo hominum sibi ipsi sufficiens ad necessaria uitæ subministranda, constans ex æqualibus statu, qui eisdem iuditiis, eodemq; utantur magistratu, ut nimirum beatæ uitæ sint compotes. Sunt præter has aliæ nonnullæ partes ciuitatis, sed tales ut sine his principales illæ nequeant consistere, quibusq; politica* κοινωνία *definienda non sit, cum uidelicet Ciuitas* πρῶτον δεικτικὸν *earum nequaquam esse uideatur. Harũ prima est* τροφή. *Secunda,* τέχναι, *Tertia,* ὅπλα. *Quarta,* εὐπορία χρημάτων. *Quinta,* ἱερατικόν. *Sexta,* κριταὶ τῶν ἀναγκαίων καὶ τῶν συμφερόντων. *Partes has à principalibus, quibus constituitur ciuitas, sic distinguit Aristoteles in Politicis,* ἐπεὶ δ' ὥσπερ τῶν κατὰ φύσιν συνεστώτων οὐ ταῦτα ἐστὶ μόρια τῆς ὅλης συστάσεως, καὶ ὧν ἄνευ τὸ ὅλον οὐκ ἂν εἴη. Δῆλον ὡς οὐδὲ Πόλεως μέρη θετέον ὅσα ταῖς πόλεσιν ἀναγκαῖον ὑπάρχειν, οὐδ' ἄλλης κοινωνίας οὐδὲ μιᾶς ἐξ ἧς ἕν τι τὸ γένος. ἓν γάρ τι καὶ κοινὸν εἶναι δεῖ καὶ ταὐτὸ τοῖς κοινωνοῖς, ἄντε ἴσον, ἄντε ἄνισον μεταλαμβάνωσι οἷον εἴτε τροφὴ τοῦτο εἴη, εἴτε χώρας πλῆθος, εἴτε ἄλλο τοιοῦτον ἐστιν, ὅταν δ' ᾖ τὸ μὲν τούτου ἕνεκεν, τὸ δ' οὗ ἕνεκεν οὐθὲν ἔν γε τούτοις κοινὸν ἀλλ' ἢ τῷ μὲν ποιῆσαι, τῷ δὲ λαβεῖν, λέγω δ' οἷον ὀργάνῳ τε παντὶ πρὸς τὸ γιγνόμενον ἔργον καὶ τοῖς δημιουργοῖς. ἡ δὲ Πόλις κοινωνία τις ἐστὶ τῶν ὁμοίων, ἕνεκεν δὲ ζωῆς τῆς ἐνδεχομένης ἀρίστης. *Internosci partes principales, & illæ sine quibus totum esse nequit, formula rationis ab Aristotele præscripta, debent. Nam si sint quædam, ut earum gratia sint aliæ, nonnullæ autem sint quæ non propter se sed aliarum existant causa, per se nimirum & principales erunt totius partes propter quas reliquæ erunt, per accidens autem, & sine quibus aliquid non fit, quæ propter aliud esse noscuntur. Partes enim hoc modo comparatæ inter se, speciem totius unam non constituunt, quandoquidem pars altera tanquam instrumentum est quoddam principalis, respectu scilicet Totius. Ut uisus instrumentum est sentien-*

ſentientis partis corporis, reſpectu animalis totius. Et partes, ſine quibus non ſubſiſtit ciuitas, inſtrumenta ſunt principalium partium, reſpectu totius Ciuitatis. In unam uerò ſpeciem totius non coaleſcunt, non eiuſdem conditionis partes. Quæuis profeßio & diſciplina ad ſuas res præcepta hæc accommodare debet. Colligunt definiendo Symptomata Medici, quæ ſigna ſunt Pathognomonica tanquam partes, quibus ὅτι ἐστὶ, morbum declarent. Empirici coaceruant ex quibus non unus per eſſentiam morbus cognoſcatur: ſignorum enim ſecundum accidens συνδρομὰς obſeruant. In eodem primo ſubiecto cauſæ inſunt παθογνωμονικῶν συμπτωμάτων, ut febris, doloris, difficultatis ſpirandi, & ſimilium in Pleuritide. Alijs ſecundum accidens additis ματαίαν ἐπιπλοκὴν τῶν σημείων deſcribi non eſt dubium.

LOCVS LXXXI.

QVòd ſi & partes & totum in una re prima inſunt, illud conſiderandum eſt, an non in eadem re, ſed in alia partes, & in alia, totum.

Poteſt fieri ut totum definiatur ſic, ut totum in aliquo primo inſit, & in eodem primo partes definitione expreſſæ non inſint, quo neceſſe eſt uitium coargui definitionis. Qualis eſt definitio hæc naturæ Empedoclis, qua dicit naturam eſſe alterationem mixtorum elementorum. Definitum primò ineſt in ſubſtantia cuiusq; rei, quoad eius pars eſt ſimplicißima, ut materia, aut forma. Elementorum alteratio eſt in mixto, quod non eſt per eſſentiam unum, nec elementa ſunt pars ſimplicißima & prima compoſitæ ſubſtantiæ. Quare natura, & definitio hæc ipſius, non ſunt unum, quandoquidem non ſint in eodem primo toto. Item Symptomata παθογνωμονικὰ quamuis ὅτι ἐστὶ morbi declarent, tamen quid ſit, ipſum non finiunt, quoniam non ſunt in eodem primo ſubiecto in quo morbus eſt. Vt Pleuritis in membrana eſt ſuccingente coſtas. Febris aut eſt in corde, dolor in neruis, difficultas anhelitus in pulmone.

LOCVS LXXXII.

TVm considerandum, sublato toto, an vnà etiam partes tollantur & intereant. Contra enim fieri debet, vt interemptis partibus, totum intereat: interempto verô toto, non necesse est partes interire.

Partes nonnullæ sunt, quæ non tantum Relatione ad Totum, uerum etiam essentia referuntur, ut sunt caput, pedes, & similes partes, ex quibus Animal non constituitur, ut ex materia, quandoquidem consectariæ sunt totius, atq; eo, quatenus compositum est ex materia & forma, posteriores. Fieri enim nequit, quin corrupto toto, partes quoq; illas perire contingat, quum superstite etiam, & saluo toto separatim subsistere nequeant. At ex quibus (ut materia) partib. coalescit Totum, eas ut γενέσει priores, ita posteriores superesse interitu totius contingit, ut Elementa, mixtis corporibus, & literas Syllabis dissolutis. Definitio itaque partibus suis constituitur, quoniam ipsa definita res nihil aliud est, quàm suæ partes, non autem ex illis, tanquàm materia generatur. Præterea forma & προσεχὴς materia, sunt, quibus constituitur σύνολον, quæ simul sunt, & simul pereunt, nec sunt materia totius, aut partes, ut hac ratione, qua dictum est, ex ipsis totum generetur. De materia loquor proxima naturalium formarum, quæ nimirum est οἰκεία ὕλη, & perfecta δύναμις, cui necesse sit præsto adesse ἐντελέχειαν. Deniq; compositi ex materia & forma partes sunt totius cuiusdam, ut caput & pedes Animalis, quæ posteriores toto sunt partes, ex quibus Animal, ut materia, nequaquam sit generatum. Animal itaque quatenus integrum, his, sed non ex his, ut materia, constituitur partibus, cui ut integro, opponitur mutilatum seu mancum. De differentia partium & totius, quot modis usurpentur, satis, ut opinor, diximus, nunc ad præsentis Loci nos conferamus interpretationem. Si ex aliquibus partibus constitutũ quidpiam definiatur conditione hac Totius, ut perempto toto, partium quoq; aboleatur natura, tum non

ritè definitum totum istius Loci argumento ostendetur. Etenim consentaneum est superesse partes, ex quibus generatur quidpiam, etiam abolita natura totius. Sed partibus corruptis, quin totum quoq; pereat, nemo infitias ibit opinor, qui materiam ortu & interitu priorem esse, posterioremq; forma naturali, intelligat.

LOCVS LXXXIII.

ATq; illud etiam videndum, an totum bonum vel malum sit, & partes neutrum, vel contra, partes in bonis aut malis sint, & totum in Neutro. Neque enim ex re vlla, quæ nec bona, nec mala est, aliquid quod bonum sit, aut malum effici potest. Neque ex ijs, quæ ipsa mala sunt, uel bona, fieri aliquid potest, quod sit neq; in malis, neq; bonis. Aut, maius ne altera pars bonum sit, quàm altera malum: quod autem ex iis constare dixerit, non sit maius bonum, quàm malum. Vt si, exempli gratia, impudentia ex fortitudine & falsa opinione constare dicatur, quorum fortitudo maius bonum est, quàm malum, falsa opinio. Debuit igitur etiam id, quod ex illis est, ex maiore consequens, et esse aut bonum omnino, aut maius bonum quàm malum. Quod non necesse tamen est, nisi vtrumq; per se in bonis malisue ducatur. Quippe cùm multa efficientia per se non sint illa quidem bona, coniuncta autem & commixta cum quibusdam, in bonis numerentur. Alia sunt contra, quorum vtrumq; bonum est, quæ si coniungantur, vel mala erunt, vel indifferentia. Quod autem posterius dictum est, facillimè in rebus salubribus, vel pestilentibus perspici potest. Quædam enim Medicinæ eam vim habent, vt & vtraq; per se prosit, & si coniunctæ mixtæq; adhibeantur, sint nihilominus obfuturæ.

Composita & constituta ex partibus, aliâs numerantur in bonis, aliâs in malis, quandoq; in neutris rebus, quas alterutrius, id est, boni

uel mali materiam seu subiectum esse constet. Bonum quod partibus definitur, eius quoq; partes ex bonis esse oportebit, & Malum, quum aliud sit nihil, quàm priuatio, partibus bonitate priuatis coagmentari est necesse. Eadem est ratio Totius Neutrius. Fortitudinem rebus, negotijs, personis, locis, temporibus, recta ratione, id est, bene & legitime definitis, bonam & ipsam definimus. Neutro modo habentibus, ac tanquam medijs quibusdam rebus definiri eam, nequaquam est consentaneum. Apud Aristot. τὸ ἑκούσιον, quod est neutrum quiddam, scriptum legimus à quibusdam fuisse definitum, tanquam si sit bonorum duntaxat, ut ἀκούσιον malorum, & non neutrorum. Sophista cum definiatur à nonnullis, esse Philosophus & Politicus, reuera tamen neutrum est. Bonum humanum in Euthydemo sic definit Sophista neutris rebus, ut sit quo sanus, formosus, opulentus, potens homo sit. Quæ Socrates deinde non ipsius Boni partes sed instrumenta, & tanquam materiam esse probat. Bonum etenim esse (quod appellationem in Ethicis habeat prudentiæ) quo fortis, temperans, liberalis, & iustus quispiam sit & dicatur, quibus uniuersis rationem per se Bonitatis describi, qua genus illud, tanquam partib. confletur. Superiora porro hæc, nec bona p se, nec mala esse, sed neutra. Disputationis istius epilogum perscribam. ἐν κεφαλαίῳ δ' ἔφην ὦ Κλεινία κινδυνεύει σύμπαντα ἃ τὸ πρῶτον ἔφαμεν ἀγαθὰ εἶναι, οὐ περὶ τούτου ὁ λόγος αὐτοῖς εἶναι, ὅπως αὐτά γε καθ' αὑτὰ πέφυκεν ἀγαθὰ εἶναι. ἀλλ' ὡς ἔοικεν ὧδ' ἔχει. ἐὰν μὲν αὐτῶν ἡγῆται ἀμαθία, μείζω κακὰ εἶναι ἐναντίων, ὅσῳ δυνατώτερα ὑπηρετεῖν τῷ ἡγουμένῳ κακῷ ὄντι, ἐὰν δὲ φρόνησίς τε καὶ σοφία, μείζω ἀγαθά, αὐτὰ δὲ καθ' αὑτὰ οὐδέτερα αὐτῶν οὐδενὸς ἄξια εἶναι. Si quid Totum bonum est, eius quoq; partes bonæ erunt, ut quando εὐνομία definitur τὸ καλῶς τοὺς νόμους κεῖσθαι, καὶ τούτοις ἐμμένειν. Et εὐγένεια, ut sit ἀρχαῖος πλοῦτος, καὶ ἀρετή. E regione accidit, ut definiatur neutrum bono uel malo perperam, ut bonum opus si quis definiat, quod proficiscatur à fide & charitate. Bona enim opera sunt neutra, atq; uel integrum quiddam sunt, & uerum ex fide & charitate, uel simulatum & uitiosum, seu hypocriticũ, ex contrarijs partibus. Iam si compositi definitio complectatur bonum & malum, & bonum quidem malo præstet, id est, alterum sit magis bonum, quàm alterum malum, compositum quoq; ex his, bonum potius quàm malum censendum erit. Vt Voluntarium cũ

Aristot. in Rhetoricis.

Bonum opus & iustũ ex neutris rebus.

præstet inuoluntario. Mixtæ uero & compositæ sint quædam actiones, ut Iactura in naufragio, ex uoluntario scilicet, & inuoluntario, potior autem sit ratio uoluntarij quàm inuoluntarij, bonum scilicet magis Iacturam erit, quàm non iacturam facere, quod ad actionem ipsius qua fit, attinet, propterea quod magis uoluntarium respicit etiam magis bonum. Vnde illud Terentianum, Iacturam facere in loco pro lucro est deputandum. In Panurgia seu calliditate Bonum inest nempe δεινότης & acumen ingenij, item malum, quo propter nequitiam collimare consilia sua ad hunc scopum possunt callidi, ut prosint sibi, & noceant alijs, quod magis est malum, quàm bonum sit mentis acies, quamobrem panurgia, definitum scilicet, in malis erit.

Iacturam facere, quare melius sit quàm deterius.

Impudentiam in malis esse nemo negat: hanc nonnulli definiunt, Fortitudinem cum falsa opinione, sed perperam. Quoniam fortitudo cum sit magis bonum, quàm malum falsa opinio. Impudentia ex bonis potius, quàm ex malis erit. Sed ipsam ex malis esse nemo dubitat, quare eius non ritè constituta erit definitio. Impudentiam summum esse flagitium Plato scribit ἐν πολιτείᾳ ad hunc modum, ἆρ' οὖν οὐκ ἂν Νομοθέτης καὶ πᾶς οὗ καὶ σμικρὸν ὄφελος, τοῦτον τὸν φόβον ἐν τιμῇ μεγίστῃ σέβοι; καὶ καλῶν αἰδῶ τὸ τούτων θάρρος, ἐναντίον ἀναίδειάν τε προσαγορεύει καὶ μέγιστον κακὸν ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ πᾶσι νενόμικε.

Impudentia.

Pacientia, compositum quiddam ex calamitatibus est, & æquitate animi, & magis bonum est, æquo esse animo, quàm calamitosum esse sit malum, idcirco pacientia quoq; numeranda in bonis, & non in malis erit. Quam si quis abiectione animi definiat & ærumnis, rem, & affectum animi bonum, non bonis definiet partibus, quod paulo ante repræhensum est definitionis genus. Tributum, est quiddam compositum ex detrimento priuatarum opum, & subsidio publicæ neceßitatis. Quod si subsidium hoc magis sit bonum, quàm detrimentum sit malum, quid ni ex bonis habeatur tributum? Et supplicium, quo persequimur pœnas à sceleratis: hoc nomine in Bonorum genere est, quo melius est multos conseruare, quàm sit malum paucos è medio tolli. Illa ferè omnia dicuntur ex hypothesi, Bona, in quibus nimirum definiendis Species aliqua mali est adiungenda. Definitio tenuis Dietæ in morbis acutis, finiente causa sic definitur, ut sit suppeditatio paucioris nutrimenti, quàm par sit

Impudentia summũ malum.

ad uirium robur pristinum conseruandum, quo morbis minore difficultate uincere & donare poßit natura, atq; eius materiam concoquere. Duo sunt hac in definitione, quorum alterum bonum est, alterum malum, sic tamen composita, ut totum sit bonum. Etenim magis bonum est concoqui morbum, quàm malum sit detractio nutrimenti, quare ex utrisq; compositum etiam, id est, tenuis diæta, bonum erit, ac comparatione contrarij melius quiddam. Contraria uero est in acutis morbis crassa diæta, ei quæ dicitur tenuis. Similia multa sunt in artibus sic composita, quæ suo Marte addere exempla huic loco quispiam poterit. Proinde comparatorum secundum melius & deterius in talibus compositis, tametsi constet utrum sit melius, non tamen satis interdũ liquet de partibus quæ pro bonis numerantur, utra sit melior. Ut in præsenti exemplo, bona sunt ambo. Reficere uires pleniore nutrimento, & materiæ morbi concoctio. Utrum tamen sit melius in morbis profligandis non satis liquet. Aristoteles regulam quandam in Analyticis prioribus tradit, qua ex compositorum collatione depræhendi partium quoq; secundum melioris exuperantiã differentia poßit. Sint duo quorum unum melius & optabilius sit altero, eaq; sint opposita, ut in acutis morbis, melior sit tenuis diæta quàm crassa. Prioris nota sit α, & posterioris. β. Deinde comparentur eodem modo inter se uirium refectio & earundem mediocris, aut nulla instauratio. Meliori sit & priori nomen δ. deteriori atq; alteri sit nota. γ. Compositis α. & γ, item δ. & β. ex æquo bonis existentibus, α. scilicet melius quiddam non erit ipso. δ. Quod si. δ. melius quid esse positum sit, quàm α quod ei additur malum, nempe β. minus malum erit quàm γ. quod nimirum sit oppositum ipsi α. minori bono quàm sit δ. Quandoquidem ex Hypothesi minus malum minori opponitur bono. Quapropter δ. β. quiddam melius erit quàm α. γ Sed initio positum est, α. γ. præstare ipsi δ. β. Modò autem ostensum δ. ipsum neq; æquale esse bonitate, neq; etiam melius esse ipso. α. Ex neceßitate igitur minus quiddam bonum erit δ. id est, uirium refectio in acutis morbis, quàm. α. nempe concoctio morbi, quod demonstrandum proponebatur. Imperiti sæpe definiunt uitiosum & deterius definitione composita, qua res significari & exprimi

primi debeat bona & laudanda, quod Aristotelis hoc exemplo liquet, definitione nimirum hac ἀναιδείας. *Similes sunt huic aliæ quoq; definitiones uitiorum, quæ peruersis animis & iuditijs hominum speciosis boni rationibus & partibus contexuntur, & contra, uirtutes spoliari suis partibus, & alienis atq; contrarijs uitiorum nominibus traduci turpiter solent apud homines prauitate morum & uitæ perditos. Hi sane, ut Plato scribit,* τὴν αἰδῶ ἠλιθιότητα ὀνομάζοντες ὠθοῦσιν ἔξω ἀτίμως φυγάδα, σωφροσύνην δὲ ἀνανδρίαν καλοῦντές τε καὶ προπηλακίζοντες ἐκβάλλουσι, μετριότητα δὲ καὶ κοσμίαν δαπάνην ὡς ἀγροικίαν καὶ ἀνελευθερίαν οὖσαν πείθοντες ὑπερορίζουσι μετὰ πολλῶν καὶ ἀνωφελῶν ἐπιθυμιῶν. Σφόδρα γε. Τούτων δέ γε που κενώσαντες καὶ καθήραντες τὴν τοῦ κατεχομένου ὑπ᾽ αὐτῶν καὶ τελουμένου ψυχὴν μεγάλοις τέλεσι, τὸ μετὰ τοῦτο ἤδη ὕβριν καὶ ἀναρχίαν, καὶ ἀσωτίαν, καὶ ἀναίδειαν λαμπρὰς μετὰ πολλοῦ χοροῦ κατάγουσιν ἐστεφανωμένας ἐγκωμιάζοντες καὶ ὑποκοριζόμενοι. ὕβριν μὲν παίδευσιν καλοῦντες, ἀναρχίαν δὲ ἐλευθερίαν, ἀσωτίαν δὲ μεγαλοπρέπειαν, ἀναίδειαν δὲ ἀνδρίαν. *Itaq; ut uitiosa finitio est* ἀναιδείας, *qua dicitur* ἀνδρία μετὰ ψεύδους δόξης, *ita quoq;* ἀσωτίας *erit uituperanda finitio si dicatur esse* μεγαλοπρέπεια μετὰ ψεύδους δόξης, *& similium uitiorum quorum in finitionibus falsò, tanquam partes uoculæ usurpantur uirtutum. Proinde in compositis his, si fuerit unum magis bonum, quàm alterum malum, totum quoq; aut simpliciter bonum erit, aut comparatione melius, nempe ex hypothesi bonum. Vt simpliciter totum sit bonum non est necesse, non existentibus utrisq; partibus bonis. Eadem ratio est mali. Est ergo Hypothesi bonum, & comparatione melius, quando bonum quod iungitur cum malo, magis est bonum quàm alterum sit malum, cuius mentionem in Politicis quoq; facit Aristoteles. Liquent hæc omnia exemplis supra positis. Hactenus de bono quod totius rationem obtinet, quas partes & differentias habeat, diximus, quoad nimirum ipsum per se consideratur bonum, non autem respectu cuiusdam effectus, cuius causa interdum etiam tanquam totum quiddam, est composita. Ea uero ut sit ex numero bonorum, necesse non est ut ambas partes bonas habeat, uel ut alteram (quod de duabus, idem intelligi par est de pluribus partibus) sed potest fieri, ut ambabus partibus separatim inutilibus ad gignendum effectum compo-*

sitis totum constituatur utile. Aut utrisq; separatim utilibus, compositis, totum inutile, aut interdum etiam aliquid quod noceat conſletur oportet. Tota igitur & concreta ex bonis, tanquam partibus, non item ipsa necesse est esse bona, si rationem habeant efficientis causæ. Idem iudicandum de malis. Vt uerbi gratia. Si sub ratione medicamenti quis oleum, & æruginem definiat. Vtrunq; certè separatim, autore Galeno, uulneribus curandis accommodatum non est, quum altero adhibito sordescat hulcus, altero, propter acrimoniam erodatur. Sed utrisq; simul mixtis & compositis, idoneum & utile efficitur medicamentum sanandis saucijs. Idem exempli erit si quis probare uelit ex bonis constitutum totum interdum esse malum, ut sunt quæ diuersis temporibus utilia sunt & salutaria, ea si uno quodam tempore adhibeantur. Ventriculo pituitoso, primum dissecantia & repurgantia glutinosos humores & tenaces adhibenda, posterius adstringentia. Simul admota, uehementer nocent, quo nomine uituperatur à Galeno absynthij usus. Nam inualidiore ipsius amaritudine non abstergitur pituita, efficatiore scilicet astrictione existente, qua pituitosus humor affigitur uentriculo & adglutinatur, Eadem in simplicibus ualet ratio. Quam enim ad multa, ut Plato ait, utile est oleum? & rursus, quam est in multis inutile aut nocens? ut hac ratione quidem, autore Galèno, nullum dici bonum, nedum optimum medicamentum poßit. Veruntamen id interest inter simplicia istius Generis bona & mala, atq; composita, quòd nimirum compositorum ratio quædam & definitio non nisi ex partibus colligitur. Siquidem Empirici bonum medicamentum definiunt non nisi bonis separatim & accomodatis ad curandum affectum partibus, quam mixtionem ut ineptam, comparat Galenus confusis inter se cribris, quibus aut nihilo fiunt angustiora foramina, aut unum cribrum alterius utilitatem impediens inefficacem totius compositi uim efficiunt. Plato in extremo Euthydemi, ostendit huius loci argumento, Sophistam, qui profiteatur scientiam compositam ex Philosophia & Politica, eum non modo non esse utroq;, Philosopho scilicet & Politico, meliorem, sed deteriorem etiam. Et uero contemplando, & gerendis rebus, Sophisticæ nullum usum

Sophista compositũ quasi monstrum ex Philosopho

usum esse ostendit Plato, quod ipsum Aristoteles etiam in extremo libri decimi Ethicorum rationibus quibusdam planum facit. Ambabus bonis disciplinis (Philosophica nimirum & Politica) usu & fine tamen comparari utramq; constat, nec ullius rei perfectum habitum acquiri nihilominus: nisi unum, ut Plato ait in Polit. t, dirigatur ad unum. Quantum inter Politicos & Philosophos non modo studijs sed moribus etiam & institutis uitæ intersit, pluribus locis apud Platonem scriptum reperitur, quæ breuitatis causa in præsentia duxi omittenda. In utroq; cum Sophista conetur excellere, neutrum assequitur tamen, ut nec Philosophi, nec Politici munus utiliter præstare & exequi poßit, ex utrisq; bonis artibus conflatam profeßionem uenditans, neutrius tamen functionem benè exercens. Vtroq; Sophistam deteriorem esse, & penitus nullius pretij, docet in Euthydemo sic scribens. Σω. καὶ γὰρ ἔχει οὕτως ὦ κρίτων, εὐπρέπειαν μᾶλλον ἢ ἀλήθειαν, οὐ γὰρ ῥᾴδιον αὐτοὺς πεῖσαι ὅτι καὶ ἄνθρωποι καὶ τ' ἄλλα πάντα ὅσα μεταξύ τινοῖν δυοῖν ἐστὶ καὶ ἀμφοτέροιν τυγχάνει μετέχοντα ὅσα καὶ ἐκ κακοῦ καὶ ἀγαθοῦ, τοῦ μὲν βελτίω, τοῦ δὲ χείρω γίγνεται. ὅσα δὲ ἐκ δυοῖν ἀγαθοῖν μὴ πρὸς ταυτὸν, ἀμφοῖν χείρω πρὸς ὃ ἂν ἑκάτερον ᾖ χρηστὸν ἐκείνων ἐξ ὧν συνετέθη. ὅσα δὲ ᾖ δυοῖν κακοῖν συντεθέντα μὴ πρὸς τὸ αὐτὸ ὄντοιν ἐν τῷ μέσῳ ἐστὶν, ταῦτα μόνα βελτίω ἑκατέρου ἐκείνων ἐστὶν ὧν ἀμφοτέρων μέρος μετέχουσι. Εἰ μὲν οὖν ἡ Φιλοσοφία ἀγαθόν ἐστιν, καὶ ἡ πολιτικὴ πρᾶξις, πρὸς ἄλλο δὲ ἑκατέρα, οὗτοι ἀμφοτέρων μετέχοντες τούτων ἐν μέσῳ εἰσὶν, οὐδὲν λέγουσι· ἀμφοτέρων γάρ εἰσιν φαυλότεροι. Εἰ δὲ ἀγαθὸν καὶ κακὸν, τῶν μὲν βελτίους, τῶν δὲ χείρους. Εἰ δὲ κακὰ ἀμφότερα, οὕτως ἄν τι λέγοιεν ἀληθές· ἄλλως δ' οὐδαμῶς. Οὐκ ἂν οὖν οἶμαι αὐτοὺς ὁμολογῆσαι οὔτε κακὼ ἀμφοτέρω αὐτὼ εἶναι. Οὔτε τὸ μὲν κακὸν, τὸ δὲ ἀγαθόν· ἀλλὰ τῷ ὄντι οὗτοι ἀμφοτέρων μετέχοντες, ἀμφοτέρων ἥττους εἰσὶν πρὸς ἑκάτερον πρὸς ὃ ἂν ἥτε Πολιτικὴ καὶ ἡ Φιλοσοφία ἀξίω λόγου ἐστόν. Καὶ τρίτοι ὄντες τῇ ἀληθείᾳ ζητοῦσι πρῶτοι δοκεῖν εἶναι. *Ad sequentem locum intelligendum ista facient etiam, quæ ob id prolixius describenda ex Platone esse ratus sum.*

& Politico, utroq; deterior.

LOCVS LXXXIIII.

IAm illud quoq; videndum, an ex meliore & deteriore parte aliquid constare dicatur: quorum meliore, Totum non sit deterius, & deteriore præstantius. Quan-

quam autem hoc non est necessarium, nisi per se sint ea, ex quibus illud concretum est, in bonis, tamen nihil prohibet interdum, totum in bonis haud numerari, quod in ijs, quæ modo commemoraui perspici licet.

In rebus ex meliore & deteriore compositis, si totum meliore non sit deterius, & deteriore melius, sed uel utroq; melius, uel utroq; deterius, totum non rite partibus his definitum esse censendum est. Media enim est natura compositorum ex partibus hoc modo discrepantibus, id est, absolutè meliore, deterior, & absolutè deteriore, melior. Ut si Dæmon generatum quiddam ex Deo & Heroë definiatur, unius natura erit inferior, alterius, superior & eminentior, quodammodo Deus & Homo. Deo inferior, ut pote humanum quiddam & heroicum habens, præstantior homine, quia diuinæ cuiusdam naturæ sit particeps. Argumento hoc Socrates in Apologia refellit accusationem Meliti, qua criminabatur, ipsum negare Deos. Si fateor Dæmonas esse, ait Socrates, qui possum inficiari Deos esse? Dæmonas enim esse censeri, qui sint progenies Deorum, & quos constet esse genitos ex Dijs & Heroibus. Plato in Symposio docet, amorem esse Dæmonem genitum ex Poro, id est, abundantia omniũ rerum, tanq; patre, & Penia, id est, inopia, tanquam matre. Patre igitur inferior erit Amor, & matre præstantior, ὥστε ἐν μέσῳ ὄντα ἀμφοτέρων τῶν θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων συμπληροῦν ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ ξυνδεδέσθαι. *Illo loco perspicitur error Schuuenckfeldij, qui constitutum ex geminis naturis Christum, diuinæ ipsum duntaxat asserit naturæ, nec causa unius naturæ Deo inferiorem ipsum esse censet, & respectu naturæ alterius homine eminentiorem, sed utraq; æqualem Deo. Quare constat ab ipso, Christum seruatorem humani generis non ritè definiri. Mens quoq; humana composita ex meliore & deteriore, sic comparatur suis partibus, ut mente agente, quam* τιμιωτέραν *appellat Aristoteles, sit ignobilior, Pacienti uero præstet ac melior existat. Valet Locus duntaxat in his, quæ per se sunt meliora ac deteriora, non respectu efficientiæ cuiusdam. Ut uerbi gratia, Lithargyrum, melius est quibusdam uulneribus adhiberi, quàm æruginem. At ex*

utrisq;

utrisque compositum emplastrum interdum præstat utrique. Præterea, melior est Philosophus Politico, utroque deterior tamen est Sophista. Ratio præcedente loco est exposita.

LOCVS LXXXV.

ILlud etiam videndum, eodem ne nomine totum & pars altera appellentur. Non enim debet, sicuti nec syllabæ quidem. Quoniam nec syllaba, nec quicquam eorum Elementorum, ex quibus constat, eodem appellantur nomine.

Reprahenditur præterea definitio, in qua Totum, ut pars altera, ponitur tanquam Synonymum definiti. Vt si quis definiens Fœlicitatem, dixerit eam esse bona externa cum Fœlicitate, seu actione uirtutis coniuncta. Si, ut Socrates opinatur in Alcibiade, homo est Anima, profecto hominis, ut συνόλου, definitio hæc non erit, ut sit ex corpore & anima constitutum quiddam. Definito enim synonymum, ut monemur hoc loco, in definitione nihil includi oportet. Vsurpari συνωνύμως interdum Animæ uocabulum respectu hominis Aristoteles etiam subindicat in Metaphysicis, ita scribens, εἰ μὴ καὶ ἡ ψυχὴ ἄνθρωπος λέγεται. Definiendo igitur totum, partibus ipsum non est adnumerandum, ut summum bonum, reliquis bonis. Nam totum est perfectum quiddam: quamobrem si partibus aliis adnumeretur, totum & perfectum esse desinet, Hinc est quod Aristoteles dicit, Fœlicitatem aliis bonis additam non constituere summum bonum, sed ipsam per se esse Summum. Quod si adnumeratione constitueret summum, ei addito etiam quodam minimo, optabilius quiddam constitueretur & perfectius, nempe integrius quiddam & magis totum. At illud est derogare Toti, non definire ipsum, quare in partibus non erit numerandum. Falsæ sunt definitiones hæ fœlicitatis populares sanè & communes, quas commemorat in Rhetoricis Aristoteles, ut si quando dicitur. εὐπραξία μετ' ἀρετῆς. Et, βίος ἥδιστος μετὰ ἀσφαλείας. Nec sanitas erit, quæ cum cœteris sanitatem facientibus rebus ua-

Scripturæ quoque sacræ animæ uocula utitur pro uocabulo hominis.

lidum reddat corpus. Id uero ipsum nihil aliud est, quam totum adnumerare partibus. Quare nec cum alijs, quatenus definitur, totum numerandum est (συναριθμεῖσθαι enim abhorret, & alienum est à perfectione) nec sine alijs, tanquam partibus suis definiendum, non quia cum his componatur, sed quatenus ex illis constituatur totum. Vt Fœlicitas ex his, quibus actio uirtutis exercetur. Et Sanitas, quibus comparatur & absoluitur habitus talis. Idem iudicandũ de reliquis. Totum qualibet parte esse maius, & partem toto minorem esse, constat inter omnes. Ergo necesse est ut plura bona, uno, aut paucioribus, sint maius bonum, quandoquidem maius, ratione exuperantiæ contineat in se minus, & pars sit, minus, aut unum maioris. Valet hæc ratio in Vno & Paucis, quæ possunt & solent alijs adnumerari. Nam si quæ non adnumerantur, ut quæ per se Tota sunt & perfecta, in his multitudine & additamento non ponderatur Melius. Sic Aristoteles in primo libro Rhetoricorum ἀνάγκη τὰ πλείω ἀγαθὰ τοῦ ἑνὸς καὶ τῶν ἐλαττόνων (συναριθμουμένου τοῦ ἑνὸς ἢ τῶν ἐλαττόνων) μεῖζον ἀγαθὸν εἶναι· ὑπερέχει γάρ, τὸ δὲ ἐνυπάρχον ὑπερέχεται.

LOCVS LXXXVI.

Vitiosum etiam est, rationem constitutionis & modũ non exponere. Non enim satis est ad declarandum aliquid, id ex his uel illis constare dicere: quippe cum eorum omnium, quæ constituta sunt vis & natura, non sit ex his vel illis constare, sed hoc vel illo modo ex his vel illis effici. Id quod animaduerti licet in domo. Neque enim si quæ res quouis modo disponatur continuo Domus erit.

Non satis est, ex quibus partibus coagmentatum aliquid sit definiendo exprimere, sed addenda etiam est compositionis forma, sine qua partes hæ totum dici nequeunt. Neq; enim ex materia sine specie efficitur quidpiam. Nam ut quæq; res præsertim sua est speciês, & non materia, ita Totum, forma totius est magis quàm partes suæ

suæ. Domus equidem non est partes suæ ex quibus sit, sed compositio & forma quædam partibus his coagmentata. Nec caro elementa ipsa est, è quibus nascitur, sed species quædam certa mixtione Elementorum prouenіens. Nec syllaba est literæ ipsæ, quum sit forma quædam tanquam in materia literarum. Quoniam autore Aristotele. οὐ γάρ ἐστιν ἡ σύνθεσις καὶ ἡ μίξις ἐκ τούτων ὧν ἐστιν ἡ σύνθεσις ἢ μίξις. ὁμοίως δὲ οὐδὲ τῶν ἄλλων οὐδέν. οἷον οὐδὸς θέσει, οὐκ ἐκ τοῦ οὐδοῦ θέσις, ἀλλὰ μᾶλλον οὐδὸς ἐξ ἐκείνης. ἀλλὰ τί δεῖ εἶναι ὃ παρὰ ταῦτά ἐστιν, εἰ ταῦθ' ὕλη, οὔτε δὲ στοιχεῖον, οὔτ' ἐκ στοιχείου, ἀλλ' ἡ οὐσία, ὃ ἐξαιροῦντες τὴν ὕλην λέγουσι. *In hanc repræhensionem cadunt plerorumque ueterum Physicorum definitiones, qui naturam aliud nihil esse dicunt, quàm Elementa & partes suas, ut eius hæc est, qui dixit,* φύσις οὐδενός ἐστιν, ἀλλὰ μόνον μίξις διάλλαξίς τε μιγέντων. *Si ergo materia rei non est ipsa res & forma, sed* αἴτιον τοῦ εἶναι καὶ οὐσία τοῦτο, αὐτὴν ἂν τὴν οὐσίαν οὐ λέγοιεν. *Loquitur autem de Physicis Naturam rei finientibus materia.*

LOCVS LXXXVII.

QVod si quid esse hoc cum illo definiat, primum dicendum, an pro eodem usurpet, Si hoc cum illo, aut cum illis aliquid dicat, perinde atque si diceret. Hoc ex illis. Qui enim dicit aliquid esse mel cum aqua. Is, vel mel & aquam dicit esse, uel ex melle & aqua constare. Ita si vtrumuis horum idem esse concedat ei quod dicitur, esse hoc cum illo aliquid, eadem omnino sumenda sunt argumenta, quæ ad refellendum supra exposuimus.

Aliâs quòd partes sint totum, aliâs uero, quòd totum sit ex partibus constitutum, dicimus. In his, quæ ut aceruus sunt unum & totum, partes sunt & dicuntur Totum esse, quibus per se Vnum non constituitur. In unius enim speciem substantiæ non coalescentibus, partibus compositum propter partes οὐσίᾳ *discrepantes, multa est, & non unum suapte essentia, quæ tam est multiplex, quàm multæ sunt partes, Totum per Accidens constituentes. Reuera quidem Species naturalis, qua Substantia*

constituitur, non est separabilis, sed ratione duntaxat. Artifitiosæ species (quoniam compositione finiuntur naturalium substantiarum) ne ratione quidem separari possunt à suis quibus constituuntur partibus, quibus compositio hæc accidit, ταῦτα γὰρ μὴ ἐστιν παρὰ τὰ τινὰ, οἷον οἰκία ἢ σκεῦος, autore Aristotele libro н. Metaphys. Unum enim, quo una constituitur ex multis substantia, materia non est, sed species, atq; in numero ἀρχῶν. Quo ex numero accidentia non sunt, quibus causa mixtionis aliquid interdum constituitur, ut Oxymel, melicratum, Theriaca, quæ sunt omnia secundum accidens totum & unum, perinde ut Hemitritæus quoq; unum est, qui nihil aliud sit quàm continua febis quotidiana cum intermittente tertiana. Melicratum certè si definiatur potus, qui sit mel & aqua, uel mel cum aqua, nihil aliud, si ad οὐσίαν respicias, quàm materiam dixeris partibus descriptam. Unum uero & totum substantia non est, sed accidens quoddam, quoniam ex his unum per se nihil fit, quemadmodum ex his quæ suapte natura, non artis quadam industria, misceri solent. Quapropter substantiæ suæ causa Melicratum est aqua cum melle, aut quod perinde similiterq; dicatur, aqua & mel, non autem ex aqua & melle generata quædam substantia. Forma enim mixtionis Melicrati substantia non est, sed accidens. Materia autem, quæ est substantia, ea non est unum: sed multa quædam, quoniam autore Aristotele, ἀδύνατον οὐσίαν ἐξ οὐσιῶν εἶναι ἐνυπαρχουσῶν οὕτως ὡς ἐντελεχείᾳ. τὰ γὰρ δύο οὕτως ἐντελεχείᾳ, οὐδέποτε ἓν ἐντελεχείᾳ, ἀλλ' ἐὰν δυνάμει δύο ᾖ, ἔσται ἕν. οἷον διπλασία ἐκ δύο ἡμίσεων δυνάμει γε. ἡ γὰρ ἐντελέχεια ἐν ἄλλοις χωρίζει. ὥστε εἰ οὐσία ἕν, οὐκ ἔσται ἐξ οὐσιῶν ἐνυπαρχουσῶν. Καὶ κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον, ὅν λέγει Δημόκριτος ὀρθῶς· ἀδύνατον γὰρ εἶναι φησὶν ἐκ δύο ἕν, ἢ ἐξ ἑνὸς δύο γενέσθαι. Τὰ γὰρ μεγέθη τὰ ἄτομα τὰς οὐσίας ποιεῖ. Ostendimus rationem ob quam non omne totum per essentiam sit unum, idq; aliud nihil est quàm suæ partes, non autem ex partibus concreta quædam substantia. Aliquid esse cum aliquo (qua formula interdum definimus totum) duplicem habet interpretationem. Una est, ut tantundem significet atq; si diceretur, totum esse, Hoc & illud. Altera, ut significet. Hoc ex illis constitutum. Tota utriusq; modi quomodo sint refellenda, superioribus dictum est locis. Lac si quis definierit esse butyrum cum

sero,

sero & caseo, idq; interpretur sic, ut sit, butyrum, serum & caseus, per accidens definivisse totum uidebitur. Si uero sic exponat, ut ex illis, tanquam proxima materia, generatum Lac affirmet, consentanea substantiæ totius erit definitio. Vinum ipsum per se aliquid est ex quibusdam elementis & partibus, tanquam materia, generatum. At in musto, per accidens uinum est cum flore & fece mixtum quiddam. Mustum per se ex illis miscetur in uuis, Vinum per accidens. Vt hæc secundum accidens Musti sit definitio, quæ dicitur esse uinum mixtum cum prius nominatis partibus, ut hæc quoq; Lactis est, quæ dicitur butyrum esse cum sero, & caseo. Quare lac nihil aliud erit quàm butyrum, serum, & caseus, nempe unum secundum accidens, atq; item mustum per accidens totum erit, quod falsum tamen esse constat. Sanguis item ex quatuor humoribus est quiddam generatum, sed secretione totius in partes facta, sanguis syncerus & purus priori Homonymos, tanquam pars relinquitur. At in secretione lactis pars toti ὁμώνυμος non relinquitur. Neq; uerò definitio hæc erit οὐσιώδης sanguinis eius quo corporis particulæ nutriuntur omnes, si dicatur esse, Sanguis, cum utraq; mixtus bile & pituita: siquidem definitione hac significetur οὐσία materiæ, & non formæ totius. Ita ferè Physici ueteres naturas rerum definierunt (ut aliâs prolixè ostendimus) quippe arbitrati sunt rem quamq; nihil aliud quàm materiam suam esse, qua tamen finitione non τί ἐστι, sed ὅτι ἐστὶ totius declaratur. Argumenta ex locis superioribus requirenda esse admonet Aristoteles, quoniam geminam hanc interpretationem habet (quam dixi) formula hæc, qua dicitur totum ratione partium esse, τόδε μετὰ τῶνδε.

Semen & fructus separabiles sunt οὐσίαι ab his animatis rebus quibus generantur. Horũ alterum est ex quo nascitur animatum, alterum quod generatur ab animato.

LOCVS LXXXVIII.

DEinde diuisione adhibita, quot modis aliquid cum aliquo dicatur esse, an aliquo modo, hoc, cum illo sit, uidendum erit. Vt si dicatur aliquid esse cum alio, uel ut

in aliquo eodem, quo insint primo, uelut iustitia & fortitudo in animo insunt. Vel in eodem loco, uel in eodem tempore, & nullo modo quod definitur, de his uerè tamen dicatur, profectò nullius erit propria & uera, ea quæ constituta est, definitio, quandoquidem nullo istorum modorum: Hoc cum illo est.

Illud, quod cum alio quopiam constituit rem definitam, partes hoc modo comparatas habebit, ut simul sint, quoad nimirum uel in eodem primo subiecto insunt, uel eodem loco, uel eodem tempore. Definiendis compositis materijs, uel accidentibus, Genus illud est destinatum. Vt uerbi gratia, composita lactis est materia. Et compositum accidens est Adolescentia, ex nutricatione & incremento. Et Lethargus, quatenus uocabulum est Symptomatis, definitur esse grauis & contra naturam sopor, cum febre. Qua ratione complicari ferè solent παθογνωμονικὰ signa, quibus nimirum ὅτι ἐστὶ morborum cognoscitur, quorum συνδρομὴν contingit interdum uno comprehendi uocabulo Symptomatis, quod huiusmodi partibus definiendum sit. At partes illæ Vnum & Totum, esse, aut dici non possunt, nisi modorum trium istorum quopiam determinetur unitas, qui paulo ante à nobis sunt positi. Nam si nullo horum modorum partes hæ unum quid & simul fuerint, totum quoque nullum esse, quod his partibus finiatur, censendum est. Adolescentiam, ut dixi, definimus, esse Nutricationem cum incremento. Ambo hæc in eodem primo subiecto insunt. Idem enim subiecto est nutrimentum quo utrunque fit, & in quo, corpus scilicet adolescens, unum est & idem. Nec loci, nec temporis, quemadmodum nec subiecti (quod pertinet ad adolescentiam) in his est duobus ulla discrepantia. At Nutricationem non rectè definieris esse uegetationẽ corporis cum eiusdem incremento, Nam uegetatio & subiecto & tempore separatum quid ab incremento esse potest. Sic Melancholia est dementia cum timore uano, quoniam ambo hæc in eodem primo insunt subiecto, ac Melancholiæ πάθος seu Symptoma constituunt. Subiecti, temporis, & loci unitas, quæ rebus tribuuntur propter materiam, has partes

tes describunt, quæ totius speciem causa materiæ constituunt. Mustum species est, quæ ex quatuor generata elementis in botris dicitur. Illud ipsum definitur quoq; uinū esse cum suis excrementis mixtum. Hæ partes sunt, in quas tanquam materiam proximam, diuiduum est mustum, ut corpus quoddam ἀνομοιομερὲς, quarum si una posset abesse, ut nihilominus sit mustum, non benè constituta hæc ipsius esset definitio. Partes materiæ differunt à partibus composito ex materia & forma: posterioribus, quòd nimirum illarum una detracta ex toto, corrupto toto, superesse poßit, harum uero partium si quæ ex toto sit resecta, ut si brachium, uel pes amputetur, totum quidem non pereat, pars autem nomen & rationem suam amittat. Tametsi utroq; in Genere Totum sit & appelletur ἀνομοιομερὲς, nihilominus hoc interest, quòd illis totum suo quodam modo definiatur, hæ uero toto suo quo sunt posteriores, finiantur: de his tamen aliâs plura diximus. Proinde musculus quoq; rectè finietur hoc modo, si dicatur esse Caro cum neruis & ligamentis mixta. Si quæ partium istarum desideretur, musculus non erit. Secretis enim loco perimitur totum, concretis autem totius substantia integra est & perfecta. Quin etiam definitio hæc non uera est Phantasiæ, quæ dicitur Opinio cum sensu. Quòd enim respectu Phantasiæ non sint in eodem πρώτῳ δεκτικῷ partes illæ, ex eo est euidens, quoniam sensu, etiam sine opinione phantasia inest animali. Aristoteles uirtutem ait esse rectam rationem nequaquam, ut uisum Socrati fuit, Sed habitum moris cum recta ratione. Etenim participata ratio & habitus moris in eodem primo insunt subiecto, ac uirtutis causa, quæ est & definitur ut Totum quiddam, separari nequeunt partes illæ. Syllogismus ratione materiæ suæ sic definitur, ut sit maioris cum minore legitima combinatio. Separatis partibus his, nihil colligitur Syllogismo. Superuacaneæ sunt partes quæ adduntur, probatio maioris scilicet, et minoris: nā his detractis nihilominus integer est Syllogismus. Difficile est intellectu quomodo uirtus, ut totū, definiatur omnibus speciebus sic, ut necesse sit, qui unā habeat, præditū esse omnib. Alioqui species uirtutū separatas esse, & aliquē

esse iustum, ut tamen fortis non sit, & ratione notum, & experientia est. Itaq; uirtus, quatenus καθόλου speciebus suis, tanquam partibus, non finitur simul omnibus existentibus, Sed quoad earum omnium unum est quoddam & πρῶτον δεκτικόν, nempe Prudentia, quæ est habitus uirtutis perfectus, qui simul omnes uirtutes contineat, pro eo, ut anima facultates & δυνάμεις continet suas, tanquam totum quoddam, in quo primo insint omnino indiuiduè, quas tamen informatione corporis & separabiles, & diuiduas esse constet. Haud longè secus perfecta prudentiæ uirtus nihil aliud est, quàm omnes uirtutes connexæ inter se & consociatæ propter rationem rectam, in nulla re hallucinantem aut cœcutientem συνέζευκται γὰρ ἡ φρόνησις τῇ τοῦ ἤθους ἀρετῇ, καὶ αὕτη τῇ φρονήσει εἴπερ αἱ μὲν τῆς φρονήσεως ἀρχαὶ κατὰ τὰς ἠθικάς εἰσιν ἀρετάς, τὸ δ' ὀρθὸν τῶν ἠθικῶν κατὰ τὴν φρόνησιν. Quod si uel una defuerit ex uirtutibus (cùm sit prudentia architectonica, & omnib. expleta uirtutibus) non erit quod esse dicitur totũ, sed uirtutes duntaxat quædam erunt & particulæ prudentiæ, non autem ipsa prudentia, propter quam ἁπλῶς & κυρίως dicitur quispiam bonus. Cuiusq; sane singularum specie differentium uirtutum δεκτικὸν πρῶτον est, εὐφυΐα, quæ in hominibus, pro uarietate ingeniorum est multiplex, nec totam ex omnibus partibus constituens uirtutem. quia alius alio in genere bonus, et frugi dici consueuit. καθ' ἃς δὲ ἁπλῶς λέγεται ἀγαθὸς, οὐκ ἐνδέχεται. ὅτι οὐχ' οἷόν τε εἶναι ἀγαθὸν κυρίως ἄνευ φρονήσεως, οὐδὲ φρόνιμον ἄνευ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς. ἅμα γὰρ τῇ φρονήσει μιᾷ οὔσῃ πᾶσαι ὑπάρξουσι. Temporis causa partes sic discrepant: ut si definiens Fœlicitatem, dicat eam esse actionem secundum uirtutem, cum affluentia bonorum. Aliquando enim fit ut Fœlix egeat. Sed in definitione μακαρίου adijci pars hæc potest. χρήσαιτο δ' ἂν ὁ σπουδαῖος ἀνὴρ καὶ πενίᾳ καὶ νόσῳ καὶ ταῖς ἄλλαις τύχαις ταῖς φαύλαις καλῶς. ἀλλὰ τὸ μακάριον ἐν τοῖς ἐναντίοις ἐστίν. Exemplorum satis est, nunc ad sequentem accedemus Locum.

LOCVS LXXXIX.

SIn diuisione adhibita, quot modis aliquid cum altero esse dicatur, uerè sit in eodem tempore vtrumq;, uidendum

dum est, si non vtrumque ad eundem finem pertinere possit. Vt si quis Fortitudinem definiat, Confidentiam cum recta ratione. Fieri enim potest, ut Confidentia preditus sit aliquis ad spoliandum, recta vero ratione valeat cognoscendis rebus salubribus.

Partes, ut totum aliquid esse intelligatur, simul sint oportet ijs, quib. diximus modis, quos nimirũ complectitur formula hæc definiendi, Hoc cum illo aliquid esse definiens. Sed fit interdum, ut simul illæ quidem sint, sed ad diuersos referantur fines, propter ambiguitatem scilicet alterius partis, ut in exemplo posito. Recta ratio, non modo periculis adeundis est accommodata, sed etiam obeundis quibusuis alijs negotijs. Quare finis respectu, pars hæc definitionis erit limitanda. Hoc modo possent definiri uirtutes omnes, quas apud Platonem Socrates appellat εὐήθεις. Vt Temperantia si diceretur, Abstinentia uoluptatũ cum recta ratione. Ne ægrotent, aut ut meliore bono potiantur abstinent quidã, q̃ tametsi rationes sunt rectæ, nõ tamen ad eũ finem diriguntur, quo prudens eam dirigit, καὶ διαφέρει πλεῖστον ἴσως ὁ σπουδαῖος, τῷ τ' ἀληθὲς ἐν ἑκάστοις ὁρᾶν ὥσπερ κανὼν καὶ μέτρον αὐτῶν ὤν. Fœnus eadem ambiguitate definitur, si dixeris collocationem esse pecuniæ cum fructu. Nam & quo fruimur fructus est: qui finis collocatæ pecuniæ, ut non est proprius fœnoris, ita nec uituperandus. Aut ut dicatur non hoc modo fructus, sed alio quodam, ut nimirum infinitè fructus ipsius, id est, prouentus capiatur, nullo respectu usus legitimi, cui secundum naturam seruire debeat pecunia. Forsan utilis admodum sit hic locus Iurisperitis, quorum intersit partes Totius ambiguas, finibus interdum distinguere. Incontinentia definitur, ut sit incitatio affectuum atque libidinum in potiundis uoluptatibus profusarum, cum notitia eius, quod recte fit & honeste. Notitia hæc, quæ attribuitur incontinenti, & qua differt ab intemperante, sic est interpretanda, ut quamuis habitu sciat, actu tamen ignoret illecebris uoluptatum uictus. Ergo nec ad actum notitiæ pars hæc definitionis (quo resistunt continentes uoluptatibus) est referenda, nec ad alterius generis notitiam rectam, qua poßit etiam habitus & actus ratione rebus alijs administrandis præditus esse incontinens.

LOCVS XC.

IAm vero illud etiam videndum, an ad utrumq; referatur idem, vt ad res medicas. Nihil enim prohibet aliquam confidentiam, & rectam intelligentiam ad medicinam afferre: quum interim Fortis tamen non sit, qui hoc cum illo coniunxerit, Neq; enim ad aliud & aliud utrunq; eorum referri debet, neq; etiam ad quamuis et obuiã rem referendum est idem, sed ad vnum fortitudinis finem, qui residet in bellorum periculis, aut alio quopiam, si quid aliud est, quod magis sit finis, quàm ille propositus.

Multa sunt Accidentia, quorum ratio explicatur partibus secundum accidens compositis, significante toto nihil aliud quàm partes suas, quas non specie propria totius, esse & dici unum aliquid & totum oporteat, sed quia sint Simul, uel ratione τοῦ πρώτου δεκτικοῦ*, uel quia non sint discretæ locis, uel quia non sint separatæ temporibus, uel quia non sint diuersæ finibus, uel quia per homonymiam rebus discrepantibus non poßint adhiberi. Quo nomine falsa est hæc definitio Fortitudinis, qua dicitur Confidentia cum recta ratione. Animi impetum quendam appello confidentiam (Græci uocant* τόλμαν *) qua aggredimur aliquid, quod specie periculi terrere alios posset, quæ si dirigatur recta ratione, uirtus sit seu Fortitudo, si praua, aut nulla, uitium appelletur uel audacia. Itaq; Fortitudo est recta ratio, non ipsa per se & sola, ut arbitratus est Socrates, qui* ἀνδρείαν *definiuit* ἐπιστήμην*, sed est recta ratio adhibita confidentiæ.* συνηρτημέναι γὰρ τοῖς πάθεσιν αἱ ἀρεταὶ*, & omnino sunt aliquid cum aliquo. Ambo hæc, nempe recta ratio, & confidentia, determinantur periculis, quibus paupertas, morbus, mors, & similia intentantur, quæ plurima, & plerumq; bellis gerendis importari solent, quæ non pertimescens recta ratione fretus, dicatur fortis. Ei homonymos est confidentia & recta ratio, quam periculosis interdum morbis adhibent Medici: quos, ut Thucydidis uerbo utar, interdum* ἀρχοντας τὰς πι κινδυνεύσαι χειρῶν*, in qua sen-*

tentia

tentia quoq; Galenus noster est. Sed hæ res ad definiendam Fortitudinem non pertinent. Ita quoq; Temperantia, recta ratio est cum uoluptatum abstinentia. Non quælibet hæc est uoluptas, sed corporea duntaxat, quæ præsertim sensu tactus percipiatur. Quare si quæ Homonymia hoc in genere obuersatur, amolienda erit propriæ quasi materiæ subiectione, qua nimirum finis determinetur rei definitæ.

LOCVS XCI.

SVnt autem, quædam, quæ non in eam, quam exposui, cadunt diuisionem. Vt si ira, ęgritudo est cum contemptus opinione. Hoc enim declarat, ex opinione eiusmodi nasci ægritudinem. Hoc autem ex illo nasci non idem est quod, hoc cum illo esse, vllo genere eorum, quæ exposita à nobis sunt.

Simul omnino sunt partes, quibus definitur totum, sic ut pars eius aliqua sit aliquid cum aliquo, uel aliquibus. In his partibus aliquando numeratur efficiens causa Definiti; quam non simul constet esse cum effectu, sed priorem. Etenim forma simul est cum toto, id est, ex materia & forma composito. Efficiens omne prius est. Nam ut scribit Aristoteles lib. λ. Metaphy. τὰ μὲν οὖν κινοῦντα αἴτια, ὡς προγεγενημένα ὄντα, τὰ δ' ὡς ὁ λόγος ἅμα. *Vsitatæ uulgo non sunt paucæ definitiones huiusmodi, ut hæc Iræ, qua dicitur esse ægritudo, cum opinione contemptus. Opinio enim hæc efficiens est causa iræ. Eiusdem modi definitio est* τοῦ θάρσους *in Rhetoricis Aristotelis* ἐλπὶς μετὰ φαντασίας τῶν σωτηρίων ὡς ἐγγὺς ὄντων. *Etenim phantasia hæc non pars, sed causa est fiduciæ. Et bellum si quis finiens, dixerit uim & conflictum armatorum cum cupiditate habendi. Multum interest dicere, cum quo aliquid dicatur esse quidpiam, & per quod ipsum efficiatur, nullo enim eorum, quos exposuimus modorum, simul hæc esse contingit.*

LOCVS XCII.

RVrsus si quis definiendo aliquarum rerum concretionem Totum esse dixerit. Vt corporis & animæ concretionem, Animal. Illud uidendum est, an qualis sit concretio explicarit. Vt si quis definiendo Carnem uel Os, dixerit esse, ignis, terræ, aërisq; concretionem. Neq; enim satis est concretionem dicere, sed qualis ea sit, exponendum est. Quandoquidem non si quouis modo hæc ipsa coalescant, continuò Caro nascitur, sed si hoc modo coalescant, Caro, sin illo modo, Os gignitur. Quanquam neutrum eorum idem uidetur esse quod concretio, præsertim cum omni concretioni diremptio & dissolutio contraria sit, neutrum tamen eorum quæ diximus contrarium est ullum.

Materiam & accidentia esse supra ostendimus, quorum partes sint totum ipsum, quoad uidelicet simul sint, & compositum quiddam, & quatenus σύνθεσις (qua definitur unum constitutionis huiusmodi totius) accidit partibus, quemadmodum etiam διάλυσις. At ipsa per se σύνθεσις cum sit accidens, per se unum, id est totum, quod sit substantia, non constituet. Huiusmodi enim totum, non est σύνθεσις suarum partium, sed ex partibus concretis suo quodam modo, ac specie, quæ neq; materiæ pars sit, neq; ex partibus generatum quiddam constitutum est. Nam, ut supra est dictum, ex numero ἀρχῶν illa species est qua totum secundum substantiam constituatur. Partes quidem non esse ipsum totum ostendimus supra. Ergo totum, quædam partium erit Synthesis, qua nimirum intelligantur simul esse partes. Nam si probatum sit non simul esse partem aliquam, Totius finitio refelletur. Sed in quibusdam modus etiam συνθέσεως est explanandus, non enim quouis modo mixtis elementis Caro aut Os esse dicitur, quem declarasse in toto per accidens satis sit. In toto, quod substantia sit, præterea, ut paulo ante dixi, aliud quiddam requiritur. Domus & pleraq; artifitiosa quadam certa συνθέσει partium pro totis definiuntur, quæ quia partibus accidit, in principijs & Ideis Plato non posuit, Nihilominus tamen tota hæc non sunt appellanda

da, Synthesis, sed partes quadam συνθεῖσαι coagmentatæ. Synthesis enim non est totum, sed est id quo partes totum esse dicuntur, quoniam totum est aliquid unum, Fuerunt quidam qui partes ipsas unum illud nullo modo posse esse contenderent, quippe multa, non esse posse unum, quocirca uinculum quoddam esse, gratia cuius unũ ipsum & totum aliquid diceretur, quod ipsum nullis partibus per se cõstitutum esset, id Continentẽ causam Stoici, alij σύνδεσμον, alij συνουσίαν, alij σύνθεσιν nominarunt, autore Aristotele in Metaphys. Vnitatis partium, qua constituant totum in rebus, causam nullam affert aliam Aristoteles quàm actum & potentiam, quibus unum compositionis definiatur. Vnum igitur illud compositum, non compositio est, sed compositione unũ est & totum. Prima hæc repræhensio est, quando scilicet quispiam totum dicat esse compositionem. Secunda, si compositione definiens totum, non planum faciat qualis ea sit, cum non temere congestis partibus totum coalescat. Animal quidam, ut totum, sic finiunt, ut sit corporis & animæ σύνθεσις, quam interpretantur τὸ ζῷον, καὶ τὸ τὸν χαλκὸν εἶναι τρίγωνον, σύνθεσιν χαλκοῦ καὶ τριγώνου, καὶ τὸ λευκὸν ὃ ἦν εἶναι, σύνθεσιν ἐπιφανείας καὶ λευκότητος λέγουσι. Ex his, quæ diximus, concludendum, totum esse σύνθετον quiddam, & non σύνθεσιν ipsam, idest quodammodo unum, & quodammodo multa, non ipsam unitatem, aut ipsam multitudinem, ut quibusdam est uisum. Deinde compositionis quodam certo modo partes sunt determinandæ, non enim qualibet concretione partium totum fit. Proportione misceri necesse est elementa ut ijs Caro generetur, aut Os, aut aliud quiddam, quod nomen et appellationem substantiæ unius obtineat. Nam si crasis aut πάθος unum sit multorum, non ob id tamen per se constituent unam οὐσίαν, sed multæ erunt nihilominus, tametsi accidente participent eodem, οὐσίαι, & hoc quidem modo Democritus arbitratus est nihil esse unum & totum οὐσίᾳ præter atomos. Atqui uidemus omnium natura constantium rerum certos esse motus, certaq; πάθη quibus conseruentur, item generentur & pereant, quæ in rebus indefinitè insint propter materiam, sed definitè, propter speciem constituentem totum, quod appellationem habeat substantiæ. λόγον οὐσίας pleriq; arbitrantur nihil aliud esse quàm κρᾶσιν mixtorum elementorum, quæ proportio-

Metaphy. lib. H.

Metap. H.

ἀπορία. ne definiatur qualitatum. Hac opinione, substantiæ nomen habebit nihil, præter elementa, deinde, naturales res non erunt per se u-
λύσις. num, sed tanquam aceruus appellabuntur unum. Differunt profectò composita à natura tota ab iis quæ componit ex partibus ars imitatrix & tanquam Simia naturæ. Quoniam natura abdita intra materiam principium est rei compositæ, quod ipsum causa Generis ex necessitate substantia erit, qua non secundum accidens, sed absolutè & omnino dicatur quidpiam unum. Id uero principium forma est rei, quæ nec elementum est, nec concretum aliquid ex elementis, sed obnoxia sibi habens causa facultatis (tanquam actus & perfectio quædam) ipsa elementa, & qualitates eorundem atq; crases modificans & dispensans, quæ crases in numero principiorum, id est, Natura (cùm uidelicet sint accidentia) nullo modo esse possunt. Substantias non architectatur ars, sed ex ipsis multis, unum per accidens atq; totum potest efficere. Sed hæc differentia Naturæ & Artis nota est, & declarata in Physicis, nunc ad interpretationem textus nos conferemus. Paulo ante ostendimus: Totum non esse compositionem ipsam. Deinde si definiatur Compositione partium, qualis ea sit declarandum esse specie & forma totius, quæ nimirum (in naturalibus substantiis) est λόγος οὐσίας, quo aliquid est simpliciter unum & totum. Ἐπεὶ καὶ Ἐμπεδοκλῆς ὀστοῦν τῷ λόγῳ φησὶν εἶναι. τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ τί ἦν εἶναι καὶ ἡ οὐσία τοῦ πράγματος. ἀλλὰ μὴν καὶ ὁμοίως ἀναγκαῖον καὶ σαρκὸς, καὶ τῶν ἄλλων ἑκάστων εἶναι τὸν λόγον, ἢ μηδὲ ἕν. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ σὰρξ καὶ ὀστοῦν ἐστὶ, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον, καὶ οὐ διὰ τὴν ὕλην ἣν ἐκεῖνος λέγει Πῦρ, καὶ γῆν καὶ ὕδωρ, καὶ ἀέρα. Hac itaq; specie totum præsertim definitur, quæ nequaquam σύνθεσις est qua partes materiæ compositæ sunt, sed ipsum prouenit & nascitur potius ex hac compositione, Etenim dissolutio & compositio (sunt autem contraria) substantiam partium nequaquam mutant. At formæ utriusq; commemorati totius, nempe Carnis & Oßis, nihil per se reperitur contrarium (substantiæ enim nihil est contrarium) quare si carni contrarium nihil est, quatenus Caro, sequitur ut compositio non sit, alioqui necesse erit ut ei dissolutio quædam opponatur. Ex quo concludendum, in definitione si quis totum σύνθεσιν appellet his ac similibus rationi-

In generibus principium & ἁπλῶς esse dicitur οὐσία.

Arist. li. η. Metaphy τὴν γὰρ φύσιν μόνην ἄν τις θείη τὴν ἐν τοῖς φθαρτοῖς οὐσίαν.

Galen. li. 1. de facul. nat

Meta. li. α

rationibus coarguendum. Aut etiam ſi quis Totum (quod ſit οὐσία) non σύνθεσιν nuncupet, ſed partium συνθέτου definiendum arbitretur, ac non potius ſpecie ſubſtantiæ, qua per ſe conſtituitur unum & totum iis, quæ dictæ ſunt rationibus eius refelletur definitio.

LOCVS XCIII.

IAm ſi æquè probabile eſt Omne quod concretum eſt concretionem eſſe, aut nihil. Nullum autem animal (quorum unumquodque concretum eſt) concretio eſt. Quare nec ullum eorum quæ concreta ſunt, concretio erit.

Totum eſſe compoſitum quiddam & non compoſitionem oſtendit argumento totius ſecundum ſubſtantiam, quo maximè totum aliquid & unum dicitur. Quare ſi in ſubſtantia totum non eſt ipſum unum, id eſt, ipſa compoſitio, multo minus erit in accidentibus. Animal eſſe totum ut compoſitum, & non ipſam compoſitionem partium ex quibus generatur animal, præcedente dictum eſt loco. Proinde liquet & perſpicuum eſt, neque partes ipſas eſſe totum, neque compoſitionem ipſam eſſe totum, ſed partes quatenus participent compoſitione, id eſt, compoſitum eſſe totum ipſum. Partes cum non ſint totum ipſum, ſed ut compoſitione, ita quoque totius ratione participare uideantur, compoſitio nimirum exiſtimari poſſet totum ipſum eſſe. Nos neque partes ipſas, totum appellamus, neque partium πάθος, nempe compoſitionem, ſed ex utriſque conflatum, compoſitum uidelicet, appellamus ipſum totum, quod ratione duntaxat & definitione non autem re ipſa ſit Indiuiduum unum. Nam ſi re ipſa ſit diuiſionis expers totum, pro toto habendum erit non compoſitum ipſum, ſed compoſitio, qua nimirum ſine partibus exiſtente partes participent. Ita ferè de toto ſenſiſſe uidetur Plato in Sophiſta, ex quo Dialogo pauca quædam, quo res planius intelligatur, afferam. Ξε ἀλλὰ μὴν τό γε μεμερισμένον πάθος μὲν τοῦ ἑνὸς ἔχειν ἐπὶ τοῖς μέρεσι πᾶσιν, οὐδὲν ἀποκωλύει, καὶ ταύτῃ δή. Πᾶν τε ὂν καὶ ὅλον, ἓν εἶναι. Θεαὶ πῶς δ' οὔ.

Ξε. Τὸ δὲ πεπονθὸς ταῦτα, ἆρ' οὐκ ἀδύνατον αὐτό γε τὸ ἓν αὐτὸ εἶναι. Θεαι. Πῶς; Ξε. ἀμερὲς δήπου δεῖ παντελῶς τό γε ἀληθῶς ἓν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον εἰρῆσθαι. Θεαί. δεῖ γὰρ οὖν. Ξε. τὸ δέ γε τοιοῦτον ἐκ πολλῶν μερῶν ὄν, οὐ συμφωνήσει τῷ λόγῳ. Θεαί. μανθάνω. Ξε. Πότερον δὴ πάθος ἔχον τὸ ὅλον τοῦ ἑνός, οὕτως ἕν τε ἔσται καὶ ὅλον; ἢ παντάπασι μὴ λέγωμεν ὅλον εἶναι ΤΟ' Ο'Ν. Θεαί. Χαλεπὴν προβέβληκας αἵρεσιν. Ξε. ἀληθέστατα μέντοι λέγεις. Πεπονθός τε γὰρ τὸ ὄν, ἓν εἶναί πως, οὐ ταὐτὸν ὂν τῷ ἑνὶ φαίνεται, καὶ πλείονα δὴ τὰ πάντα ἑνὸς ἔσται. Θεαί. Ναί. Ξε. Καὶ μὴν ἐάν γε τὸ ὂν ᾖ μὴ ὅλον, διὰ τὸ πεπονθέναι τὸ ὑπ' ἐκείνου πάθος, ᾖ δὲ αὐτὸ τὸ ὅλον, ἐνδεὲς τὸ ὂν ἑαυτοῦ ξυμβαίνει. Θεαί. Πάνυγε. Ξε. Καὶ κατὰ τοῦτον δὴ τὸν λόγον ἑαυτοῦ στερόμενον, οὐκ ὂν ἔσται τὸ ὄν. Θεαί. οὕτω. Ξε. Καὶ ἑνός γε αὖ πλείω τὰ πάντα γίγνεται, τοῦ τε ὄντος καὶ τοῦ ὅλου χωρὶς ἰδίαν ἑκατέρου φύσιν εἰληφότος. Θεαί. Ναί. Ξε. Μὴ ὄντος δέ γε τὸ παράπαν τοῦ ὅλου, ταῦτα δὲ ταῦτα ὑπάρχει τῷ ὄντι, καὶ πρὸς τῷ μὴ εἶναι, μηδ' ἂν γενέσθαι ποτὲ ὄν. Θεαί. Τί δή; Ξε. Τὸ γενόμενον, ἀεὶ γέγονεν ὅλον· ὥστε οὔτε οὐσίαν, οὔτε γένεσιν ὡς οὖσαν δεῖ προσαγορεύειν, τὸ ἓν ἢ τὸ ὅλον ἐν τοῖς οὖσι μὴ τιθέντα. Θεαί. Παντάπασιν ἔοικε ταῦθ' οὕτως ἔχειν. *Absurdis quibusdam Plato colligit Totum esse, quo participent partes, Unum & ἀμερές quiddam. Veruntamen Aristoteles, ut dictum est, Totum σύνθετον quiddam esse contendit, non σύνθεσιν.*

LOCVS XCIIII.

PReterea si pari ratione alicui conuenire natura sua solent contraria, & altero duntaxat rem finiendo, declaret eam aliquis, certe non vera erit definitio. Sin secus, profecto plures eiusdem rei definitiones erunt. Qui enim hoc potius quàm altero rem definierit, quandoquidem æque in eodem utrumque reperiri solet? Ex quo genere est illa Animæ definitio. Natura capax scientiæ. Pari enim ratione ignorationis est capax.

Quemadmodum Totum partibus, ita subiectum & materia solent definiri cõtrarijs, τὸ δυνατὸν γὰρ εἶναι καὶ μὴ εἶναι τὸ ἕκαστον αὐτῶν τοῦτο ἐστὶ ἐν ἑκάστῳ ὕλη. *Alterutro si quis definierit subiectum, cum ambobus sit obnoxium contrarijs, præsentis loci argumento refellitur, quo liquet absurdum esse Unius duas esse definitiones. Medicinæ igitur falsa*

hæc erit definitio, si dicatur scientia Sanorum. Quid ni sit etiam ægrorum? Aut si scientiam corpori adijciendorum, cum sit etiam detrahendorum, utroq; enim definit eam Hippocrates. Scientiam cognoscendo, materiam patiendo, contrariorum esse dicimus. δύναμις, *inquit Aristoteles,* καὶ ἐπιστήμη δοκεῖ τῶν ἐναντίων ἡ αὐτὴ εἶναι, ἕξις δ' ἡ ἐναντία τῶν ἐναντίων, οὔ.

LOCVS XCV.

QVòd si cui ad totum, quod definitur, euertendum, nullum suppetat argumentum, propterea quod totum obscurum est & abstrusum, is ad partem aliquam, quæ nota erit, & haud recte explicata uidebitur, omnem argumentationem dirigere debebit. Euersa enim parte, tota etiam euertetur definitio.

Totum quod definitur, id est, definitum quoduis non modo numero certis, uerum etiam natura & conditione quadam propria & conueniente toti, partibus determinari solet, ut superioribus locis est demonstratum, quarum natura non minus atq; totius nobis ignota sit interdum. Vt Rem naturalem finiens, si dicat quis, Compositum quiddam ex materia & forma. Ab imperitis partes non facile noscuntur, quare si quis error suberit huic finitioni, is quoq; ignorabitur. Quocirca in definitionibus hoc modo ignotioribus paulo, captanda particula quædam erit, cuius falsitas nota sit nobis, eaq; argumentando est exagitanda, ut totam euertas. Vnam enim si labefeceris partem, totam necesse erit ruere definitionem. Vt si Prudentia definiatur à quopiam, Virtus qua propter comitatum omnium uirtutum uiuatur fortiter, temperanter, liberaliter, iustè, uerecundè. Pars ultima, quoniam uirtutis non est species, prudentiæ nimirum pars esse non poterit. Item, Rem naturalem finiunt Stoici, Constitutam substantiam ex materia, forma, & continente causa. Figmentum illius partis postremæ, rationibus quibusdam Galenus in libro περὶ πλήθους *refellit. De cuius falsitate si constet, Stoicorum definitio ruat opor-*

tet. Aliâs diximus, aut totam ueram, aut totam nullam esse definitionem. Nomina & Definita, totorum appellatione compræhendit Aristoteles in primo Physicorum. ὄνομα γὰρ ὅλον τι καὶ ἀδιορίστως σημαίνει, ὁ δὲ ὁρισμὸς αὐτοῦ διαιρεῖ εἰς τὰ καθ᾽ ἕκαστα.

LOCVS XCVI.

QVando definitiones sunt obscuræ, exquirere & corrigere figura orationis debemus, usq; dum plani & certi aliquid constituerimus, in quod argumentando incumbamus. Necesse est enim eum, qui audire vult, aut quod ab eo, qui interrogat, assumitur, approbare, aut certe ipsum quid definitione significetur, exponere.

Quando nulla manifesta parte definitionis, aut si ipsa per se fuerit obscura, aut uitio proponentis, nobis commoda ad disputandum uti debemus interpretatione, & quàm maxime ad assentiendum inducere Respondentem, cui necesse erit uel illam interpretationem approbare, aut quid definitione significetur, secus interpretando planum facere. Multi profectò, neq; errare, neq; rectè sentire se, nisi alio admonente, intelligunt, nec explanare satis disertè, quod sentiunt, possunt: docenti autem & de uerioribus monenti, facile acquiescunt. Empedocles, quanquam omnem naturam rerum, nihil aliud, quàm materiam, nempe quatuor Elementa retur esse, λόγον uero οὐσίας constanter non fateatur, sed quasi hæsitans & balbutiens: rationes proferat illum inter causas, admonitus à doctiore aliquo, potuisset facile, quid de principijs rerum esset sentiendum, discere, ἀλλὰ καὶ ταῦτα ἄλλου λέγοντος συμφήσειεν ἐξ ἀνάγκης, σαφῶς δὲ οὐκ εἴρηκε, *inquit Aristoteles. Istius loci exemplum est in Protagora. Contra definitionem uirtutis Socrates disputat, qua Virtus definitur esse iustitia, temperantia, sanctitas. Quas ostendit perinde partes esse uirtutis (siquidem uirtus ex his constituatur ut Totum quoddam) atq; partes sint faciei, nasus, os, oculi, quibus finiatur facies. Deinde, quemadmodum nasus non sit os, aut os oculus, ita nec iustitiam temperantiam*

esse, nec utramq; esse Sanctitatem. Expertem igitur fore iustitiam sanctitatis, & temperantiæ item, quod nihil aliud sit, quàm ex necessitate iustitiam esse profanam impiam & libidinosam. Vtitur huius loci artifitio Socrates callide admodum, fingens aliquem interrogantem, cui ipse unâ cum Protagora, quid respondendum sit, deliberans quasi communicat. Exordium huius disputationis illic est, π δὴ εἴ τις ἔροιτο ἐμέ τε καὶ σε ὦ Πρωταγόρα τε καὶ Σώκρατες· εἴπετον δή μοι. Reliqua ex Platone Studiosi requirant.

LOCVS XCVII.

IAm vero, quemadmodum in concionibus Legem soliti sunt ferre, quæ si melior sit, superiorem abrogant: sic in definitionibus faciendum est, aliacq; inducenda est definitio. Si enim verior videatur, magisq; id, quod definitur, declarare, certe euersa erit prior. Quandoquidem non sunt eiusdem rei plures definitiones.

Quemadmodum approbatio nouarum Legum, ueteres abrogat, ita si pro definitione proposita, quam argumentando aut non poßis, aut non uelis oppugnare, si aut ueriorem, aut magis perspicuam proferas, eaq; sit concessa & approbata, posita prius nimirum infirmabitur definitio. Neq; enim ueteri, noua Lex sine abrogatione opponitur, & approbatione definitionis unius, alteram reijculam esse oportebit.

LOCVS XCVIII.

AD omnes autem definitiones non minima vis in eo est, si id de quo disseritur, ipse tecum considerate definias, aut definitionem, quæ recte tradita est, assumas. Nam ut maior quædam nobis argumentorum copia suppetat, necesse est quasi exemplar, & quid in definitionibus omissum sit, & quid redundet, intueri. Ac de definitionum quidem Locis hactenus.

Expeditißimum & latißimum campum contra omnes definitiones differendi sibi parat is, qui cuiusq; rei uerißimam definitionem apud se constituerit, qua tanquam norma & regula falsarum finitionum labes & uitia depræhendat. In definitionibus enim uel alienæ ponuntur, uel non necessaria redundant, uel eadem desiderantur, quæ sanè non latebunt, si tanquam exemplar quoddam definitionem ueram & genuinam intueare. Apparatu itaq; omnis Generis definitionum tanquam penu quodam instructum esse oportet Dialecticum, si argumentis hoc in Genere abundare cupiat. Sed de locis definitionis hactenus.

IACOBI SCHEGKII SCHORNDORFFENSIS IN Librum septimum Topicorum Aristotelis, qui est de EODEM & ALIO, Præfatio.



PRAECIPVVM DIALECTIci munus est, ut scribit Plato in Phædro, Similitudines proximas, et quibus res uideantur eædem, cũ tamen sint aliæ, cognitas habere & distinguere, quod præsertim finitionibus fieri consueuit. His enim quælibet res à quacunq; alia discrepare cognoscitur, & quæ uidentur eadem interdum, definitionibus accuratis internoscuntur: ut methodus hæc, seu præcepta & Loci de Eodem & Alio, non sine ratione ad definitionem pertinere uideantur, qua, quid res simpliciter sit, explanari solet. Quocirca per eam iudicari etiam oportet, an simpliciter eædem, uel aliæ sint, cùm propter accidens, aut Genus, aut Proprium, non omnino easdem, uel alias esse oporteat, cum horum nihil sit ipsa per se res, sed eius partes sint, uel accidentia. In problematibus itaq; Generis huius quæstionum, disputatur: an definitione omnino & definito res eadem, uel diuersa significetur, quandoquidem Definitum, et Esse definiti, nempe definitio, ad numerũ & simpliciter sint Idem. Oratio quæ declarat quid res primò & per se sit, r; non ratione eius quod ei insit, nihil aliud quàm res ipsa, quæ defi- itur, erit. Sin uero rem per aliquid ipsius explanet, aliud nimirum definitum, & aliud esse ipsius, id est, definitio erit. Quamobrem scire rem quamq;, ut ait Aristoteles, nihil aliud est quàm scire quid res quæq; sit. ὅτι ἓν καὶ ταὐτὸ οὐ κατὰ συμβεβηκός, αὐτὸ ἕκαστον, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι. Quod definitur ut primò & per se unum est, uel partibus compositum, uel propter πάθ& simplex non est, uel ipsum per se consideratur simpliciter primum, quatenus nimirum materia & πάθη à definitione remouentur, ut quando definiuntur species & formæ οὐσιῶν. Quippe aliud Metapy. §. Multiplex V nũ:

est equus, & aliud esse equi, aliud caro, à qua esse carnis diuersum
quiddam est. Discrimen illud nosse magis ad Metaphysicum quàm
ad Dialecticum pertinet. Quinetiam in his quorum τὸ τί ἦν εἶναι causis
definitur, tantisper propter quid unumquodq; sit aut fiat quærimus,
donec quod quæritur, & de quo quæritur, idem esse nobis appareat.
Dum aliud effectus, aliud causæ uidentur esse, satisfactũ definitioni
aut Demonstrationi non arbitramur. Idem sunt Tonitru, & soni-
tus in nube certis quibusdã causis editus. Etenim nemo quærit quare
Tonitru sit talis sonus huiusmodi causis erumpens è nubibus, ὅτι ἀ-
διαίρετον πρὸς αὑτό, ἕκαστον. Quæq; igitur res quoad prima & per se exi-
stens definitur, ipsam, ac definitionem ipsius Idem esse oportebit. Sin
uero ratione alicuius Definitum, quod ipsum per se & primo nõ sit,
definiatur, ut si non compositum, sed πάθος definiatur, aut si nõ caro,
sed forma & species, quid sit explanetur, in his Idem non sunt quod
definitur, & ipsa definitio, ὅτι τῶν πρώτων καὶ καθ' αὑτὰ λεγομένων τὸ ἑκά-
στῳ εἶναι, καὶ ἕκαστον, τὸ αὐτὸ καὶ ἕν ἐστι. Quid ipsum per se primó sit Definitũ
declarat definitio, idipsum uero est quatenus de nullo alio dicitur.
Nam quicquid quæq; res per se est (nempe id quod per suam defini-
tionem esse dicitur) id ipsum absolutè est, & non quatenus in aliquo
inest uel de aliquo dicitur. Definitione id explicatur, quæ nimirum
non est συμβεβηκός, sed οὐσία ipsa rei definitæ, cuius proprium est μὴ λέ-
γεσθαι καθ' ὑποκειμένου. Genus illud per se existentiũ continetur tertio mo-
do apud Aristot. in posterioribus Analyticis, quem ita describit,
ὃ μὴ καθ' ὑποκειμένου λέγεται ἄλλου τινός, οἷον τὸ βαδίζειν, ἕτερόν τι ὂν βαδίζον ἐστί, καὶ
λευκόν, ἡ δ' οὐσία, καὶ ὅσα τόδε τι σημαίνει οὐχ' ἕτερόν τι ὄντα ἐστίν, ὅπερ ἐστί, τὰ μὲν
δὴ μὴ καθ' ὑποκειμένου, καθ' αὑτὰ λέγω, τὰ δὲ καθ' ὑποκειμένου, συμβεβηκότα. Qua con
ditione extra mentem sunt singulares substantiæ, nempe τόδε τι, quæ
per se ita sunt comparatæ, ut de nullo alio dicantur, sed omnia alia
de ipsis, eadem sunt conditione intra mentem species, quo ad earũ τὸ τί ἦν
εἶναι concipitur, quo per se dicuntur quid esse, definita, et considerantur
sic ipsa per sese ὅπερ ὄντα separatim, ut nulli accidant. Nã id quod ip-
sum per se est aliquid, id non potest esse quatenus accidit alicui. Ex
quo par est intelligi, propter definitionem, quæ quid per se res sit de-
finit, definitum (quia definitum, non esse καθόλου quod prædicetur de a-
liquo,

liquo, ſed ipſum per ſe aliquid, & unum numero quod ſic mentis cauſa exiſtat, quemadmodũ naturæ & οὐσίαι, quæ cadunt ſub ſenſum propter materiam, appellantur ad numerum unum. Quanquam autem, ut definita, communicari non poſſunt, nihilominus qua ratione ſunt Genera, aut ſpecies, aut propria, aut accidentia, communicari & καθόλου quædam dici poſſunt. Liquet ſanè definitum, quia definitum numero eſſe unum, & non communicari, quamobrem Definitio quoq; & definitum ad numerum idem erunt, qua nulla poteſt maior & arctior unitas eſſe, quum in quouis alio Genere ταυτότητος quædã includatur ἑτερότης, quæ exemplis declarare in præſentia non eſt opus. Modum illum ταυτότητος & ἑτερότητος in præſentia nominat Ariſtotes κυριώτατον, nec mirari debemus quod unum illud ἓν ἀριθμῷ nuncupat, quod alias plerumq; τόδε τι appellat. Quippe formas etiam orbium cœleſtium, quæ materiatæ non ſunt, unas ad numerum dicit eſſe, quia communicari non poſſunt, & formæ materiatæ, quia communicari nõ poſſunt, ad numerum dicuntur unæ, pari ratione definita quoq;. Alioqui etiã καθέκαστα appellat Ariſtoteles ſpecies indiuiduas, ut in poſterioribus Analyticis ſcalenum, æquicrurum, reſpectu trianguli, quem illic nõ Genus ſed εἶδος appellat, quod ipſum quoq; in altero libro eiusdem operis prope in extremo eius libri facit, καθέκαστα appellans infimas τοῦ καθόλου ſpecies. Iſtud propter rudiores moneo, ne in his, quæ intelliguntur, ad numerum unum nihil eſſe exiſtiment, aut aliud quiddam quam par ſit ab Ariſtotele dici arbitrentur. Definitionis cum definito unitatem contemplantur in omnibus rebus Philoſophi ueram, genuinam & neceſſariam, nempe eam qua definitum & definitio ſint unum & idem ad numerum. Sed falſam, fucatam, & pro re nata contingentem, Sophiſtæ aucupantur, dum id quod aliquo modo eſt idem, pro eo quod ſimpliciter idem ſit, fictis rationibus diſputando obtrudunt. Quod enim aliud eſt, id ipſi dicunt eſſe idem, & quod idem, id diuerſum pronunciant, occultantes ſeſe τοῦ μὴ ὄντος latebris, ut ait Plato in Sophiſta. Sed de his dictum ſatis, nunc ad interpretationem textus Ariſtotelici nos conferemus, quandoquidem librũ hunc tractatione coniunctũ eſſe cum præcedente manifeſtum ſit.

ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER SEPTImus, qui est de EODEM & ALIO.

LOCVS I.

NVnc vtrum id, de quo agitur, Idem sit, an Alterũ, eo quo maximè aliquid modo IDEM dicitur, differendũ erit. Idem autẽ maximè propriè dixi, q Vnum est numero. Ac primus Locus sumitur ex casibus, coniugatis, & contrarijs. Si enim Iustitia & Fortitudo Idem sunt, Iustus & Fortis idem erunt, & iustè idem quod fortiter. Eadem est contrariorum ratio. Nam si qua eadem sunt, eorum etiam contraria eadem erunt in quauis repugnantia earum quas exposui. Nihil enim interest, huic an illi contrarium sumatur, quandoquidem eadem sunt.

Locos istius libri præsertim pertinere ad Definitionem, & esse eos ferè nihil aliud, quàm ὁρικὰ *argumenta, libro primo Topicorum Aristoteles docuit, ad hunc modum scribens.* ὁμοίως δὲ καὶ τοῦτο ὁρικόν. πότερον ταὐτὸν αἴσθησις καὶ ἐπιστήμη ἢ ἕτερον. καὶ γὰρ περὶ τοὺς ὁρισμοὺς πότερον ταὐτὸν ἢ ἕτερον ἡ πλείστη γίνεται διατριβή. *Cum autem multiplex sit ratio Eiusdem & Alius, quoniam & genere, & specie, & subiecto, & accidente, alijsq; pluribus modis usurpantur, inter omnes præcipuus est, & ad quem cœteri referantur, tanquam ad normam, is, quo Idem numero aliquid, aut diuersum dicitur. Id quomodo sit intelligendum, paulo ante fecimus planum. Locus præsens quomodo analogia Idem, diuersum probari interdum poßit, exemplo satis perspicuo docet. Si definitorum coniugata sint idem numero, ipsa quoq; idem numero erunt, id est, definitionem habebunt eandem. Eadem ratio Analogiæ ualet in contrarijs. Vt* λόγον *uel explicemus, uel eundem duorum esse ostendamus,*

ostendamus, magnam uim habet Analogia χρήσιμος γὰρ, *ut ait Aristoteles in primo Topicorum libro,* πρὸς τοὺς ὁρισμοὺς ἡ τοῦ ὁμοίου θεωρία. *In nonnullis quidem, quando haberi non possunt finitiones, analogia definitionem compensamus, declarat enim rem similitudine quæ est species unitatis* καὶ ταυτότητος. *Vt si quis probare uelit* εὐδαιμονίαν *&* αὐτάρκειαν *idem esse numero, num pro eisdem coniugata habeantur, considerabit. Vt si* εὐδαίμων *sit idem* αὐταρκεῖ, *& ei item quod dicitur* εὐδαιμόνως, *id quod dicitur* αὐτάρκως. τὸ γὰρ αὐταρκὲς, *inquit Aristoteles,* τίθεμεν ὃ μονούμενον αἱρετὸν ποιεῖ τὸν βίον καὶ μηδενὸς ἐνδεᾶ. *Haud longe secus* ἀδικίαν *ostendimus esse* πλεονεξίαν. *Eodem modo* πρέπον *&* καλὸν, *quæ tamen non esse Idem contra Hippiam probat Socrates apud Platonem in Hippia maiore. Totum, & perfectum, esse aut penitus idem numero, aut proximè idem, affirmat Aristoteles in Physicis in disputatione de Infinito. Sic enim scribit,* τὸ ὅλον δὲ καὶ τέλειον ἢ τὸ αὐτὸ πάμπαν, ἢ σύνεγγυς τῇ φύσει ἐστίν. *Vtitur illo tanquam argumento, ut probet Infinitum non esse totum, quia non sit perfectum. Ex oppositis, quorundam esse eandem essentiam numero sic ostendimus. Vt Iustitiam esse æquitatem, quia iniustitia sit iniquitati eadem ad numerum.*

LOCVS II.

ALter Locus ex ijs ducitur, quæ uim habent efficiendi quid, vel interimendi, itemq; ex ortu & interitu, et vt vno verbo dicam, ex his quæ similiter comparata sunt respectu vtriusq;. Quæ enim omnino eadem sunt, eorum etiam origines & interitus ijdem sunt, & ea quæ vim habent efficiendi, & ea quæ interimendi.

Quæ sunt nnmero eâdem essentia, eorundem efficientes quoq; & corrumpentes causæ sunt eædem, item ortus & interitus ijdem existunt. Sic ostendimus Fœlicitatem & Voluptatem non esse Idem, quia illius efficiens est uirtus, huius autem, uirtutis energei. τελειοῖ, inquit Aristoteles τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονὴ οὐχ ὡς ἕξις ἐνυπάρχουσα, ἀλλ' ὡς ἐπιγιγνόμενόν τι τέλος, οἷον τοῖς ἀκμαίοις ἡ ὥρα. *At fœlicitatem & summum bonũ*

idem esse constat, quare ortus & interitus eorum quoq; est idem. Multum porro interest, maximum illud pronunciatum utrum sic proferas. Quæ sunt eadem ad numerum, eorum quoq; ortus & interitus sunt ijdem numero. An uero sic, quorum ortus & interitus ijdem sunt ad numerum, ipsa quoq; numtro sunt idem. Non enim si prius affirmationis causa uerum habet consequens, etiam posterius habebit, quandoquidem ad affirmationem consequentis, non sequatur affirmatio antecedentis, sed contra potius ad negationem sequatur negatio. Priore formula consecutionis, Aristo. argumentum illud exposuit. ὅσα γὰρ ἁπλῶς ταὐτὰ, καὶ αἱ γενέσεις αὐτῶν καὶ αἱ φθοραὶ αἱ αὐταί. *Cœterum consequens si ostendatur idem ortu & interitu, ob id antecedentia quoq;, id est, definita, quòd idem sint probatum nequaquam erit. Vt si primarum qualitatum secundum naturam mixtio debita crasin efficit, & item sanitatem, ob id crasis corporum, & sanitas idem non erunt ad numerum. Quoniam Sanitas est* ἕξις *quædam, Crasis autem est alteratio, uel alteratorum secundum qualitates unitas quædam. Quapropter usus istius Loci diligenter est considerandus.* οὐ γὰρ ἱκανὸν *inquit Aristoteles libro primo Topicorum,* πρὸς τὸ κατασκευάσαι τὸν ὁρισμὸν τὸ δεῖξαι ταὐτὸν ὄν. πρὸς μέντοι τὸ ἀνασκευάσαι αυταρκες τὸ δεῖξαι ὅτι οὐ ταὐτόν.

LOCVS III.

ATq; etiam illud videndum est, an quorum alterum maxime aliquid dicitur, alterum quoq; (siquidem pro eisdem habeantur) respectu eiusdem maxime id ipsum esse dicatur. Quemadmodum Xenocrates Beatam vitam & Honestam eandem esse docet, quandoquidē beata vita & honesta, una ex omnib. maxime sit expetenda. Vnū enim esse, quod maxime expetatur, & quod sit præstantissimum. Quod idem in cœteris eiusdem generis cōtingit. Sed illud intelligendum est, vtrumq; horum debere esse ad numerum idem cum illo, quod maximum aut præstantissimum dicitur esse, & in primis expetendum. Sin secus, esse idem non docebimus. Non enim si Græcorū fortissimi sint Peloponnesij & Lacædemonii, continuo Pelopon-

ponne-

ponnesios & Lacædemonios eosdem esse necesse est, quãdoquidem non vnus ad numerum est Peloponnesius, & item Lacedemonius. In his vnum necesse est, ut cõplectatur alterum, quemadmodũ Peloponnesii Lacedemonios. Alioqui enim fiet, vt si alteri alteros non complectantur, ipsi inter se meliores sint. Nam necesse est Lacedemoniis meliores esse Peloponesios, si alteri alteros non cõplectantur. Sunt enim cœteris omnibus præstantiores. Itemq; Peloponnesiis anteponuntur Lacedæmonii, quoniam ipsi cœteros uincunt. Ita fiet, ut alteri alteris prestantiores sint. Perspicuum est igitur, unũ numero esse oportere, id quod optimum & maximum dicitur, si futurum est, ut idem esse doceantur. Itaq; Xenocrates non demonstrauit propositum suum: quandoquidem numero vna vita non est beata vita & honesta vita, quare necesse nõ est, ut ambæ sint vna vita, quia præstantissimæ, sed alteram ab altera contineri.

In quouis genere quod maxime tale est, id unum, & tanq; mensurã reliquorum esse oportet. Iam si duo sint, quæ maximum illud & præstantißimum esse dicantur, ambo hæc ex neceßitate erunt unũ numero, atq; omnino essentia et ratio utriusq; eadem. Vt si summum bonũ, itemq; fœlicitas sunt maxime expetendæ, idem scilicet erunt summum bonum & fœlicitas. Item si simplicißimus motus, & primi orbis, nempe stelliferi motus, sunt celerrimus, ambo idem ad numerum erunt simplicißimus, & primi orbis motus. Item si morborum efficientibus causis maxime resistere, & ualidißimas naturæ actiones præstare, ambo sunt δυεκτικότατον, unam scilicet ambo hæc essentiam obtinebunt, & numero idem erunt, quod his utrisque exprimitur. Praterea Sapiens & Metaphysicus, si uterq; est scientißimus, sapientem scilicet & primum philosophum eosdem numero esse oportebit. Argumento istius loci Xenocrates conatus est ostendere beatã uitam et honestam esse numero eandem, quoniam utraq; optabilißima esset, sed in hoc non ualet præsens locus. Rationem nunc ostendã. Quæ unũ quid et optimũ esse dicũtur, necesse erit ut numero aliquid unũ utrunq; sit,

 quod

quod per se esse, non autem participari ab altero aut partem esse eius quod ipsum quoq; ut numero unum & per se existens optimum illud, uel maximum esse dicitur, oportet. Etenim ad numerum, id est, definitione, idem non sunt id quod continet, & continetur, quantumuis eodem relata maximè aliquid esse dicantur. Nihil enim idem numero continens est & contentum, quæ, duo esse, nemo ignorat. Calidum simpliciter & primò, leuißimum est, atq; item ignis leuißimum est, non ob id sequitur calidum primo, & ignem, esse idem ad numerum, id est, definitione. Primò calidum, ratione elementi explanatur. Ignis non elementi uox est sed substantiæ, quoniam, ut inquit

Metap. 1. Aristoteles, οὐ ταὐτὸ πυρὶ καὶ στοιχείῳ εἶναι. Elementum porro continet in se rationem ignis, nec unum ad numerum est elementum, id est, separatum à quouis alio, quod ipsum quoq; ad numerum sit unum. Perfectißima hominis iustitia, aliâs fides dicitur, aliâs charitas, ob id fides & charitas non sunt numero & essentia unum. Quippe fides iustificans, continet in se charitatem, ut autor est D. Ioannes in Canonica epistola: quare una non est ad numerum fides iustificans, & charitas, quia non separatæ sunt, sed una continetur alterius definitione, quod ipsum contentum quoq; ad numerum sit unum. Repræhensio eadem est Xenocratis, qui beatam uitam & honestam, quia sint ambæ optabilißimæ, pro eadem ad numerum habuit. Non enim sunt una uita, sed una continetur complexu alterius. Latius patet beata uita quàm honesta: quam interpretor uirtutibus moris deditam uitam, ciuilem scilicet & Ethicam. Ea continet in se uitam beatam, nec respectu eius est unum numero, & separatum à quouis alio, quum & beatæ uitæ sua sit definitio, quæ pars etiam sit contemplatricis. Ita se habentibus comparatis rebus, respectu quo, maximè, aut præstantißimum aliquid dicuntur, eas non posse unum quid esse ad numerum, huius exempli, quod nunc tractabo, absurditate ostenditur: Oportet, inquit, utrumq; quod μέγιστον, & αἱρετώτατον statuitur, ut ἀριθμῷ ἓν poni, quod quale sit, dictum nunc sæpius est. Ita si Lacedæmonij fortißimi Græcorum, item Peloponnesij fortißimi dicantur, non sequitur ut Lacedæmonij & Peloponnesij sint idem ad numerum, sed alterum ab altero contineri est necesse. Nam si Peloponnesij

loponnesij fortißimi sunt Græcorum, quum complexu eorum contineantur etiam Lacedæmonij, ipsi quoq; erunt fortißimi. Et beata uita cùm sit optabilißima, eius porro species sit & contentum, uita honesta, ipsam quoq; optabilißimam esse oportebit. In reliquis idem iudicandum. Quod non sint idem ad numerum, liquet hoc argumento, quo constat contentum non esse unum ad numerum, sed aliquid alicuius respectu, nimirum continentis. Quòd si esse idem quispiam contendat, pro eisdem scilicet numero habendi erunt Lacedæmonij & Peloponnesij. Nec duo erunt sic, ut alterum non contineatur altero. Alioqui præstantißimum, & non præstantißimum erit aliquid, & alterum respectu alterius esse dicetur melius, ut Peloponnesios esse meliores Lacedæmonijs, siquidem præstant omnibus Græcis, cum & Lacedæmonij in Græcis numerentur, & Lacedæmonij uicißim præstabunt (quia sunt optimi) Peloponnesijs, quamobrem hac ratione neutri erunt optimi. quòd si utriq; erunt, unum altero contineatur necesse est. Locus ad multa erit utilis, si quis commodè eo utatur.

LOCVS IIII.

QVin etiam uidendum est, si alterum fuerit alicui idem, num alterum quoq; sit idem, nam si ambo nō fuerint uni idem, nec ipsa inter se idem erunt.

Si ambo sint idem numero alicui tertio, idem ad numerum ipsa quoq; erunt. Si non fuerint, essentia discrepent necesse est. Vt fœlicitas & summum bonum sunt idem, quia ambo sunt αὐτάρκη. Sic locū & inane quidam pro eodem habent quia ambo sint receptaculum & intercapedo quædam contenti corporis. Voluptatem et Summum bonum pro eodem numerauit Endoxus, quia ambo sint desiderabile illud quod appetatur ab omnibus. Aristoteles non idem esse ostendit in Ethicis.

LOCVS V.

Ex iis quæ ipsis accidunt, & quibus ipsa accidunt, colligi debent argumenta hoc modo. Duobus propositis

quæ uni accidunt, eadem omnia alteri etiam accidere debent, & item quorum uni accidit unum, eidem accidere debet quoq; alterum. Si quid horum non sit, profectò ea quæ proposita sunt, non sunt eadem.

Præterea pensitanda quoq; ratio in his accidentium. Nam si uel non accidat quidpiam eisdem ad numerum, uel si ipsa eidem non accidant, pro eisdem numero non erunt habenda. Astruendo duntaxat ALIO, seu destruendo EODEM, & non astruendo, locus hic utilis est. Non enim si eisdem, aut si eadem ipsis insint, ob id ipsa quoq; numero erunt idem. Vt actio & paßio, non quia subiecto uni energiæ insunt, iccirco ipsæ quoq; sunt numero idem. Quinetiam quòd numero non sint idem aliquid, argumento istius loci perspicuum est, quippe diuersis accidunt. Quoad enim ab agente proficiscitur, actio est: quatenus recipitur ab obnoxio, paßio est & motus. Iucundum, utile, honestum, non esse idem, pro eo ut sentiunt Stoci, liquet, quia neq; eisdem, neq; ipsis eadem accidunt. Eodem modo ostendimus idem ad numerum non esse οὐσίαν ὁμοιομερῶν particulæ, & κρᾶσιν. Quia κρᾶσις accidit elementis, sed species & οὐσία κράσει inest. Voluptatem & motum corporis sentientis non idem esse, proprijs accidentibus utriusq; demonstrat Aristoteles in Ethicis. Innumera sunt exempla, estq; locus perutilis non idem esse quæ aliquando pro uno & eodem numerantur.

LOCVS VI.

ILlud etiam considerandum, an utriusq; minimè sit idem Genus, sed uno qualitas significetur, & alio quantitas, uel Relatio.

Quæ Genere supremo idem non sunt, essentia & numero pro eisdem quî poterunt haberi? Vt Temperantia & Continentia, illius enim habitus, huius πάθος Genus existit, in utrisq; penes rectam rationem moderatio est: Ita quoq; uirtus & fœlicitas idem non sunt, quia illa est in qualitate, hæc in Actione. Nutricatio & adolescentia idem

idem non ſunt numero, quia in qualitate ponitur una, altera in quantitate. Nec ſunt idem Mixtio & natura, ut ratus eſt Empedocles, quoniam Mixtio Genere eſt πάθος, Natura autem ſubſtantia eſt.

LOCVS VII.

AVt ſi Genus ſit idem, ſed unum bonum, alterum malum, aut hoc uirtus, illud ſcientia.

In Græco negans particula μὴ uidetur remouenda, ac ſic legendum γένος ἑκατέρου ταὐτόν. Quanquam ſub eodem ſunt primo Genere, tamen fieri poteſt ut ambo idem non ſint, ſed tanquam aliorum Genera diſcrepent inter ſe, uel tanquam contraria Genera, uel tanquam diſcrepantibus, ſubiectis definita, ut bonũ ſit unum, alterum malum, ut uirtus, & ſimulatio uirtutis, quam εὐήθη ἀρετὴν nominat Socrates idem non ſunt. Sunt enim Generibus diſcrepantia, uerum & fallax. Aut quia diuerſis in ſubiectis, ut uirtus & ſcientia Genere differunt, quoniam altera in ratione ineſt, altera in parte quæ ratione participat. Socrates idem cenſuit utrunq;. Ariſtoteles tanquam diuerſa Genera diſtinguit, ὅτι ἀρετὴ συνηρτημένη τοῖς πάθεσι, ἀλλ' ἐπιστήμη τὸ ἐν τῷ νῷ τελείοι.

LOCVS VIII.

AVt ſi Genus idem, non tamen differentiæ eædem de utroq; dicantur, ſed de hoc, quòd contemplando rem cernat, de illo, quòd opus eius uerſetur in agendo.

Conſiderandæ etiam differentiæ ſunt. Nam tametſi Generibus non differant, nõ ob id numero ſunt unum tamen, niſi differentiæ quoq; fuerint eædem. Illæ ſæpenumero nos latentes, ſunt in cauſa ut diuerſa habeantur pro eiſdem. Quàm multi ſunt qui calliditatem cenſent eſſe prudentiã, & εὐβουλίαν, κακοβουλίαν, et iuſtũ, & τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον, apud Platonẽ Thraſymachus pro eodem numerat. Quia enim aliquo modo ſunt idem, iccirco omnino uidentur idem. Specie quoq;

 incremen-

incrementum quoduis idem cuiq; alij uidetur esse, sed non est, quoniam φυσικὸν quoddam est, & aliud quoddam βίαιον. Eadem crisis in sexto & septimo die uidetur esse ignaris, sed eadem non est apud Medicos, qui criticorum differentias intelligunt. Virtus & scientia, quamuis genere habitus sunt idem, differentijs tamen sunt diuersa, quoad nimirum una est πρακτικὴ, altera uero ἐπιστημονικὴ ἕξις. Ignorantem facere, & per ignorantiam, pleriq; pro eodem numerant, at differentijs notum est quòd discrepent. In hoc fere genere confusionis, omnis error disciplinarum, & prauitas uitæ uersatur: quare circumspiciendum diligenter, ne ignotis rerum differentijs, pro eisdem, quæ non sunt, habeantur.

LOCVS IX.

PRæterea si magis vnum dicatur, alterum autem magis non sit. Aut si ambo quidem, sed non eodem tempore. Vt magis amans, non etiam magis expetit congressum. Quare idem non sunt Amor, & cupiditas congressus.

Idem, uel diuersum esse, probamus interdum comparationibus, quibus magis aut minus aliquid dicitur. Ad destruendum ualet ille Locus, non item ad construendum, quemadmodum superiores pleriq;. Perperam, & ad astruendum eo utuntur, qui Iustitiam christianam charitate, et non fide definiendam censent, sic enim colligunt. Si gratia diuina est remißio peccatorum, Gratia nimirum & charitas sunt idem. Quia ut maiore gratia plus remittitur, ita quoq; maiore charitate, siue de ea loquamur, qua Deus nos complectitur, siue de ea, qua nos amantes sumus Dei, quæ nimirum fructus est Fidei. Eadem sunt incrementa quoq; fidei & gratiæ in sacris literis: quare si fides & gratia sunt idem ad numerum, item gratia & charitas, sequitur ut fides etiam & charitas sint idem ad numerum. At comparatione gratiæ Paulus maiorem affirmat esse charitatem fide, & fides certè non sine complexu charitatis iustificat, ut Lacedæmonij dicuntur

tur fortißimi Græcorum, quia Peloponnesij sunt fortißimi, de quo supra diximus. Cœterum nullam charitatem Dei esse, aut excitari in nobis sine fide, manifestũ est ex sacris, quare fidei magis quàm charitati, nostram (quæ est in hac uita) debemus. Verè enim hæc est aurea cordis nostri corona, qua Spiritus Dei sanctus pios ornat, omnes diuinæ gratiæ margaritas includens: in primis autem humilitatem, pacientiam, charitatem Dei, & spem uitæ æternæ. Hæc est, qua in scripturis, sola, iustus uiuere dicitur, estq́ præcipuũ Dei & inæstimabile donũ, quo concipimus etiam in hac mortali et caduca uita, uitã in Deo sempiternam. Morbum & Symptoma non Idem esse, liquet hoc argumento. Quia tametsi ambo magis & minus intendantur, tamen interdum Symptoma ingrauescit tum, quando morbi status remitti incipit. Sic Galenus. Γολλάκις γὰρ ἡ μὲν διάθεσις καθ' ἣν νοσοῦσι, ἐπιεικεστέρα γίνεται, τὰ δὲ συμπτώματα αὐξάνεται Καθάπερ ἐπὶ φλεγμαινόντων μορίων ὡς ἱπποκράτης εἶπε περὶ τὰς γενέσιας τοῦ πύου τοὺς πόνους καὶ τοὺς πυρετοὺς συμπίπτειν μᾶλλον ἢ γενομένου.. *Præterea liquet eodem argumento, energian motionis, & uoluptatem non esse idem. Quia quo magis intenditur motus, eo uoluptas magis languet, & degenerat in dolorem. Exempli propositi ab Aristotele interpretationem reperies libro præcedente.*

LOCVS X.

EX adiunctione hoc modo. Si vtrumq; ad idem additum, idem totum non faciat. Aut si eadem re ab vtroque detracta, quod reliquum est, aliud manet. Vt si quis duplum simpli, & multiplum simpli, idem esse dicat. Detracto ab vtroque simplo, quæ relinquuntur, idem esse debebunt. Sed non idem significant ad numerum duplum & multiplum.

Locus hic ex destruentibus est, ut pleriq; superiores, Idem non esse probans, si, quæ proponuntur, additamento eodem, aut detractione eiusdem, non appareant eadem. Vi coactus, item periculo impulsus, inuiti ambo faciunt aliquid. Sed inuitum facere aliquid, simpliciter

usurpatur in coacto, in periculi metu coniunctum est cum uoluntario, & mixta quædam est actio. Ergo quod ui aut metu fit, non est idem. Item Diuitias, & uirtutem non esse idem liquet, ratione enim boni utriusq; addita, hæc propter se, illæ propter aliud dicuntur esse. Percipere & appræhendere res, commune est sensui & rationi, quæ tamen idem non sunt, ut opinatus est Democritus. Quoniam in sensu perceptio hæc pertinet ad res singulas, in ratione, ad notitias separatas & καθόλου. Detractionis hæc sint exempla. Non quia Voluptas & fœlicitas sunt expetenda, idcirco sunt idem. Quoniam abesse potest à uoluptate expetendum, quod ipsum tamen separari nequit à Fœlicitate. Item iustitia & ἐπιεικεία, suum cuiq; tribuendo uidentur esse idem, sed communi hoc detracto, Iustitia legibus, æquitas honesto arbitrio freta, suum cuiq; tribuit. Et φθονερὸς ac νεμεσητικὸς aliquid sunt idem, nempe quod ambo dolent rebus secundis alterius. Detracto communi, residua differunt, ille enim respicit ἀξίως δυσπραγοῦντι, hic δυσπράττοντα ἀξίως. Sed satis est exemplorum, si intelligatur usus.

LOCVS XI.

CONsiderandum porro est, non modo si propter positionem absurdum, & quod fieri non possit, sequatur, verum etiam posito aliquo quopiam ex hypothesi assumpto, num sit possibile. Vt qui inanitatem & plenum aëreum pro eodem numerant. Ex hypothesi perspicuum est, aëre secluso, nihilominus receptaculum, imò multo magis fore inane, quamuis plenum aëreum in eo non insit. Quare per conditionem posito quopiã et ex hypothesi, siue uerum id sit, siue falsum (nihil enim interest) siquidem altero perempto, maneat alterum, probatum erit aliquid non esse idem.

Pro eisdem sæpe habentur, de quibus constat quòd sint: simpliciter enim idem sunt, uel diuersa, quæcunq; SVNT, quoniam autore Aristotele Πᾶν ἢ ἕτερον ἢ ταὐτὸ, ὅτι ἂν ᾖ ὄν. At interdum pro eisdem quoq; numerantur, quorum alterum omnino nõ est. Vt totum uniuersum secundum Democritum, idem est cum innumerabilib. mundis. Et

quibus

quibus totum & infinitum corporeum, uidentur esse idem. Aut quibus aër & inane. Multi enim componunt figmenta sua cū his quæ sunt, eisq; quæ sunt, tanquam eisdem existentibus, ascribunt appellationes eorum, quæ nullo modo esse possunt, contra facientes atq; mēte incitati homines, qui iis quæ non sunt, existentium uocabula imponunt: ut Pentheus, qui Soli, qui non erat, & Thebis, quæ non erant, sed uidebantur, tanq̄ si reuera essent, nomina uerè existentium (apud Tragicum) ascribit. In his sensus, in illis uero mens & ratio delirat, utriq; uisa, & uera, pro eodem numerant. Omnia, & unum, pro eodem ponit Parmenides. Affirmationem et negationem idem dicunt Protagoras, & Pyrrhonii, qui tollunt discrimen omnium rerum, ut ne mortem quidem & uitam diuersam esse dicant. Hæc ut sint uera, fieri nullo modo potest: nihilominus tanq̄ si essent, per hypothesin est statuendū. Si ponuntur absolutè, absurdis consectariis absolute refelluntur. Sed falsa q̄ sunt, si ponantur pro ueris, postea aliquid quod sit, aut fieri possit, per hypothesin sumatur, eoq; q̧ aduersetur positæ hypothesi falsæ, concludatur: id nimirū est ex hypothesi, posito uero, refellere falsā θέσιν. Vt uerbi gratia. Sint idē inane & aër. Sumatur, posse fieri, ut aër exeat, eo igitur excluso, tantū abest, ut inane uas esse desinat, ut multo magis, quàm antea, sit dicendum inane. Ex hypothesi concluditur, profligata inanitate nihilominus inanitatem manere, qua recipiatur corpus aliud, quod hypothesi aduersatur, qua positum erat, idem esse aërem & inane. Pleraq; huius modi ex hypothesi, id est, syllogismis τοῦ ἀδυνάτου refelli solent, quando rationibus ueris conceditur et concluditur aliquid, quod nullo modo poßit stare cum thesi: quo nomine tanq̄ falsum & ἀδύνατον quiddā esse probetur. Haud longe secus totū & infinitum non esse idem, probamus per hypothesin, sumptis & conceßis quibusdam ab aduersario, quorum conclusum pugnet cum thesi. Interdum ponitur thesi falsæ consentanea hypothesis, cuius syllogismus & conclusio manifesto absurdo laborent, quo conuincatur deinde etiam Hypothesιως falsitas, atque ei etiam consentanea Thesis refellatur. Thesis est, Inane esse Aërem, qua posita, potest inferri quoddam ἀδύνατον. Si ponatur Hypothesis, Aërem posse exire, & subituro alii Corpori locum dare. Ex quo absurdum con-

cluditur, absente inani magis aliquid esse inane. Sed illius absurdi causa pendet ex Hypothesi prioris assertionis, qua ponebantur aër & inane idem esse. Modi sunt quibus licet δι' ἀδυνάτου ostendere, uel simpliciter, uel ex Hypothesi, ea quæ posita sint, non esse idem. Videtur locus ille pertinere ad ea duntaxat quæ pro eisdem cum numerantur, alterum omnino non esse, δι' ἀδυνάτου probari possit. Nam utrisq; existentibus, quòd non sint idem, præcedentibus locis ἀποδεικτικῶς ostendere licebit, quibus ponuntur, ea quæ SVNT, idem esse. His uero uti non possumus in his quorum alterum omnino non est, & cum eo quod est, unum esse dicitur & idem. Meta & extremum est huius absurdi, ut si sint unum ambo atq; idem, res eadem pariter ad numerum sit, & non sit. Parmenidis & Protagoræ paradoxa superius commemorata, contradictoria idem esse statuunt, quæ sanè ambo sunt in natura, ac sub repræhensionem præcedentium quoq; cadunt locorum, qui adhibentur ad ὄντα quatenus dicuntur esse idem, quibus hac ratione, qua dixi, locus hic præsens est dißimilis. Per Hypothesin autem refelluntur, quòd non sint idem, hac ratione, quæ demonstratur alterum penitus non esse: quo demonstrato, per Hypothesin etiam ostenditur non idem esse. Nam idem esse continet in se, ESSE aliquid, quod si non sit, nec idem esse poterit.

LOCVS XII.

ATq; ut summatim complectar argumentum capiendum ex his quæ de utroq; efferuntur quouis modo, & de quibus ipsa enunciantur quauis ratione, considerandum aliquo ne Loco discrepent. Quæ enim de uno eorum, quæ eadem sunt, dicuntur, ea de altero etiam dici debent omnia, & de quibus unum dicitur, alterum etiam dici debet.

Argumentum huius loci usui pariter est in his quæ sunt & non sunt, cùm sua prdicata quoq; & subiecta habeant NON ENTIA,

TIA, ut inane, corpus infinitum & ſimilia. Si quæ ſunt idem numero, de ipſis eadem omnia prædicari, aut ipſa de eiſdem omnibus enunciari debebunt. Quòd ſi alicubi diſcrepent prædicata, pro eiſdem ſcilicet non erunt numeranda, quippe cum ratio eorum non ſit eadem, propter diuerſa prædicata. Vt Iuſtitiam fidei & Iuſtitiam operum ac legis non eandem eſſe numero probat D. Paulus ad Romanos, quòd nimirum Iuſtitia fidei prædicetur de alijs, & alia efferantur de ipſa, quæ non quadrent legis iuſtitiæ. Item, ignorantem & per ignorantiam facere, quòd non ſint idem ex eo apparet, quia non omnia eadem habeant prædicata & ſubiecta. Eodem modo incontinentem & intemperantem non eundem oſtendimus. Facilis eſt ad intelligendum Locus, atq; ad diſputationem de Eodem & Alio institutas perutilis. Argumento huius loci docet Ariſtoteles διάκρισιν & φθορὰν non eſſe idem, quia de non abolitis ſubſtantijs prædicetur διάκρισις, de quibus prædicari non poßit corruptio. Item ἄνισον & πλεονέκτην, quia de quodam dicatur ἄνισον, de quo tamen πλεονέκτημα non poßit dici. Inſpectio prædicatorum & ſubiectorum partium Problematis, perutilis etiam eſt ad id, ut alicui plures ad argumentandum ſuppetant Syllogiſmi ut in Analyticis docet prioribus Ariſtoteles.

LOCVS XIII.

ET quoniam multis modis idem dicitur, an alio Genere, aliaq; ratione eadem ſint uidendũ eſt. Quæ enim eiuſdem Generis, uel ſpeciei ſunt, ea non eadem numero ſunt neceſſariò. In quo, an hoc modo nec ne eadem aliqua ſint conſiderabimus.

Quia uarijs modis idem aliquid dicimus, ut Genere, ut ſpecie, quibus (cauſa definitionis) pro eiſdem numero quædam haberi ſolent, quæ tamen tota ipſa non ſint definita, ſed partes totorum. Igitur ſi uel Genere duntaxat idem, uel ſpecie eſſe, fuerint demonſtrata,

quòd idem ad numerum non sint, probatum certè erit. Considerandi igitur & excutiendi modi Eiusdē, propterea quòd indocti plerunq́, quæ aliquo modo sint eadem, pro eisdem numero habenda censent. Id subinde accidit propter ignorantiam differentiarum, quibus conflatur ἄτομον εἶδος, quare mirum non est, si non penitus separatis, confundi cum his quæ Genere aut specie sint eadem, accidat. Ergo si quis simpliciter eadem hæc esse contendat, qui contra disputarit non ipsa docebit idem esse, sed ipsorum Genus, aut speciem eandem esse admonebit. Suppeditat huic loco imperitia hominum innumera exempla, quibus paßim obuijs, quiuis ea ad declarandum locum adhibere poterit. Aristoteles, ut aliâs quoq́ monui, in præsentia uocat infimas species, quæ diuidi non possunt amplius, τῷ ἀριθμῷ ἕν, proximum καθόλου nominat εἶδος quo superius, nuncupat Genus, ut æquicrurum, uerbi gratia, in Analyticis appellat καθ᾽ ἕκαστα, triangulum uero εἶδος. Eius, Figura, Genus est. Quomodo uoculis his utatur, dictum est aliâs.

LOCVS XIIII.

POstremò si unum possit esse sine alio, certè idem non erunt.

Locus ille pertinet ad ea quæ subiecto sunt unum, quæ aut omnino, ut accidentia, separabilia sunt, aut definitionibus, ut propria. Tametsi enim propria definiendo separari à subiecto non poßint, subiecta tamen ratione separantur à proprijs, quare propria idem numero non sunt cum subiectis. Spasmus per Sympathian, ut in Epilepsia, idem non est ad numerum cum spasmo per Idiopathian, quem definit Hippocrates repletione & inanitione neruorum. Ambo quidem differunt (quos finit Hippocrates) à superiore, non tantum quòd separati sunt subiectis, uerum etiam Generibus. quôd nimirum per συμπάθειαν spasmus Symptoma, per Idiopathian autem subsistens affectus est neruorum, ὁμωνύμως usurpato uocabulo.

LOCVS XV.

AC Loci quidem, qui ex eodem ducuntur, expositi sunt. Ex his autem quæ hactenus sunt exposita intelligi par est, omnes Locos qui ex EODEM sumuntur, ad refellendum ualere, & in eis quemadmodum supra dixi, magnam uim esse ad euertendam definitionem. Nã si nomen & Definitio non idem declarent, certè non uera erit quæ constituta definitio est. Eorum autem locorum, qui ad confirmandum quid, sumuntur, nullus ad definitionem probandam ualet. Non enim satis est ad confirmandam definitionem, demonstrare quòd si idem, id quod nomine & item ratione participet: sed præterea alia sunt adhibenda, quorum argumento ostendatur esse definitio. His ergo quæ dicta sunt hactenus, & per hæc semper infirmanda nobis est definitio.

Perstringit tanquam Epilogo quodam omnium LOCORVM usum, pertinentium ad confutandas definitiones: qui sanè omnes ad eum quasi scopum diriguntur, ut probent definitionem esse nullam, quia definitione & definito non idem exprimatur, id est, quòd idem non significetur Nomine & Oratione. In his locis nulla uis aut momentum est, ad probandum, orationem positam esse definitionem, propterea quòd, cùm idem significari nomine & definitione multifariam usurpetur, rationes sunt adhibendæ peculiares quibus intelligatur idem utrisq; significari quatenus definitio sint & definitum, quibus non nisi ad numerum idem significari solet, de quibus paulo post disseremus. Omnino idem nomine & oratione ad numerum significari definitionibus rerum oportet. Quæ si minima parte aliqua discrepent, idem non erunt definitio & definitũ, quum uidelicet definitio sit ut numerus, cuius εἰκὼν est

definitum, ut ait Plato in Cratylo. Eius hæc de nomine & oratione, quòd sint Idem scita ratio & disputatio est ἴσως· ὅσα ἐκ τινὸς ἀριθμοῦ ἀναγκαῖον εἶναι, ἢ μὴ εἶναι πάσχοι ἂν τοῦτο ὃ σὺ λέγεις. ὥσπερ καὶ αὐτὰ τὰ Δέκα ἢ ὅστις βούλει ἄλλος ἀριθμὸς, ἐὰν ἀφέλῃς τι ἢ προσθῇς, ἕτερος εὐθὺς γέγονε· τοῦ δὲ ποιοῦ τινος, καὶ ξυμπάσης εἰκόνος μὴ οὐχὶ αὐτὴ ὀρθότης, ἀλλὰ τὸ ἐναντίον οὐδὲ τὸ παράπαν δέῃ πάντα ἀποδοῦναι οἷόν ἐστι ὃ εἰκάζει, εἰ μέλλει εἰκὼν εἶναι. *Cœtera ex Cratylo requirant Studiosi. Ergo in Definitionibus & numerus, & qualitas partium Definiti sunt consideranda, nam si quid in his discrepet, Definitio & definitum idē non erunt, et quod prouerbio Græcorum dicitur, Aliud Leucon, aliud Leuconis portabit Asinus. Ex quo perspicuum est, operosius nihil esse, quàm Definitiones argumentando asserere. Rationes & Argumenta deinceps commemorabo, quibus fretus aliquis, orationem, quæ proponitur, definitionem esse alicuius poßit astruere.*

LOCVS XVI.

QVòd si probare definitionem & astruere velimus, primum intelligendum est, neminem, aut certe paucos, qui disserendo res explanant, definitionem Syllogismo colligere. Sed omnes eam vt principium ponunt. Id faciunt Geometræ & Arithmetici, quiq; in cœteris versantur disciplinis. Deinde illud etiam intelligendum est, alterius esse doctrinæ, subtiliter explicare quid sit definitio, & quemadmodum sit definiendum. Nunc quidem, quoad hic Locus postulare uidetur, eatenus hoc solum dicendum est, posse rationem, qua quid res sit explicetur, Syllogismo colligi. Nam cùm definitio Oratio sit, quæ quid sit res explicat, eaq; sola, quę in definitione dicuntur, de essentia rei dici debeant (dicuntur autem de essentia rei, Genera & Differentiæ) profecto si quis ea solum sumat, quæ de natura rei dici debent, quæ hæc ipsa complectetur oratio, definitio sit necesse est. Non enim aliud definitio esse potest, quandoquidem nihil aliud de rei essen-

tia

tia dicitur. Ergo illud quidem perspicuum est, definitionem per ratiocinationem posse concludi. Ex quibus autem astruere eas oporteat, alias tractauimus accuratius. Iidem Loci vtiles quoq; erunt ad præsentem methodum. Consideranda veritas finitionum, respectu contrariorum, ac reliquorum oppositorum, quo pensitare non tantum integras definitiones, sed etiam partes earum licebit. Nam si opposita sit oppositi definitio, proposita etiam erit propositi. Sed complexiones contrariorum cum sint plures, quæ maximè contraria sit, ponenda est complexio. Integræ igitur eo, quo dixi modo, sunt considerandæ. Earum partes sic excutiendæ erunt.

Plane dialecticum est definitiones astruere, quandoquidem disciplinæ omnes per definitiones, tanq; principia sua, proposita demonstrent, ipsas autem, ut per se notas & ueras nō probent, quippe primordia rationum indubitata debent esse, à quibus arceßit Demonstrationum contextus. Veruntamen si quæ paulo sint obscuriora, & explicationem quandam desiderant, ijs rationibus succurri dialecticis, iam initio Topicorum est dictum. Quare sua confirmabit, aut rationibus defendet Geometer principia, non quoad Geometra, sed quatenus offitio fungitur Dialectici, qui fretus communibus rationibus, de rebus omnibus disputare solet. Exquisitio porro et subtilitas, si quæ pertinet ad explicandam naturam definitionis, ea non est requirenda à Dialectica arte, quam modo tractamus, Topica scilicet, quoniam quid definitio sit, & quomodo constituenda uideatur, docuimus in Analyticis, nonnulla quoq; sunt exposita in Metaphysicis. In Analyticis posterioribus Definitionem syllogismo non demonstrari, multis argumentis ostendit Aristoteles. At dialectico syllogismo colligi eam posse ostendit in præsentia. Sunt autem Dialecticæ rationes hæ. Constat inter omnes, Definitionis partes in QVID efferri de definito. Quòd si sint omnes collectæ & ordine compositæ partes, quæ sic enunciantur, tota oratio nihil aliud, quàm definitio erit. At partes illæ nec quicquam aliud sunt, quàm Genus, & Dif-

ferentia. Ergo ex genere & differentijs omnibus composita erit definitio sola & una, nec poterit alia esse definitio, quoniam nihil aliud in quid, exceptis his, prædicari potest. Ex quo concludendum, hanc necessariò fore definitionem, et non aliam, quod hac ratiocinatione est conclusum. Cœterum partes illæ quomodo sint colligendæ, locis, & libris alijs accurate tractatum est ab Aristotele, ut in Analyticis posterioribus, & præcedentibus Topicorum libris, & locis, ut generis, ut proprij. Venamur enim ὅτι ἐστὶ differentiarum ex sensu notis proprietatibus rerum. Nam quemadmodum ὅτι ἐστὶ animaduertimus, autore Arist. ita quid est etiam colligimus. Multum itaq; interest, ut propria rerum habeas explorata, siquidem falli nolis colligendis partibus definitionis. Sunt præterea etiam communes quidam loci, quibus uel totam finitionem, uel partem eius quandam possumus astruere. Ut si contrarij definitio sit uera, etiam propositi erit uera & consentanea definitio. Ex complexionibus autem contrariorum (quæ sunt uariæ & multæ, nam & contrarijs contraria, & iisdem contradicentia contrariorum opponi solent, ut est dictum primo libro Topicorum) maximè apparet hæc complexio, qua contrario adiungitur ratio contraria: ut si amicis est benefaciendum, ualde cõsentaneum uidetur quo inimicis malefaciendum statuitur. Nam τὸ ἔνδοξον ἐν παραβολῇ φαίνεται καὶ τὸ ἐναντίον περὶ ἐναντίου, inquit Aristoteles primo libro Topicorum, Quo respiciens, in præsentia quoq; dixit, ληπτέον ἐκ τῶν ἐναντίων, ὁποῖος ἂν μάλιστα φανείη ὁ ἐναντίος ὁρισμός. Ut si definitio hæc sit Inimici, qui propter dissimilitudinem morum & studiorum odio incitatus, de aliquo malè mereri studeat. Eius non maximè contraria hæc erit, qua definitur Amicus, qui non propter dissimilitudinem morum, neq; propter odium aliquod, de aliquo male mereri uelit: sed hæc erit, ut sit qui amore affectus, propter similitudinẽ morum, bene mereri de aliquo conetur. Hoc modo definitiones integras astruere licebit: partium causa quomodo sint confirmandæ, deinceps ostendam.

LOCUS XVII.

RAtione partium astruemus definitionem hoc modo. Et primum ex genere, Si contrarium in contra-

rio

rio, id autem de quo agitur, si non est in eodem, certe in contrario genere erit. Quandoquidem necesse est, contraria, aut in eodem genere esse, aut in contrariis. Atque etiam contrarias differentias de contrariis dici æquum putamus. Vt exempli causa de albo & nigro, quorum de illo quidem dicitur diffundens visum, de hoc autem colligens visum. Quare si de contrario efferantur contrariæ differentiæ, profecto de eo, quod propositum est, eæ etiam differentiæ dicentur, quia oppositæ. Ex quo fit, vt quoniam & Genus & Differentiæ rectè explicatæ sunt, definitio vera sit, quæ data est. An vero necesse non est contrariorum contrarias esse Differentias, quando non in eodem Genere collocata fuerint contraria? Nihil enim prohibet in his, quorum Genera sunt Contraria, eandem Differentiam de vtrisque prædicari. Vt de Iustitia & Iniustitia, de illa quidem Virtus, de hac autem Vitium Animæ prædicatur. Igitur de vtrisque vocabulum Animæ (tanquam Differentia) enuntiatur. Quoniam corporis etiam virtus est & vitium. Ita pronunciatum superius ita demum verum erit, si ad hunc efferatur modum. Contrariorum vel contrariæ, vel eædem sunt differentiæ. Itaque si de contrario, contraria prædicatur Differentia, de altero autem non prædicetur contraria, manifestum est, quòd hæc eadem de eo sit efferenda. De vniuerso genere vt dicam, res sic comparata in contrariorum Definitionibus videtur, Siquidem ex Genere & Differentiis est Definitio: ac contrarii perspicua sit definitio, sequitur, vt etiam propositi certa sit & euidens Definitio. Quippe Contrarium vel in eodem est Genere, vel Contrario, eodem modo Differentiæ: nam aut Contrariæ sunt Contrariorum, aut eædem de Contrariis dicuntur. Quare certum est, quòd de proposito vel genus idem effertur, quod nimirũ etiam de contrario efferatur: differentiæ autem contrariæ vel omnes, vel quædam ex his, ita ut

reliquæ sint eædem, uel è regione, differentiæ sunt eędem, Genera autem contraria, uel ambo sunt contraria, Genera scilicet, & differentiæ. Eadem ambo hæc (Genera scilicet & differentiæ) esse nequeunt, alioqui contrariorum futura esset definitio eadem.

Plurimæ res definitæ sunt contrariæ, quarum partes definitionis ut sint colligendæ, docet illo loco Aristoteles. Omnino contrarium omne uel in eodem est Genere, uel contrario. Igitur si propositum non sit in eodem, ex necessitate in cōtrario erit Genere. Quin etiam differentias contrariorum contrarias esse oportet. Ex partibus his contrariorum definitiones constitutas, quin perfectæ & absolutæ sint, nemo infitias ibit. Sed dubitationem res habet. An scilicet semper contrario sit assignanda differentia contraria, & non: quemadmodum Genus idem, ita quoq; differentia possit esse amborum contrariorum eadem? Necesse est quæcunq; sunt in definitionibus contrariorum, aut eadem esse, aut cortraria. Quare si Genera erunt contraria, contrariæ Generum contrariorum non possunt esse differentiæ, quandoquidem contraria idem diuidant aliquid, eadem igitur amborum erit differentia. At si Genus sit idem, contrarias esse differentias oportebit, uel omnes, uel quasdam, ita ut quædam sint eædem. At quatenus eædem sunt differentiæ contrariorum, eorum contraria Genera certe esse oportebit. Itaq; necesse est in contrarijs definitionibus, uel inesse idem Genus, & oppositas diffeentias, uel easdem differentias & opposita Genera, uel oppositas differentias, & opposita Genera. Eadem Genera, & eædem differentiæ inesse non possunt, alioqui eadem ad numerum definitio esset contrariorū. Ex quo par est intelligi, ab his quæ numero sint idem, proximè abesse contraria, quandoquidem discrepantia totis Generibus planè nihil idem habeant, ac maximè sint inter se diuersa. Nam ut scribit Aristoteles, τὰ γένη ἕτερα πλεῖον διέστηκεν, ἢ τὰ εἴδη. Ex his quæ dicta sunt apparet, quàm non sit difficile propositam definitionem ex contrarijs, concessa, manifesta & euidente definitione astruere. In tractatione & explicatione διχοτομίας ostendi-

mus

mus quomodo Genera contraria participent eadem differentia, & contra Genus idem quo pacto diuiduum sit contrarijs, & ut idem in contrarijs, & contraria in eodem inesse poßint.

LOCVS XVIII.

EX casibus etiam & coniugatis ducuntur argumenta, Genera enim alia, alia sequuntur, & definitiones aliæ alias, hoc modo: Si Obliuio est depulsio scientæ, & obliuisci depellare scientiam erit, & Oblitum esse, idem quod depulisse scientiam. Si igitur unum eorum, quæ dixi, concessum sit, cœtera etiam concedantur necesse est. Itemq; si interitus dissolutio est naturæ, Interimere etiam erit dissoluere naturam, & accommodatè ad interimendũ, idem quod accommodatè ad dissoluendum erit. Et si id quod uim habet ad interimendum, idem est quod id quod uim habet ad dissoluendam naturam, interitus etiam dissolutio erit naturę. Eadem est cœterorum ratio. Ita fit ut si unum quodlibet sumptum sit, etiam r eliqua omnia concedantur. Ita quoq; ex ijs quæ eodem modo sunt inter se comparata, Si id quod Salubre est, efficiens est ualetudinis, id nimirum etiam quod ualet ad firmam constitutionem corporis, efficiens erit firmæ constitutionis corporis, & quod prodest, ad bonum efficiendum pertinebit. Eodem enim modo ad suum quicq; eorum finem est affectum. Ita si unius eorum definitio est, uim habere ad efficiendũ finem, unicuiusq; etiam cœterorum hæc propria erit definitio.

Si in uno coniugatorum appareat ratio generis & differentiæ, id est, partium definitionis, eædem nimirum in proposito quoq; inerunt, quoniam natura & essentia eadem est coniugatorum, ut contrariorum contraria. Modum enim non essentiam penitus ipsam inflexio hæc mutat. Eadem uis est analogiæ quæ unum per aliud notius facit comparatione eiusdem. Sunt nonnulla quæ quid sint, non nisi

*analogian intelliguntur, ut Materiæ est definitio. Hanc ita subi-
ici formis naturalibus intelligo, quemadmodum substantiæ subijci-
untur accidentibus, & artificum materiæ eorundem effectionibus.
Quinetiam principij omnibus in rebus, ut actus, priuationis, elemēti,
efficientis, et similium definitio non est una, nisi analogia. Nam ut
ipsa per se materia non cognoscitur, sed analogia natura ipsius de-
prehendi solet, ita quia res una nulla reliquarum causarum appella-
Aristo. tionibus est subiecta, sed multæ τῷ εἴδει discrepantes, quæ nihil idem
Metaphy. præter analogian habent, argumento quoq; ipsius astruendæ erunt,
li. λ. quandoquidem uim habeat ad probandum esse aliquid, analogia. Ut
si in hac specie efficientis, hæc est finitio, ut uerbi gratia, salubris,
quia faciat sanitatem: consentaneum est, propter analogian, ut ὑγιει-
νοῦ hæc sit, quæ nimirum faciat optimum corporis habitum. Communi-
tas Generis, quia certum εἶδος significat in rebus, λόγῳ potest expli-
cari, sed principiorum communitas non describitur λόγῳ sed analogia,
Meta. θ. iccirco præcipit Aristot. οὐ δεῖν πάντων ὅρον ζητεῖν, ἀλλὰ τὸ ἀνάλογον συνο-
ρᾶν. De argumento à coniugatis, quoad ipsis astruuntur finitiones,
opus non est ut plura scribam, siquidem per se satis est notum, astru-
endis omnibus problematum Generibus magnam uim esse coniugato-
rum & συστοίχων, quorum ratio quoq; aliâs tractata est exemplis. U-
num duntaxat in præsentia afferam. Aristot. in tertio libro de ani-
ma, docet phantasian esse motionē prouenientem in animali ex affe-
ctione sensionis. Hanc definitionem probat ex coniugato, quod est
φαίνεσθαι. Tum enim dicimus uideri nobis aliquid, quando affectio seu
motio sensus, id est, sensio ipsa, aliquid aliud in nobis affecerit. Hanc
facultatem Aristoteles in corde, Medici in cerebro collocatam di-
cunt: & energiæ suæ appellatur nomine, nempe phantasia. Ut solem
aspicientibus pedalem, idem uidetur quoq; pedalis. Talis enim uide-
tur esse & tantus, qualis & quantus percipitur oculis. Propter sen-
siones ergo solet affici animal, ut id quod non est, uideatur ei esse ali-
quid, quod nihil aliud sit quâm φαίνεσθαι. Nam quod non hallucinanti-
bus percipitur sensibus, istud sentiri, non uideri dicimus. Aut igitur
res ipsæ falsò adumbrant species suas in sensibus, quarum causa dici-
mus eas nō percipi quòd sint, sed uideri eas esse, aut absentes, tanquam
præ-*

præsentes, obuersantur, & quasi illudunt repræsentatione uerarum, quo in Genere præsertim conspicua est uis phantasiæ in animalibus, qua ratione quæ mouent etiam uerè sensus, φαντασμάτων, & non αἰσθήσεων obtinent appellationem. Colligit itaq; Aristoteles definitionem φαντασίας ex rebus significatis uocabulo coniugato, quod est φαίνεσθαι, quo magis, quid sit phantasia perspicitur.

LOCVS XIX.

EX maiore etiã, & quia similiter sint comparata, quotquot modi fuerint, licet astruere. Vt si duo conferuntur duobus, sic. Si hæc magis huius rei, quàm illa illius rei definitio est. Quæ aũt minus uidetur, definitio est, etiam quæ magis uidetur, definitio erit. Et si simili ratione, hæc huius rei, et illa illius rei definitio, et una alterius rei est, reliqua etiam reliquæ erit. Quòd si una definitio cum duabus rebus, aut res una cum duabus definitionibus conferãtur, nullus huius loci usus erit. Neq; enim res una duarũ definitionum, neq; duę unius rei definitiones esse possunt.

Ex Hypothesi probationes sunt, quando non, quod positum est, ipsum per se probatur, sed transigitur quasi cum respondente, si aliud quidpiam probatum sit esse, daturum etiam id quod positum sit, ita se habere. Consentaneum est et πιθανὸν, duarum rerum propositis finitionibus duabus, quarum altera minus uideatur esse definitio, & altera magis, & ostensum sit eam quæ minus uideatur esse finitionem, ex Hypothesi concedendum erit, positam quoq; pro definitione habendam, siquidem magis uidebatur esse. Vt si materiæ rei, quàm formæ notior est ratio, utrisq; propositis, si definitio formæ (quæ difficilior est et operosior) probata sit esse uera, Materiæ quoq; uera erit. Probabile enim est minus nos in facilioribus hallucinari, quàm in difficilibus. Vt si ignotius sit, quid anima, quàm quid corpus sit animatum, et concessum sit animæ finitionem esse, qua dicitur species, qua nutriatur, sentiat, moueatur, & intelligat animal, non multo negotio impetrabitur, hanc esse corporis

animati finitionem, quæ dicitur Corpus, phyſicum, organicum. Si difficilius eſt, ut ſcribit Ariſtoteles in Analyticis, Genus definire (propter homonymias enim generum, definitiones interdum confunduntur cum ſpecierum finitionibus) quàm ſpeciem, ut facilius eſt definire Magnanimitatem Achillis, aut Aiacis, quam magnanimitatem in genere: profectò ſi generis conceſſa ſit uera definitio eſſe & accommodata, propter comparationem & hypotheſin: concedenda quoq; erit ſpeciei μεγαλοψυχίας *eſſe uera. Colligendas generum definitiones ex ſpecierum finitionibus præcipit Ariſtoteles in Analyticis, ſic ſcribens,* διὸ δεῖ ἀπὸ τῶν καθέκαστον ἐπὶ τὰ καθόλου μεταβαίνειν. καὶ γὰρ αἱ ὁμωνυμίαι λανθάνουσι μᾶλλον ἐν τοῖς καθόλου ἢ ἐν τοῖς ἀδιαφόροις. *Limitat hunc Locum exceptione hac, ut uidelicet non ponantur aut definitio una, definita uero duo: aut definitum unum, definitiones autem geminæ. Quandoquidem definitio & definitum ad numerum ſint idem, ut definitum, ita quoq; definitio ex neceßitate una erit. Vnius enim non eſt niſi una definitio: quod autem unius interdum dicuntur duæ finitiones eſſe, aut duæ unius, non per ſe, ſed ſecundum Accidens Vnum uſurpatur. Vt uerbi gratia, uni ſpeciei conuenit ſua definitio, conuenit eidem generis quoq; finitio, non per ſe tertio modo, ſed primo, quia uidelicet pars eſt definiti. Et rei quoq; naturalis duæ ſint Finitiones, quarum una* ὅτι ἐστὶ, *altera* τί ἐστὶ *explanatur, ſed hæc formæ eſt, altera materiæ, uel accidentium rei: ergo duorum potius per ſe duæ, aut unius ſecundum Accidens duæ erunt Finitiones.*

LOCVS XX.

Maxime autem apti & accommodati ſunt ex omnibus Loci ij, qui modo expoſiti ſunt, & qui ex caſibus coniugatisq́ʒ ſumuntur. Itaqʒ ij maxime in mente fixi & parati eſſe debent (præſertim enim accommodati ſunt ad multa problemata) atqʒ etiam ex ceteris omnibus, ii qui latiſſime patent, quoniam, ex cœteris omnibus valent plurimum. Vt ſi propoſitis rebus ſingulis, item ſpeciebus, circumſpicias an iis vtriſque conueniat definitio,

quan-

quandoquidem Synonymum eſt εἶδος. Qui quidem Locus contra eos etiam valet, ut ſupra dixi, qui Ideas eſſe ponunt. Quinetiam conſiderandum, an definito uſus ſit, vt Metaphorico, vel ſi de ſeipſo prædicarit quidem, ſed vt diuerſo quodam, ac præterea ſi quis eſt alius communis & efficax Locus, vtendum eo erit.

Vt aliquid reſpectu alterius quod non ſit ipſum ſimpliciter, ſed uel accidens, uel genus, uel proprium ipſius, probetur, ex natura utriusq; multifariam poſſunt duci argumenta, quibus aſtruantur. At ipſum à ſe ipſo non diſcrepare, & numero idem eſſe aliquid probare, id eſt, oſtendere definitionem & definitum idem eſſe, ex natura rei probandæ non ſuppetunt probationis peculiares loci, uel argumenta, propterea quòd definitio & definitum ſunt cauſa, qua ferè oſtendimus in rebus omnibus, quòd ſint aliquid Idem. Quare quòd ipſa ſunt idem, nulla peculiari cauſa oſtendetur, alioqui oportebit aliquid eſſe quòd magis ſit unum, quàm finitum & finitio. Quocirca Vnum hæc eſſe, probatio capienda eſt ex maxime communibus rationibus locorum, ut pote qui adhiberi cœterorum generum locis queant. Quales ſunt qui ducuntur à contrariis, à ſimilibus, ab eo quod magis & minus dicitur, à coniugatis, ac ſimiles reliqui, qui ad definitionem aſtruendam ualeant. Præſertim qui ducitur Locus à coniugatis eſt utilis, quòd nimirum eo Synonymia probetur definitorum, & definitionum, reſpectu eorum, de quibus prædicari ut καθόλου definita ſolent. Omnino enim neceſſe eſt, ut Synonymum ſit definitum omne, ut pote cuius ratio colligitur ex rebus ſingulis, ac ſub ſenſum noſtrum cadentibus, nullo modo autem poßit eſſe eius, quod reuera ſeparatum & ſecretum à materia ſit, quales nonnulli fingunt eſſe Ideas, quibus non omnia eadem, quæ definitis conuenire ſolent: quo conſtat, Ideas homonymως appellatione Definitorum cenſeri, ut liquet ex his quæ diximus præcedente Libro. Ariſtoteles Locos maxime communes (quoniam ut euidentißimi, ita πιθανώτατοι ſunt) in omnibus problematibus adhibendos, & in promptu eſſe diſputatoribus iubet, ex quibus etiam eſt παράγγελμα illud longe communißimum, quod & contrariis,

& similibus, & coniugatis accommodari poßit, ut nimirum καθέκαστα consideremus (quandoquidem omnia Problemata sunt καθόλου) num ijs συνωνύμως quod in uniuersum dicitur, conueniat. Ratio enim & definitio debet eadem esse Speciei, & eorum, de quibus prædicatur species. Quod si in homine, qui est Idea, immortale includitur, singulis hominibus, & Ideæ item non conueniet Idem, quod ratione & definitione explicatur: ex quo sequitur, ut εἶδος & definitum non sit Synonymum, quod à ratione Definiti abhorret. Fretus hoc Argumento Parmenides, apud Platonem disputat. Ideas, etiam si sint, non participari tamen, neq; eas cognosci, aut definiri à nobis: uerba subscribam, quò certius & rectius hæc poßint, quæ dicuntur ab Aristotele, intelligi. ὦ. Σώκρατες οἶμαι ἂν καὶ σὲ καὶ ἄλλον, ὅστις αὐτήν τινα καθ' αὑτὴν αὐτοῦ ἑκάστου οὐσίαν τίθεται εἶναι, ὁμολογῆσαι ἂν πρῶτον μὲν μηδεμίαν εἶναι αὐτῶν ἐν ἡμῖν. Πῶς γὰρ ἂν αὐτὴ καθ' αὑτὴν ἔτι εἴη; φάναι Σωκράτην. Καλῶς λέγεις, εἰπεῖν. Οὐκοῦν καὶ ὅσαι τῶν ἰδεῶν πρὸς ἀλλήλας εἰσὶν αἱ εἰσίν, αὐταὶ πρὸς αὑτὰς τὴν οὐσίαν ἔχουσι, οὐκ ἀλλ' οὐ πρὸς τὰ παρ' ἡμῖν εἴτε ὁμοιώματα, εἴτε ὅπῃ δέ τις αὐτὰ τίθεται, ὧν ἡμεῖς μετέχοντες εἶναι ἕκαστα ἐπονομαζόμεθα. Τὰ δὲ παρ' ἡμῖν ταῦτα, ὁμώνυμα ὄντα ἐκείνοις, αὐτὰ αὖ πρὸς αὑτά ἐστιν, ἀλλ' οὐ πρὸς τὰ εἴδη, καὶ ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐκ ἐκείνων, ὅσα αὖ ὀνομάζεται οὕτω. Valent hi loci quoq; ad destruendum, non tantum ad construendum. Validißimi porro sunt communißimi quiq;. Prioribus addi potest ex Metaphora petitus locus, ut si per Metaphoram ad aliud adhibeatur nomen, cui ratione hac non poßit adhiberi definitio. Aut si de se ipso, tanquam aliud significante, proferatur nomen eadem appellatione. Vt si pax publica, alijs priuatim pax non sit. Potest enim fieri, ut publice discedatur ab armis, & priuatum suscipiatur bellum, quibus pax data aliud significet, quàm ea quæ publice suscepta sit, significetur. Ita diuitiæ auarorum aliud quiddam sunt, quàm simpliciter diuitiæ. Idem fit in multis, ut ipsum non ipsum esse dicatur, quamuis nomen habeat idem, propterea quòd, licet nomen habeant idem, ratio tamen non sit eadem, qua fit, ut aliquid de seipso, tanquam diuerso prædicetur. Alioqui in his quæ non sunt Definitum & Definitio, semper diuersum & aliud, de diuerso seu alio prædicatur. Idem de se ipso causa definitionis effertur, ut si hominem dixeris esse hominem, in qua prædicatione quæstio causæ locum non habet. Nemo

enim

enim quærit, quare homo ſit homo, ὅτι ἀδιαίρετον πρὸς αὑτὸ ἕκαστον. Ergo quando aliquid de ſeipſo prædicatur, ut diuerſo, cauſam ſubeſſe oportebit, nempe definitionem non eandem: quare ſic uſurpata uocabula, ut Definitorum appellationem reſpuunt, ita definitionem quoq; nullam habebunt. Communißimi hi ſunt Loci, quibus definitio nulla eſſe probatur, quia definitum ſcilicet nomen idem cum definitione ſit nullum, utpote diuerſis rebus accommodatum non idem ſignificans. Quanquam non omnino nihil Idem habent definitionis cauſa Idea & καθέκαστα: præterea per Metaphoram alij rei accommodata uox, aut de ſeipſa, ut diuerſum ſignificante, elata: in his enim omnibus idem aliquid ſignificantibus, diuerſum quiddam ſubeſt, quo arguitur Definitum & Definitio non eſſe idem. Ergo quibus rebus adhibeantur Definita, conſiderandum eſt. His ac ſimilibus communißimis rationib. poſitam Synonymorum uocabulorum definitionem refellere poſſumus. Proinde ut communibus locis probamus, idem eſſe definitum & definitionem, ita non eſſe idem, ſed diuerſa, communibus iiſdem, & præterea pluribus alijs uti poterimus, qui ſunt in primo Topicorum libro deſcripti & expoſiti.

LOCVS XXI.

Difficilius autem eſſe confirmare & probare, quàm refellere, ex iis quæ deinceps dicemus, perſpici poterit. Neq; enim facilis cognitu eſt Definitio, neq; ij, quos interrogamus, libenter dant propoſitiones huiuſmodi. Vt, Eorum quæ data definitio complectitur, vnum Genus eſſe, alterum Differentiam. Et, In Eſſentia rei Genus Differentiaſq; dici, ſine quibus, Syllogiſmo probari non poteſt Definitio. Nam ſi quædam etiam de eſſentia rei dicantur, & in quid efferantur, certè dubium eſt, ea ne quæ ſtatuta eſt, an alia eius Definitio ſit, quandoquidem Definitio eſt oratio, quæ quid res ſit explicat. Quod etiam ex his intelligi poteſt, quia facilius eſt vnum probare, quàm multa. Ac ei quidem, qui euertit, ſatis eſt in vnum quid dirigere argumentationem. Quippe ſi

unum qualecunq; refellamus, euertimus definitionem. At uero ei qui confirmat, omnium eorum quæ definitio complectitur necessaria complexio est, qua deducat in unum partes omnes commodis rationibus.

Definitio quòd sit eadem definito (id ipsum uero nihil aliud est quàm astruere definitionem) ut paucioribus ostenditur argumentis, quàm ipsam esse diuersam & aliam (quod est refellere eam) ita multo difficilius est eam astruere quàm destruere. A respondente duo sunt impetranda astruendis finitionibus, quæ non facile obtineat aliquis. Quorum primum est. In proposita finitione partem unã esse Genus, partem uero alteram esse Differentiam. Nempe quidpiam esse commune, quo res definita idem aliquid sit cum alijs quibusdam, & discrepans etiam quid, quo differat ab omnibus alijs, Alterum est, ut ostendat utrumq;, Genus scilicet & differentiam, talia quædam esse, quibus quid sit definitum, exprimitur, id est, non aliquid in ipso, sed omnino ipsum καὶ ὅπερ αὐτὸ definitum. Absq; duobus his concessis, colligi argumento nullo poterit definitio. Vt si præter Genus & differentiam, concedãtur etiã alia quædam prædicari in quid, ut accidentia, uel propria (quæ omnino in definitione speciei sunt remouenda) quæ quòd non sint Genera & differentiæ, partim locis Generis, partim definitionis probatur, quod operosum sanè & difficile esse nemo ignorat. Nam si quid horum prædicetur etiam in quid de definito, & ijs compræhensa fuerit definitio quædam, non constabit profectò, utrum quæ posita est, an hæc altera ratio pro definitione sit numeranda. Quare quod hæc in quid non prædicentur, argumentis, in locis Generis & definitionis expositis, ostendẽdum erit, quibus si quid pro Genere, aut differentia, quod tamen Genus nõ sit, aut differentia, positum fuerit, refellitur. Horum locorum non ignarum esse oportebit, qui partes definitionis colligere conetur, quæ sanè omnia multi sunt laboris, & quæ non certe mediocrem artis dialecticæ usum desiderent. Quòd autem confutatio sit facilior quàm confirmatio uel inde perspicitur, siquidem uel uno quopiam in definitione infirmato, totam euerti necesse est, in confirmando autem nihil feceris,

nisi astruas omnes partes, & eo modo quo dictum, rationibus deduxeris, ut constet, legitimas esse partes definitionis illas.

LOCVS XXII.

PRæterea ei qui astruit definitionem probandum est quòd de omni dicatur definitio, de quo nomen etiam prædicetur seu definitum. Nec non reciprocari oportet inter se, DE QVO nomen, de eodem oratio quocq; dicitur, siquidem propria sit definiti quæ posita est definitio. At eum qui refellit, satis est, uni, docere non conuenire definitionem, eorum scilicet quæ nomine definiti sint compræhensa. Aut si καθόλου definitionis oporteat refellere, non opus erit reciprocatione hac, quæ usurpatur in astructionibus, sed satis est demolientem καθόλου definitiones, ostendere quòd de quodam definitio non dicatur, de quo nomen prædicetur tamen. Cœterum reciproco, atq; è regione conuerso, nihil opus est ad probandum pronunciatum illud. De quibuscunq; definitio non dicitur, de eisdem nec nomen.

Non si de aliquo eodem definitum & definitio prædicentur, ob id ritè constituta erit definitio, ac satis pro ueritate defensa, sed de omni eodem prædicari, constare oportet, ita ut de quocunq; nomen, de eodem uerè dicatur ratio & oratio nominis. Idipsum uerò καθόλου reciprocum esse oportet etiam, alioqui propria non erit Nominis definitio, ac uicißim uerum erit, de quocunq; definitio, de eodem nomen effertur. Qui refellit definitionem, ostendet dici nomen de aliquo, de quo tamen definitio non dicatur. Nec erit necesse pronunciatum id, καθόλου demonstrare, ut hoc modo, De quocunq; uerum est Nomen, de eodem nullo, definitionem esse ueram, Neq; etiam si adplices ad refellendam definitionem καθόλου positam, neq; præterea etiam reciprocatione eius est opus ut confutatio uera uideatur, quemadmodum in astructionibus opus est ἀντιστροφῆς. Neq; enim ne-

cesse est, ut de quo non omni uera est definitio, ut de eo omni uerum sit Nomen, siquidẽ potest fieri ut de aliquo uerè non dicatur finitio, de quo tamen nõ ob id nomẽ nõ uerè dicetur. Quare in destructione neq; καθόλου propositione opus est, nec positæ reciprocatione, ad cuius falsitatem coarguendã nihil interest, siue definitio de nullo dicatur, de quo definitũ, siue de pluribus quàm definitum, siue de paucioribus. Quocunq; horum posito, uerum erit, & ad declarandam definitionis falsitatem satis, si ostendatur (quia opponitur eius ueræ astructioni καθόλου) alicui non conuenire definitionem, cui conueniat tamen omni definitum, aut alicui non conuenire definitum, cui omni conueniet definitio. Est igitur ratio qua probatur falsa, dißimilis ei, qua ostenditur uera definitio, & qua nulla, discrepat ab utraq;. Nulla est definitio, quæ nullius rei est, atq; eius nullum quoq; nomen est. Quod è regione ei respondet per affirmationem καθόλου, non demonstrat utriusq; consentaneam negationem, sed ipsius per se ueritas καθόλου negationis, est uera. Alioqui si uerum sit, Nullo existente animali, nullum esse hominem, In primis necesse erit, Omnem hominem esse animal, è regione reciprocantibus uerè, uno affirmante, altero negante καθόλου propositione, quarum affirmans propositio, causa sit, ut negans sit uera. Sed cùm uera sit negatio qua dicitur, omnium, quorum non sit definitio, eorundem esse quoq; nomen & appellationem nullam, sed non si nomen sit, iccirco definitionem quoq; esse oportebit. Definitio enim non est oratio idem significans Nomini, alioqui quælibet fabula definitio esset, & Ilias, quia nomen habet, tot librorum Homeri narratione definiretur, proq; longa historia uel fabula, nouo & alieno more, prolixa appellabitur definitio. Quapropter non si Nomen alicuius fuerit, definitionem quoq; ob id ipsius esse oportebit, quoniam definitione continentur partes, quibus non per accidens unum constituatur, utpote quorum unum sit Genus, & alterum differentia, οὐ γὰρ ἔσαι οὐδενὶ τῶν μὴ γένους εἰδῶν ὑπάρχον τὸ τί ἦν εἶναι. Si quæ non sit ex his partibus constituta oratio, pro definitione non erit numeranda, licet explicet aliquid. Ex quo par est intelligi, non omne id quod nomen habeat,

Vera. Falsa. Nulla definitio.

Aristo. li. 5 Metaphy

at, definitionem quoq; habere, ut nihilominus uerè hoc dicatur, quorum definitio sit nulla, istorum quoq; Nomen fore nullum, quod postremo nobis huius loci fuit declarandum.

LOCVS XXIII.

IAm si omnibus etiam quæ Nomen complectitur, conueniat, non solis autem ijs, definitio euersa erit.

Altera hæc est formula destructionis falsæ definitionis, qua non reciprocans cum Nomine, repræhenditur, ut si definitio ad plura quàm Nomen pertineat. Hominem sic aliquis definierit, si ei adhibeat animalis finitionem, sed hæc nota sunt ex dictis præcedente loco.

LOCVS XXIIII.

SImilis est ratio Proprii & Generis. Vtrunq; enim eorum facilius refellitur, quàm probatur. Atq; id quidem de Proprio, ex iis quæ dicta sunt perspici potest. Ferè enim complexione quadam proponitur proprium. Ita uno uerbo repræhenso, licet ipsum refellere. At ei qui probat Proprium, omnia confirmanda sunt necessariò. Cœtera autem omnia ferè, quæ ad definitionem, ad Proprium etiam conueniet assumere. Eum enim oportet qui probat, omnibus iis quæ subiecta sunt Nomini, docere, conuenire. At eum qui refellit, satis est uni docere, non conuenire. Sin conueniat omnibus, at non solis, hoc etiam pacto repræhensum erit, quemadmodum in definitione diximus.

Propria plæraq; sunt complexa, in quibus ratio astruendi, & destruen-

destruendi ualet eadem, quæ in definitionibus. In simplicibus astruendis, uel refellendis, cœteris utimur Locis proprij libro quinto expositis. Reliqua nihil habent difficultatis. Comparat Aristoteles capita locorum, quænam quibusnam faciliora sint, aut difficiliora, ad construendum uel destruendum. Atq; ipsa per se pluribus astrui, quàm destrui possunt argumẽtis nonnulla, quædam contra destruuntur minore negotio, quàm astruuntur, de quibus deinceps disseremus.

LOCVS XXV.

GEnus autem licet probare vno modo, si omnibus cõuenire doceamus. Refelli autem duobus. Nam & si nulli, & si alicui doceatur non conuenire, euersum erit. Iam eum qui probat, non satis est ipsum inesse monstrare, sed eum etiam oportet, quare vt Genus insit ostendere. At eum qui refellit, satis est, non inesse docere in aliquo, vel in nullo. Videtur autem, vt in cœteris rebus facilius est dissipare, quàm dissipata & conspersa connectere, sic in his refellere quàm probare.

Quare difficilius sit Genus astruere quàm refellere, causas affert, quas declarare non est opus, cùm ipsæ per se sint notæ satis & perspicuæ.

LOCVS XXVI.

ACcidentis porro generalis, facilior refutatio quàm confirmatio est. Confirmando enim, docendum est, conuenire omnibus. In refutatione satis est ostendere, Vni non conuenire. Contra id quod tanquam pars, subiectum est generali, facilius confirmatur quàm repræhenditur. Ad probandum enim, satis est alicui docere inesse. Refutando autem nulli conuenire docendum est. Atq; etiam illud perspicuum est, ob quam causam facillima sit ex

ex omnibus definitionis refutatio. Plura enim quàm plerasq; eorum quæ exposuimus, complectitur, atq; ex pluribus facilius efficitur conclusio repræhensionis, quoniam in multis rebus sœpius, quàm in paucis error versari solet.

Facilimam accidentis, quo pars uniuersi generis significetur, astructionem, & difficilimam refutationem esse docet. Contra autem difficilimam ad confirmandum, & facilimam ad infirmandum definitionem. Probat argumentis, quæ interpretationem nostram non requirunt.

LOCVS XXVII.

PRæterea ad definitionem euertendam, ex alijs argumenta sumi possunt. Siue enim Oratio non est propria, siue Genus quod datum, siue aliud quod complectitur finitio (vt differentia) non conueniat, euersa erit definitio. At vero ad cœtera refutanda, neq; ea quæ ex definitionibus existunt, neq; alia sumi possunt. Sola enim quæ ad accidens sumuntur, ea sunt cum cœteris omnibus communia, quippe cùm ESSE aliquid, cuiuis reliquorum cõueniat. At si Genus non ut Proprium conueniat, non idcirco Genus euersum erit. Itemq; non necesse est Propriũ vt Genus, neq; Accidens vt Genus, velvt Proprium conuenire, sed duntaxat conuenire, vel ESSE. Ita fieri non potest, vt ex cœteris ad alia, nisi ad definitiones, argumenta ducantur. Perspicuum est igitur, Definitionis vnius ex omnibus, & probationem difficilimam esse, & facilimam refutationem. Nam probari et confirmari ratione hęc omnia debent. Etenim docendum & conuenire, & genus esse quod affertur, & propriam ac reciprocam esse orationem, & præterea rei essentiam declarari per ipsam. Et hæc oscitanter non sunt peragendi. Ad definitionis hanc naturam proxime accedit ex reliquis Proprium. Nam & facillimũ est ad refutandum, quod fere complexione verborũ qua-

dam constet, & ad probandum difficilimum, quòd multa concurrere, & quasi conuenire debeant, quodq; soli rei insit, & cum ea reciprocetur. Omnium autem Accidens facilimum est ad probandum. Quum enim cœtera non solum conuenire, sed etiam hoc vel illo modo conuenire docendum sit, tamen satis est ostendere, conuenire & ESSE Accidens. Difficillimeq; Accidens refellitur, propterea quòd perpauca complectitur, neq; enim declaratur in Accidente quomodo conueniat. Itaq; cœtera duobus modis refelli possunt, & docendo, non conuenire ea, & non hoc vel illo modo conuenire. Accidens autem refutari non potest, nisi ostendatur non conuenire. Ac loci quidem ferè ex positi sunt, ex quibus nobis ad quamq; quæstionem magna Argumentorum suppetet copia.

Libri VII. Finis.

Ad euertendam definitionem non tantum ualere argumenta ex locis definitionis adhibita, uerum etiam ex alijs locis posse adhiberi reliquorum capitum, quibus discrepent problemata. Contra non fieri, ut alijs problematibus adhibeantur loci uel definitionis, uel alterius cuiusquam, præter eos locos quæ nota ipsius seu capite compræhenduntur. Nam genus, neq; definitionis, neq; proprij locis resilli potest, ita quoq; proprium. Veruntamen ut Definitio, ad nihil aliud adhiberi potest refellendum, ita Accidentis loci uim habent ad refutandum in omni genere problematum: & ut Definitio facilimè, ita difficilimè refellitur accidens, quia sine modo & determinatione inest, probandũ enim duntaxat est quòd sit, & item quòd non sit, simpliciter. Alioqui non esse Genus, & simpliciter, & ratione modi, quòd suo quodam & proprio generis modo, non sit, probari poterit, ut plura sint in eo refellendi adminicula, quàm in accidente, Quæ in Genere, eadem ualet ratio in Proprio, & maximè omnium in definitione. Sed hæc per se satis sunt plana, ut interpretationem meam desiderare non uideantur. Habetis optimi iuuenes, quæ ad definitionis perfectam artem per-

pertinere ſunt uiſa, interpretatione horum librorum Ariſtotelis, tractata & expoſita ferè omnia, non certe plura, quàm in tantæ artis tractatione deſiderantur: nec quod gloriatur in ſuis ad Trebatiũ Topicis eloquentiſſimus Cicero, id mihi ſumere poſſum, ut quemadmodum liberales uenditores ſolent: ut cùm ædes, fundumue uendiderint, rutis cæſis exceptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſa apte & loco poſitum uideatur: hanc ego oſtentare liberalitatem poſſum, ut qui uix debita & neceſſaria expoſitione horum librorum exhibuerim. At pro uirili mea, quicquid eſt, præſtiti, atq; in tantis rebus conatum quoq; laudandum cenſeo, etiam ſi uires propoſito non ſufficiant. Veſtrum nunc eſt, ut primum hos Locos optimè & rectiſſimè cognitos, memoriæ mandetis, deinde: ut iudicandis & inueniendis, uel ueſtris uel alienis definitionibus, diſputando pro omnib. & contra omnes exercitatione diſſerendi uſum adhibeatis. Memoria quidem, ut expedita & in promptu habeatis hæc tanquam inſtrumenta diſſerendi, præſtabit, ſed uſus, ut accommodatè adhibeantur præcepta ad materias, & ut dextrè inſequi, aut cauere in diſputationum conflictu poſſitis, efficiet. In his enim, ut aliis decertationibus, laudatur in primis κραιπνὰ μάλ' ἔνθα καὶ ἔνθα διωκέμεν ἠδὲ φέβεσθ.

Præcipuè autem ſtudio Iuris ciuilis ueſtro, quod totum eſt arte dialectica ſuffultum, magnum adiumentum afferet labor hic noſter, quem boni conſuletis, & me, quod facitis, amabitis.

* *
*

***FINIS** Commentariorum Iacobi Schegkij in ſextum & ſeptimum Librum Topicorum Ariſtotelis.*

SVBIECIMVS GRÆCORVM uerborum et sententiarum interpretationẽ, propter eius linguæ ignaros, ut ne sit quod desiderare hac in parte possit æquus lector.

ὅτι ὁ φυσικὸς &c. fol. 9. *Quoniam Physicus circa hæc uersatur omnia, quæ sunt certi corporis seu certæ materiæ actus & affectiones.*

ἕκαστον δὲ &c. fol. 9. *Quoduis maximè ipsum respectu dicitur aliorum, ratione cuius alijs inest Synonymum, ut ignis dicitur calidissimum. nam ipse cœteris causa est caloris.*

τίς ὁ τρόπος. fol. 12. *Quinam est modus, si quis dixerit animal esse bipes, aut pedatum, per participationem? Num fortè componuntur, uel contingunt se mutuo, uel miscentur?*

τὸν δὲ ἀσφαλῆ. fol. 13. *Cautum ante omnia præstare decet ne similitudines ipsi imponant, quoniam Genus illud ualde lubricum est.*

τὸ εὖ &c. eod. *Bene translatis uti, contemplari est similia.*

οὐ δεῖ. fol. 14. *Non semper quærenda finitio, sed in nonnullis consideranda analogia.*

τῶν μεταφορῶν. fol. eod. *Metaphoræ ex analogia maximè pollent.*

δεῖ ἁπλῶς. eod. *Oportet inflexibilem esse Scientem.*

τὰν ὕλαν. fol. eod. *Materiam sigillum & matrem, nutriculam & generatricem esse tertiæ substantiæ.*

κύρια fol. 15. *Propria.*

τὸ σαφὲς. fol. eod. *Manifestum, iucundũ, & insuetum seu infrequens.*

δυσμὰς τοῦ βίου. fol 16. *occasus uitæ.*

ἐπὶ σμικροτάτου. fol. eod. *Incedentem exilißimo pede ire.*

καὶ γὰρ Προδίκου. fol. eod. *Audiui decies millies Prodicum distinguentem uocabula. Sed ego permitto tibi ut ponas & utare uocabulis pro tuo arbitratu. Tantum declares cui rei significandæ ipsa adhibere uelis.*

πολυπρόσωπον. 18. *Multi personatum cœlum, multiiugæ terræ.*

διπλᾶ. eod. *duplicia nomina. Poetica enim uidẽtur propter duplicationem.*

πλασματώδης 19. fictitij. πρὸς ὑπόθεσιν, coactis rationibus adhibiti ad Hypothesin.

οὐ συνετὸν non posse intelligi, aut supra captum nostrum esse quod dicatur.

τερετίσματα. eod. Cantiunculæ, in quibus omnia sint absurda, pugnantia cum ipsa inter sese, tum cum ueris alijs. Ac uidetur in his inesse uerbosa oratio Simonidæ. Tum autem oratione prolixa utuntur, quæ similis sit seruorum, quando nihil consentanei dixerint.

βοῶσ. fol. 20. Clamant ut per uim tracta.

ἀπαιδευσίαν. fol. eod. Ineruditionem.

εἰσὶ γὰρ. fol. eod. Sunt quidē qui quôd putant à philosopho nihil absq; figura dici debere, non sentiunt se abhorrentibus à re, & planè inanibus rationibus uti. Quod ipsum scilicet faciunt aut propter ignorantiam, aut propter arrogantiam. Ruditas utriusq; est causa ut sic animo sint affecti. Etenim ruditas est, qualibet in re tractanda proprias rationes ab alienis nonposse distinguere.

οὐ γὰρ τι. fol. 21. Non enim nunc & heri sed semper uiuit Ius illud, quod unde natum sit nemo nouit.

φύσει, συνθήκη δίκαιον. fol. eod. Natura, Pacto iustum.

κενοὺς λόγους. 22. inanes rationes.

ὅτι τὰ ἐναντία. 23. quod contraria notißima, & quæ iuxta se mutuo posita, magis sint contraria. Et doctrina prouenit ex eo quia magis sint opposita.

τὰ αὑτοῦ. eod, suas res agere, & non curiose sollicitum esse in negotijs aliorum.

τὰ ἀλλότρια eod. aliena curare, & curiosum esse in his, quæ nihil ad ipsum pertinent.

δι' ἣν τὰ. eod. per quàm quisq; sua habet, & ut præscribit Lex.

τὸ καθ' αὑτό. fol. 28. quod per se est, & quatenus ipsum.

δεῖ γὰρ fol. 31. Oportet enim propriorum, ut definitionum, primum aßignari Genus.

ἄπεπτον quod non est concoctum fol. 32. ὑγρὸν ἄπεπτον eod. humidum non coctum.

τὴν δίαιτ. fol. eod. Abstinentiam uictus præter consuetudinem facilius

cilius tollerant pituitosam habentibus superiorem partem corporis.

ἀπέπτους χυμοὺς fol. eod. non coctos humores, ὠμοὺς crudas, ἀκράτους non commixtos.

τῆς δὲ πρώτης fol. eod. Primi nutrimenti excrementum est Phlegma, aut si quid aliud tale. Et, Phlegma utilis nutrimenti excrementum est. Signum est, quia mixtum puro nutrimento, nutrit, & laborantibus consumitur.

ἀνάρμοστα non coagmentata fo. 35. Eod. ἐπειδὰν quando sic fuerint compacta, ut nihil eiusdem Generis poßit in medio recipi.

τελείωσις ὑπὸ fol. 40. Perfectio per calidum insitum & proprium ex patientibus contrariis.

ὅπερ γένος fol. 42. Ipsum Genus, ἀκριβοδίκαιος qui ad amußim persequitur ius suum. (opitulantem.

ἐλαττωτικὸς fol. eod. qui detrahi sibi patitur, tametsi legem habeat

ὃ ἂν ἀγαθὸν fol. 43. Quod cum sit bonum, existat etiam iucundum quia bonum, Eodem ἐπεὶ τὸ ἀγαθὸν quandoquidem bonum & honestum est diuersum. Illud enim semper est in actione, hoc uero & in rebus quæ motu uacant.

οὐ γνωρίζομεν fol. 44. Non cognoscimus ex quibusuis. Eodem. Est enim accidens ut indefinitum, ita est quod sciri nequeat.

ὅπερ ἐστὶν fol. 46. Ipsum per se esse, ὅπερ ἐπιφάνεια ipsa planities.

οὐδενὶ τῶν fol. 48. Nulli specierum generi non subiectarũ, existit quid res sit explicans oratio.

ἕκαστον ὡς ἔχει fol. 49. Prout cuiusq; comparatum est ESSE ita eius quoq; comparata est ueritas. Eod. ἀλλὰ μὴν, uerùm corpus minus est substantia quàm planum, & ipsum minus quàm linea, & linea minus quàm unitas uel punctum. His enim definitum est corpus. Et hæc quidem uidentur posse esse sine corpore. Sine his uero corpus non uidetur subsistere. Quapropter multi, & hi quidem priores censuerunt substantiam, & ipsum ENS, corpus esse, cœtera uero ipsius esse πάθη: quare & principia corporum, principia quoq; ilorum putarunt. Eodem ἡ δὲ στιγμὴ, Punctum, & omnis diuisio, & hoc modo insecabile declaratur ut priuatio.

αὐτὴ καθ' αὑτὴν fol. 50. Ipsa per se quando elaborarit circa ea quæ sunt.

ſunt. Eodem. *Ex contrario definitur & intelligitur ipſum unum, quemadmodum cognoſcitur ratione ſecabilis ipſum inſecabile. Propterea quòd magis cadit ſub ſenſum multitudo, & ſecabile, quam indiuiduum. Quare definitione præcedit multitudo id quod non diuiduum eſt quia notior ſenſu.*

ἢ μάθησις fol. 53. *Ita doctrina imbuuntur omnes, ut nimirum per ea quæ minus ſunt nota ſuapte natura, erudiantur, & cognoſcant deinde notiora natura.* Et *illud quidem operæ pretium eſt, ut in actionibus quando efficimus ex bonis cuiq; ut ea quæ ſimpliciter ſunt bona, fiant cuiq; etiam bona, Ita ex notioribus cuiq;, ea quæ ſunt natura & ſimpliciter notiora, facimus ut cuiq; ſint notiora. Cœterum cuiq; nota & prima illa ſæpe tenuiter noſcuntur, & ea aut nihil ſunt eſſentiæ rei, aut parum admodum eam attingunt. At nihilominus ex huiusmodi tenuiter admodum notis, nobis tamen euidentibus, tentandū eſt, ſi qua ratione peruenire ad ſimpliciter nota ualeamus.*

κατοπιάζει fol. 54. *Retrò inſequens tanquam ueſtigium Dei.* Eodem, ἡ γένεσις. *Generatio ſubſequitur eſſentiam, & eſſentiæ cauſa eſt, & non eſſentia propter generationem.*

ἀτμῶδες *uapore concretum,* ἀναθυμιάσεως *exhalationis.*

δύο γὰρ εἴδη fol. 57. *Duæ ſunt ſpecies eorum quæ naſcuntur in terra, Foßilia ſunt quædam, & nonnulla ſoliditatem habent metallicam. Igitur ſicca exhalatio exurens facit foßilia, ut lapidum Genus omne, & quæcunq; non liqueſcunt, item ſandaracham, ochram, minium, ſulphur.* Exhalatione *aūt uaporoſa generantur, quæ permutantur in Metalla, & aut diffundi poſſunt aut in bracteas dilatari, ut ferrū, aurum, æs. Gignit uero hæc omnia exhalatio uaporoſa incluſa, & maximè intra lapides, propter ſiccitatē in unū compreſſa, et concreta, tanquam ros aut pruina, quando materia ipſorū fuerit ſecreta. Illic uero priusquam ſeparentur (id eſt cauernis terræ exeant) & priusquam permutentur in terrā uel aquam, concreta exhalatione tali, quiduis iſtorum naſcitur.* Eod. δεύτερος πλοῦς, *ſecunda nauigatio.*

τὸ γὰρ μὴ διελέσθαι fol. 58. *Nō poſſe diſtinguere aliud eſſe reuera cauſam, et aliud hoc, ſine quo ipſa cauſa nō poßit eſſe cauſa, multa eſt prolixaq; rationū negligētia Quod genus uidētur mihi tanquā palpitātes quidā alieno oculo utentes in tenebris, reuera cauſam appellare.*

καὶ γὰρ ὁ λόγος.fo.60. Definitio quidem, huius per se, istius quodammodo est secundum accidens. Negatione enim, & quia aufert, declarat contrarium. Nam priuatio prima, contrarium est.

οὐδὲν διαφέρει fo.61. Scire nihil refert de quibusnam alijs prædicentur differentiæ.

ὅτι τὸ λαμπρότατα. fo. 63. Quòd splendidissimum sit eorum quæ circũ terram eunt. Eodem. Et omnino leuiculum est quærentibus nobis scientiam, dicere eam esse opinionẽ cum scientia. Eodem, ὅσιον per θεοφιλὲς Sanctũ per amicum Deo. Eodem, κινδυνεύεις, Videris ô Euthyphron, interrogatus quid Sanctum sit, non uelle essentiam eius explanare, sed πάθος duntaxat quoddam indicare, quod habeat, nempe id, amari scilicet ab omnib. Dijs, Sed quid ipsum per se sit, nondũ dixisti.

ἀντιδιῃρημένα, fo.64. E regione diuisa. φαυλότητα hebetudinem.

ὥσπερ ἐν, fo.65. tanquam in tenebris, alieno utentem oculo. Eodem, ὅτι πολλάκις, Quod sæpe cognoscatur contrarius habitus ex contrario. Eodem, ἀποσυμβε. quæ declarantur priuatione, accidentia.

ἀνδρεῖος, fo.66. Fortis est qui in acie manens pugnat cum hoste.

καὶ ὅλως. fo.67. Et omnino quod præter quantitatem in ipsius inest essentia, qualitas est quædam. Essentia enim cuiusq; est semel, ut sex quod est, id semel est, non bis, uel ter. Sex enim semel est sex. Eodem. ἐκ τῶν. ex oppositis, & è regione diuisis.

οὐκ ἔτι, fo.68. Non amplius idem est numerus, sed alius, si uel minimum quid detractum fuerit, aut appositum. Ita nec definitio, aut ipsa quid sit res, declarans oratio, eadem amplius est detracto, aut apposito quopiam. Eod. τὸ δ᾽ ἁπλῶς. Simpliciter esse, aut primum significat in his omnibus quæ prædicantur de ENTE. Aut uniuersum genus, compræhendens reliqua omnia.

ὅσα γὰρ, fo.69. Quæ non habent materiam neq; sensibilem, neq; intelligibilem, statim quoduis horum est Ipsum unum quid esse. Eod. οὐδὲν, Aliud nihil in finitione est, præter primum quod dicitur genus, & differentiæ. Reliqua genera sunt, primum genus cum diffrrentijs, compræhensa.

εἷς ἂν εἴη. fo. 71. Vna ratio fuerit definitionis Animæ & Figuræ. Neq; enim ibi figura est præter trigonum & reliquas. Neq; illic

Anima præter eas quæ sunt dictæ. Definitio quoq; figurarum potest communis constitui, quæ congruat omnibus simul, nulli autem propria existat. Ita quoq; res sese habet in definitione animæ, respectu Animarum enumeratarum. Quare ridiculum sit quærere communem definitionem, cùm in his, tum in reliquis, siquidem ea nulli debeat propria esse, neq; unam & indiuiduam proprijs partibus constitutam speciem explicare, huiusmodi finiendi formam posthabentes.

αἱ γὰρ, fo. 72. Rationis compotes facultes omnes eædem referuntur ad contraria. Eodem, βελτίων, optabile. Eodem, ἆρα φατέον. Dicendum ergo simpliciter & reuera optabile esse bonum, cuiq; autem quod ei appareat. At bono quod uerè est, apparet bonum, improbo quod pro re nata occurrit.

ὅτι ἑκάστη, fo. 73. Quoniam ars quæuis infinite dirigitur ad finem.

κατὰ προαίρεσιν, fo. 74. ex delectu. Eodem, ἐν ταῦθα. Hîc quidem scientia, ille uero propter delectum erit Rhetor. Eodem, Isthic quidem propter delectum finis Sophistes. Dialecticus autem non propter delectum, sed propter facultatem.

πολίτης, fo. 75. Ciuis simpliciter nullo aliorũ definitur magis, quàm quòd participet iuditio & magistratu.

τῶν δὲ ἀπείρων, fo. 77. Infiniti speciem ad multitudinem non prius adducere, quàm aliquis numerum eius omnem conspexerit, qui in medio est inter unum & infinitum. Tum demum quoduis singulorum istorum omnium permittere, ut tanquàm nihil ad nos pertinens in infinitum pro re nata abeat. δεῖ παντὸς. Eodem. In qualibet de rebus disputatione magis quid sint oratione, quàm appellatione constare debet sola absq; definitione.

διαιρέσεως fo. 81. diuisionis defectus.

τὸ δὲ τάξαι fo. 82. Collocare ut oportet: tum dicetur quispiam, quando uidelicet primum acceperit, quod consectarium est omnibus, ei uero non omnia. Tale quid esse necesse est. Illo accepto, de reliquis sentiendum idem erit inferioribus ordine. Nam secundum, respectu inferiorum primum erit, & tertium, respectu subsequentium. Detracto enim superiore, quod proxime sequitur cœterorum, primum erit. Idem iudicandum de reliquis.

εἰδοποιὸς fo.83 faciens ſpeciem. Eodem ἑτερότης τοῦ γένους, diuerſitas generis. Eodem λέγω γὰρ, dico autem differentiam diuerſitatem generis, quæ id ipſum facit diuerſum.

ὄνομα οὐ ποιήσει. fo.85. Nomen non faciet definiens. Nam ignotum erit. At quæ poſita ſunt, multis ſunt communia.

οὔτε τὰ γένη, fo.86. Neq; Genera naturæ quædam ſunt, aut eſſentiæ ſeparatæ ab alijs. Eodem εἰ οὖν, Si igitur Genus ſimpliciter non eſt præter eas, quæ generi ſubſunt ſpecies.

ἔστι γὰρ, fo.87. Eſt enim contrariũ uel priuatio, uel contradictio, ſed in uno quodã genere. Eod. Nullũ enim genus participat differentijs.

ἀμέθεκτον fo.88. quod non poteſt participari. Eodem, φανερὸν, perſpicuum eſt ex his ipſis id quod accidit aſſerentibus Ideas, quas dicunt ſubſtantiam ſimul & ſeparatum quid eſſe, ac nihilominus Speciem dicunt conſtitutam ex genere & differentijs.

ἀπόφασις συνειλημμένη fo.91. Negatio cum ſubiecto comprahenſa.

τῶν δὴ, fo.93. Ea quæ cuiq; inſunt, quædam latius patent, non tamẽ extra Genus ſe proferunt.

κίνησις φύσει fo.95. Motus natura et per ſe ſubmouet rẽ de ſuo ſtatu. Etenim differentiæ ſuæ gratia anima extra ſuam eſſentiam poneretur. Eod. ἐδιδάχθημεν, Didicimus ſpiritum animalem, neq; ſubſtantiã ipſius eſſe, neq; quaſi domicilium ipſius, ſed inſtrumentum primum, ex eo quòd per uulnera exeunte ipſo, ſtatim tanquam mortuum collabitur animal, his autem rurſus collectis, iterum quaſi reuiuiſcere.

ὀρεκτὸν τὸ, fo.97. Deſiderabile quod conſilij cauſa potius alio iudicatur. Cõſultando enim iudicantes appetimus pro ratione conſilij. Eod. ἐπιθυμία, cupiditas, animus, uoluntas, opinio, de quo capitur conſiliũ. Eod. Electio eſt conſultatio eorũ, appetens q̃ ſunt in poteſtate noſtra.

πρῶτον fo.103. primum uniuerſum quod eſt reciprocum, Vniuerſum, quod non eſt reciprocũ. Eod. Vna eſt ultima differentia, quæ eſt ſpecies & eſſentia rei.

τὸ ἐλλιπὲς, fo.104. defectus diuiſionis.

ὅσα δ᾽ ὅσα μὲν fo.108. Quæcunq; igitur partes ſunt ut materia, aut in quas diuiditur, tanquam in materiã, poſteriores ſunt: ſed quæ fuerint ut partes formæ, aut eſſentiæ rei, quæ explicatur finitione priores, uel omnes uel quædam. Eod. Quædam partes ſunt ſimul, nempe principales

cipales, & in qua primo inest forma & essentia rei, ut si illud in animali sit cor, uel cerebrum, nihil enim in præsentia laborandum, utrum sit horum. Eodem, συνόλου integri, uel compositi ex materia & forma.

τὰ γένει ἕτερα, fo. 119. Genere diuersa plus distant, quàm specie diuersa. Eod. φύσις, Natura nullius est rei alia, quàm mixtio tantum, & alteratio mixtorum.

διχοτομία, fo. 110. in partes duas sectio. Eod. διποδία, niti duobus pedibus.

ὑπόπουν, fo. 113. pedatum, bipedatum, fissipedatum.

τῶν πτηνῶν, fo. 118. Volucrium quædam sunt pennata, ut aquila, quædam membraneas habent alas, ut apes, quædam referunt speciem cutis, ut uespertilio. Pennata & cuticulam habentia omnia sunt sanguinea. Membraneas uero habentia alas sunt exanguia, ut sunt insecta. Sunt porro pennata & cuticulis expansis uolantia omnia, aut bipedia, aut carentia pedibus. Sed uolucria exanguia partim sunt, quæ quasi uaginis inclusas habent alas (ut scarabei) partim non ita teguntur, quorum nonnulla duas duntaxat habent alas, quædam quatuor. Et ex his sunt nonnulla, quæ gerunt aculeos ex postica parte, quædam parte antica.

οὐδὲν ἕτερον, fo. 119. Aliud nihil est in definitione, præter Genus primum appellatum & differentiæ.

τελευταίας, fo. 120. qua finitur aliquid: & aliud, ἐσχάτης, id est, quod rationem habeat postremæ differentiæ. Eodem, μία ἐστι, Vna est finiens differentia, quæ species est & essentia.

πᾶσα μεταβολή, fo. 123. Omnis mutatio suapte natura perimit rem.

εἰ πᾶσα, fo. 124. Si motus omnis, quatenus motus, est rei mobilis, Ipsa nimirum Anima suam ipsa desereret naturam (nisi ipsa seipsam secundum accidens moueat) siquidem ratione essentiæ, ipsa à sese mouetur. Eod. Nostri ut ad extremum semetipsos pro sapientissimis numerent, & solos se putant intelligere in rebus nihil inesse firmum & stabile, neque etiam in earum rationibus, Sed omnia susque deque tanquam Euripo quodam fluctuare, & nullo unquam tempore manere eodem statu.

λέγει Ἡράκλειτος, fo. 125. Affirmat Heraclitus, quòd nimirum cedant omnia, ac manere penitus nihil, fluminis fluxui assimilans ea quæ

ESSE dicantur, neq; enim potest fieri, inquit, ut bis, in eundem fluuium ingrediaris. Eodem Σω. Enimuero dicam ego, & explanabo non respuendum sermonem, nempe quòd ipsum per se nihil sit unum, neq; quicquàm est quod appellare poßis rectè, nec qualecunq; sit poßis ostendere. Sed quando Magnum nominas, statim paruum apparebit, & quando graue, leue, deniq; omnia reliqua ita se habent, ut res nulla sit quædam certa, aut qualitate certa. Quin omnia potius semper fiunt motiones, mixtiones, quibus, sese mutuo afficiunt, quæ sanè non recte dicimus ESSE. Horum enim nihil EST, sed omnia semper fiunt. Eodem τὰ δ' ὄντα. Res quæ cadunt sub sensum duntaxat, esse, sunt arbitrati. In his aũt indefinitæ naturæ plurimum inest, & natura quoq; entis, eo quo dictum est modo. Quare uerisimiliter, sed non uere differunt. Veruntamen sic sentire, magis est consentaneum, quàm quemadmodum Epicharmus aut Xenophanes opinantur. (Xenophanes, ut interim illud admoneam, extra interpretationem, censuit, nihil generari aut corrumpi, aut mutari, sed omnia esse æterna, contra cuius opinionem Aristoteles in libro qui inscribitur, de Xenophanis, Zenonis, Gorgiæ opinionibus. Liber ille ualde mutilatus est, & extat inter Græcos Aristotelis libros, sed redeo ad interpretationem) Quin etiam cùm uiderent mobilem hanc uniuersam esse naturam, & quòd de eo quod mutatur subinde nihil ueri poßit efferri, de eo nimirum quod omnibus modis obnoxium esset mutationibus nihil omnino ueri posse dici arbitrati sunt. Ex hac opinione effloruit præcipuum dogma illorum de quibus dixi, & qui Heraclitum sequi dicebant, qualem etiam habuit Cratylus. Is ad extremum putabat, ne loquendum quidem esse quicquam, sed digitum mouebat tantum: reprahendens Heraclitum quòd dixisset in eundem fluuium non posse aliquem ingredi bis, nam ipse, ne semel quidem, arbitrabatur.

φανερὸν ὅτι fol. 126. Manifestum quod neq; habitus, neq; depositiones habituum, aut adeptiones sint alterationes quædam. At nihilominus n-sci & corrumpi eos necesse est alteratis quibusdam.

ἑκάστου fol. 128. Cuiusq; actus in est in eo quod potentiæ seu facultatis causa subiicitur, & in sua propria materia.

εἰχὴ

μέχρι δή. fol. 129. Quatenus oportet Physicum cognoscere speciem, & quid ipsa sit? An cognoscit eo modo quo medicus neruum, aut faber æs, aliquatenus scilicet. Horum enim quoduis est gratia alterius. Et præterea etiam Physicus uersatur circa ea quæ separabilia quidem sunt specie, sed quoad sunt in materia. Nam & homo & Sol gignunt hominem. Sed ipsam per se speciem separatam & quid ea sit, contemplari, pertinet ad primam Philosophiam. Notandum, Hominem & Solem considerari quatenus habeant separatam ut Sol, uel separabilem speciem, ut homo, sed quatenus per corpora sua certos exercent motus. Sed de his diximus in Acroamatum expositione, Eodem, φανερὸν. Manifestum carnis & oculi, ac cæterarum partium, unà cum materia definitionem aßignandam.

εἰ δ' στέρησις fol. 130. Siquidem priuatio quoq; habitus est quodam modo, omnia nimirum erunt aliquid habendo. Eodem πρός τι. Ad aliquid, alij enim formæ alia subest materia.

ᾗ μὲν ἦν πῦρ fol. 131. Quatenus enim ignis uel terra non sunt habilia ut agant uel patiantur quid.

αὐτὴ γὰρ fol. 133. Ipsa enim conspecta natura omnem soluisset dubitationem.

λόγοι fol. 134. Rationes ut minimum accuratæ.

ἡ μὲν σύγκρισις fol. 136. Per se est collectio. Nam determinare & unum facere, ignis est. Secretio uero secundum accidens conuenit. Nam quod colligit eiusdem naturæ substantiam, id ipsum eximit quoq; quod inest alieni.

οὐδὲν ἡ φύσις fol. 149. Nihil tale facit natura, quale efficiunt fabri ærarij ob indigentiam. Nam unũ ad unum natura dirigit, ita enim quoduis instrumentũ rectißime parabitur, si unum inseruiat uni operi. Eodem ἐθέμεθα. Posuimus ac sæpe iam diximus, si meministi, unumquemq; non nisi unum meditari debere in republica, & id quo cuiusq; natura maxime inclinat & habilis est. Dictum est enim quod Iustitia hæc sit ad se pertinentia agere, & in alienis non curiosum esse. Eodem. Consueta hæc naturæ est solertia, nulla ex parte cuiusquam instrumenti energiam omittere, aut usum, si poßit fieri, ut uno plures obeat actiones, Eodem. Qua fieri potest, ut ad actiones duas instru-

mentis utatur duobus, & unum altero non impediatur, tum iis sic utitur natura, quemadmodũ æraria fabrilis propter frugalitatem parat, Obeliscolychinon, id est, uerucandelabrum. At si quando fieri solet ut unum altero impediatur, uno uidelicet atq; eodem abutitur quasi ad plura opera.

καταχέχρηται. fol. 141. Abusa est natura inspiratione ad duo. Vt præcipuo usu, quo pectori opitulatur, obiter autem ad oderatum.

ὁ δὲ γε θυμὸς fol. 145. Ira tãquam feruor quidam & motus uehemens facultatis animosæ quæ est collocata in corpore cordis.

οὐ γὰρ ἐστιν fol. 149. Non enim est dolor distantia partium suapte natura concretarum, sed ea potius efficit dolorem. Eod. τὴν φύσιν. Quorum natura alteratur & corrumpitur, iis dolores oboriuntur. Eod. ἡ νάρκη. Stupor dolorem soluit.

ἅμα τῇ fol. 150. Simul cum inflammatione extensionem habet particula, & tangentibus nobis apparentem, ac ipsi laboranti etiam per consensum, id est, per communem sensum, percepta.

ᾗ γὰρ συμπέφυκεν fol. 151. quoad unumquodq; in speciem unã coaluit, eatenus ipsum à se nihil patitur. Eod. ἀπαθείας. Expers, qua deterius fiat aliquid, perpeßionis, item principii permutantis aliud, quatenus est aliud respectu interitus.

ὅτι καὶ fol. 152. Quoniam & secundum intemperantiam repentina mutatio solutionem quandam efficit unitatis.

αἰσθάνεσθαι fol. 158. Sentire necesse est hoc aliquid, & VBI & NVNC. Ipsum uniuersum seu catholu quod est in omnibus, fieri nequit ut sentiatur: Quia nec est hoc, necq; nunc, alioqui enim non esset καθόλου. Nam quod semper & ubiq; est, id dicimus καθόλου.

δοκεῖ δὲ fol. 162. Videtur quibusdam ignis natura simpliciter esse causa nutrimenti et incrementi. Verum non est simpliciter causa, sed anima potius. Quoniam incrementũ ignis infinitum est, usq; dum suppetit quod poßit uri. Quæ natura consistunt finis quidam est & certa ratio magnitudinis atq; incrementi. Hæc uero propria sunt animæ, non ignis, & ad speciẽ magis quàm ad materiam pertinent.

οὐκ ἐν δυνάμει fol. 163. Non potentia est arrogans, sed uoluntate. Ex habitu enim talis dicitur, eadem non etiam Mendax dici consueuit.

sueuit. Eod. ψεύστης. Mendax qui promptus est, & cupidus mendatiũ sermonum, non ob aliud quiddam, sed propter ipsum mendacium, & qui ipsum quoq; alijs persuadere conetur. Eod. τῆς ἀρετῆς. Virtutis et moris principatus est in delectu rerum. Eodem ἐπὶ κοῦ τὰσ. Facultates ascribant corporibus, per quas gignunt ad modum instrumentales, auferentes causam quæ specie rei describitur.

δι᾽ ὅ.170. Iccirco opulentiæ studium fere omniũ uersatur in perceptione fructuum & animalium. Sed illud cum sit duplex, quorum unum cauponatio, alterum dicitur Oeconomia. Et Oeconomico quidem illo acquirendis quidem necessarijs laudato, sed eo quòd permutandis mercibus penitus est addictũ iustè repræhẽso. Non enim cõsentaneum est naturæ studium hoc quærendo, cùm unũ acquiritur ex alio. Et optimo quidem iure fœneratoria uituperatur, quòd ea nihil aliud quæratur, quàm possesio pecuniæ, & non id gratia cuius instituta est. Nam introducta est propter permutationes, Fœnus aũt ipsam amplificat, unde nomẽ quoq; habet. Similis enim proles est parentibus, quare maximè contra naturam acquisitio hæc est.

συνημμένα fol.174. Connexa, disiuncta simpliciter, disiuncta connexè, disiuncta: quæ posint separatim, & posint etiam simul esse. παραδιαζευκτικὰ uocant Græci. Eodem, αἴσθησις, sensus grauitatis oboritur, uel propter uenas, uel propter arterias, uel propter pinguedinem, uel propter ossa, uel propter quædam ex his, uel propter omnia. Manifestum etiam, si omittamus tales diuisiones, ut uerbi gratia, uel ex quibusdam, uel ex omnibus, subaudiendas tamen esse, scientes in huiusmodi orationibus coniunctiones non esse accipiendas simpliciter disiungentes sed παραδιαζευκτικῶς disiungentes. Eodem πληθωρική. Plethorica diathesis est quando uel grauitas uel tumor in membris consistit supra uel contra naturam. (Crasin

τῶν ἑκάστου fol.176. Cuiusq; corporis substantiam peculiarẽ ipsius esse

οὐ ταὐτὸ fol.179. Non idem significat diuisum & coniunctum, neq; scientiæ uocula in specie.

τὰ πρός fol.180. Hæc quidem per se dicuntur relata, illa uero quando Genera ipsorum fuerint relata, ut Medicina est ad aliquid, quia Genus ipsius, nempe scientia uidetur referri.

ἐπειδὴ, *fo.184. Quoniam finis aliquid est extremorum, ipsum quoque malis significandis accommodamus, quando dicimus perfecte aliquid periisse, aut corruptum esse, quoad nimirum nihil defuerit mali aut corruptionis, sed in ipsius extremo constiterit.*

οὐδὲν, *fo.185. Nihil aliud nutricatio est, præter perfectam assimilationem.* Eodem. ἀεὶ, *Semper in fine esse. Eodem,* ἠρεμοῦσα, *magis quieti similes, quàm motioni uidentur.*

εἴ του ἡ φύσις, *fo. 186. Si cuius natura simplex fuerit & eadem semper, actio & praxis suauissima eadem semper erit. Quare Deus unam & simplicem uoluptatem semper gaudet. Non solum enim motionis est energeia, sed immobilitatis quoque. Et uoluptas quidem magis est in quiete, quàm in motu.*

ἔστι μικτὸν, *fo. 189. Mixtile est quod facile terminari potest, atque agendi patiendique facultate sit præditum, & tali mixtile. Respectu enim homonymi dicitur mixtile.*

πότε ἕτερον, *fo.190 Quando igitur diuersa est species? num quando idem in alio est atque alio, an quando alia in aliis. Horũ quæ determinatio, aut quo discernimus utrum album & dulce sint idem, uel diuersa? An quia in diuerso (ut sensu) apparet esse diuersum, uel quia omnino (ut genere, propter mentem) sit diuersum. Notandum, quòd reperiantur diuersa in duersis subiectis, aut idem in diuersis, ut agitatio quæ uenti est in aëre, & quæ aquæ, in fluctu, aut diuersa, in eodem, ut album & dulce in saccaro. Diuersa sunt in diuersis, ut contraria in diuersis subiectis.*

τὸ μὲν ὄν, *fo.193. Bonum reuera, apparet esse bonum honestis. Improbo, quod pro re nata occurrit, apparet esse bonum. Eodem,* ἓν δή τι, *Vnum quid est quod primo mouet, nempe appetitus. Quòd si simul mens & appetitus moueant, propter commune quoddam* εἶδος *uim haberent ad mouendum. Eodem,* ταῦτα, *hæc magis apparent* Entia. Eod. ἡ μὲν, *materia quidem hoc aliquid existens, quia apparet.*

ἀλλ᾽ ἡ στέρησις, *fo.195. Si priuatio est habitus quodammodo, omnia, habendo nimirum aliquid erunt. Eodem,* ὁμωνύμως, *ambiguè dicitur circulus, is qui simpliciter est, et qui in singulis unus est.* Eod. *Neque sensiles lineæ tales sunt, quales dicit esse Geometra. Nihil enim*

hoc

hoc modo in sensilibus rectum est aut rotundum perfecte. Etenim re-gulam attingit Circulus non secundum punctum. Quinetiã ut Pro-tagoras reprahendens Geometras, dicere solebat, neq; motus neq; fle-xuosi ambitus tales sunt, ut similes sint his, quos explanant Astro-logi. Eodem, *Operatur autem habens, quapropter præstantius illud erit, quod Mens habet diuinum.*

ὅτι λεπτουργεῖν, fo.197. *Quoniam subtiliter non censent posse exquiri, ut præcipientes docere poßint, quid cuiq; aut singulis corporibus sit conuenienter adhibendum, sed craßius putant hæc tractari debere, respiciendo ad id, quod ut plurimum & in plerisq; ita se habeat, de u-tilibus rationes instituendas.* Eodem, οὐ δεῖ, *Non oportet omnia rati-onibus probare, sed aduertendus animus sæpe his, quæ percipiuntur sensibus.*

τῶν νόσων, fo,199. *Morborum medici sunt naturæ ægrotantium.* Eodem. *Hæ rationes non tractantur musicè, quia non concinunt, neq; congruunt inter se.*

τὸ πολὺ, fo.203. *Multum, est homonymum: quorundam sunt etiam homonymæ definitiones. Vt si quis multum definiens, dicat esse tan-tum, & præterea aliud quiddam tantum. Item æquale est homony-mum, & aliquando pro re nata usurpatum uocabulum, Vnius, statim est homonymum. Quod si unum, ergo etiam Duo. Quòd si una est om-nium natura, quî fit, ut hæc quidem inter se sint comparabilia, hæc uero non sint? an causa est, quod hæc non sunt in eodem primo subie-cto.*

πᾶσα γὰρ, fo. 208. *Omnis contraria oppositio continet alterius op-positi priuationem.* Eodem, καὶ τὰ, *Ratione eiusdem subiecti pluri-mum distantia, sunt contraria. Eadem enim contrariis subiecta est materia.*

τῷ εὐθεῖ, fo.210. *Recto & ipsum rectum, & præterea curuum co-gnoscimus. Vtriusq; enim iudex est canon. Curuum uero nec sui ipsi-us, nec recti regula est.* Eodem, πᾶσα, *Omnis oppositio contrariorum alterius contrarii priuationem continet, ut inæqualitas, æqualitatis, & dißimilitudo, similitudinis.*

ὅλως δ', fo,213. *Tota constitutio animalium ex his constat, quæ diffe-*

runt natiuis locis. Nulla enim partium, suum naturalem locum obtinet. Eod. ἀλλ' οὔτ' ἀπολέσθαι, Fieri non potest, ut mala aboleantur ô Theodore. Nam bono contrarium aliquid esse oportet, quæ tamen in Dijs collocari non possunt. At circum mortalem hanc naturam, & istum locum semper uersatur ex neceßitate.

καθόλου, fo. 217. καθόλου, id est, uninersum genus est, quod diuisionem excludit, & quatenus expertia sunt diuisionis, hac ratione unum dicuntur. Vt si quoad homo non habeat diuisionem, eatenus unus homo: Aut si quatenus animal, Vnum est Animal: aut quatenus magnitudo una est magnitudo. Eod. δεῖ, Oportet statuere, quod non propriè eadem dicantur. Nam rebus similibus, idem nomen καθόλου non est impositum. Quare non eadem, sed talia & similia putare debemus.

ἀλλ' ὅμως, fo. 218. Sed nihilominus ex obscure notis, sibi tamen notioribus, tentandum est, ut omnino nota & simpliciter appræhendamus.

διὰ συλλογισμοῦ, 219. per Syllogismum proueniens error. Eod. κατ' ἀπόφασιν. Per negationem ignorantia.

Σωκράτους. fo. 224. Socrate occupato in disputationibus ethicis, de uniuersa autem natura nihil disserente ipso, & in his inuestigante quidem Genus uniuersum & καθόλου, ac primo ex omnibus instituente de rebus Definitionum notitiam. Quum probaret finitionem, quia uidelicet καθόλου considerabat, & quærebat, arbitratus est definitionem pertinere ad res alias, quam essent illæ, quæ cadunt sub sensum nostrum. Nam fieri non posse, ut definitio sit alicuius rei sensilis, quæ nunquam eodem statu permaneat. Itaq; tales res finitione expressas, Ideas appellauit: sed sensilia præter has alia quædam esse, & secundum illas quidem omnia definiri.

εἰ ἄρα, fo. 225. Si ergo quædam naturæ sunt tales, uel Substantiæ quales asserunt, qui defendunt Ideas, multo magis Sciens aliquid esse dicendum per se, quam ipsam scientiam, & Motam rem, magis quâm Ipsam motionem. Nam illa magis sunt energiæ, hæ uero duntaxat sunt facultates quædam. Eodem, εἰ ἄρα, Si ergo quatenus primum aliquid sunt, hoc quidem ut caducum, illud uero ut æternum opponuntur. Quòd genere quidem sint diuersa, manifestum est. Ex quo perspicitur, non posse tales esse species, quales nonnulli dicunt.

Alioqui Homo erit hic quidem caducus, ille uero æternus. Licet specie eadem dicuntur species, quæ sunt in singulis quibusdam, & non Homonyma appellatione significantur, sed quæ genere differunt, plus distant quàm specie distantia.

τὸ ὄν, fo. 227. Ipsum Ens dicitur multifariam respectu ad unum, seu comparatione unius naturæ cuiusdam, non ambiguè seu ὁμωνύμως, sed quemadmodum salubre dicitur omne id, quod ad sanitatem attinet, quorum unum dicitur, quia custodiat sanitatem, aliud quia faciat, aliud quia significet, aliud quia sit ipsius capax. Eodem, τῶν, eorum quæ longè distent. Eodem. τῶν πόῤῥω. Eorum quæ multum absunt.

δεῖ ἄρα, fo. 228. Oportet ergo eum, qui uelit alium decipere, ipse uero non decipi, similitudines rerum & dissimilitudines perfectè cognoscere. Phæ: Profecto necesse est. So. Num fieri potest, ut qui cuiusque rei ueritatem ignorat, is ignoratæ rei similitudines comparare, siue ea magna sit, siue parua in aliis rebus, & cognoscere possit? Phæd. Non potest fieri. Socr. Ergo qui contra quàm res sint, de iis opinetur, aut opinione fallatur, certum est affectionem hanc in animum influxisse propter similitudinem quandam. Eodem, εἰς ὅλον, In uniuersam protensa uitam, & multifariam in errorem inducens.

μὴ σκιαγραφία. fo. 229. Ne adumbratio quædam sit talis uirtus, & reuera seruilis, nihil neq; integrum, neq; uerum obtinens.

πᾶν ὅ, π, 232. Omne quod ipso uiuere participet, optimo iure Animal dici poterit. Eodem. διὸ, Quapropter uiuit quidem stirps, ac diuersum quid ab Animali non est. Permanens, & radicum fibris affixum impactumq; est propterea quod priuatum est, qua semetipsam moueat, facultate. Eodem, εἰ μὲν ὄν. Si igitur figura, & colore quoduis est Animalium & partium, non absurde dixerit Democritus, qui ita uidetur opinari. Inquit enim, cuiq; manifestum esse Hominem esse suam formam. Tanquam si Homo nulla re esset aliquid, quàm figura sua & colore.

ἔστι γὰρ fol.234. Quorundam pars Homonymos est toti, ut uena uenæ, quorundam non est Homonymos, ut faciei partes non sunt facies.

τοῦ δ᾽ εὐχερὲς fol.235. Facilitas in nominibus & uerbis, ac rerum non minis curiosa inquisitio, non illiberalis uidetur, quin potius contrarium uidetur esse illiberale. Eodem κ᾽ ἂν. Si te contineas ab immodico studio uerborum, progressu ætatis prudentior factus apparebis.

πολλάκις 243.fol. Sæpe falli cōtinget, quando nō apposite in propositionibus positi fuerint termini. Eodem οὐ δεῖ. Non oportet semper terminos Syllogismorum uno nomine exprimere. Sæpe enim erunt orationes quibus unum nomen non est positum. Quare difficile est tales Syllogismos aliorsum deducendo planos facere. Quid ἀναγωγὴ sit docet Plato.

Eodem ὅσοι. Quotquot per Metalepsin instituuntur Syllogismi, in subiectis, & non his quæ initio sunt posita, sed quæ loco illorum sumpta sunt rationes adhibitæ spectantur. Eodem κράτιστοι. Optimum sanè esset omnes homines, iis de quibus disseremus rebus, consentientes habere. Quòd si non fiat, ut saltem aliquo modo omnes, quod faciunt qui ex concessis aliquem in sententiam quandam perducunt. Quisq; enim peculiare aliquid habet, quo affectus sit ad ueritatis assensum, ex quo demonstrare quodammodo de rebus propositis oportet. Ex his enim quæ uerè quidem sed obscure dicuntur, progressu disputationis fiunt etiam manifesta, dum uidelicet semper pro his quæ confusè et obscurè dicuntur, assumunt notiora. Eodem δεῖ δὲ. Oportet quamlibet rem magis, quid sit, definitione inter disputantes constare quàm solo nomine absq; definitione. Eodē ἡττᾶσθαι. Vinci est loco minorum bonorum maiora capere. Eodem, μεταλάβωμεν. Permutemus nomina rursus, & propositis utamur iucundo & aspero, Et dicamus sanè hominem peragere, quod superius appellabamus mala, nunc aspera dicamus, cognoscens quòd sint aspera, dum uincitur scilicet à iucundis, quæ par non sit uincere. Et quæ nam alia est indignitas uoluptatis ad dolorem, quam qua una exuperat, & altera succumbit. Eodem, ἴσως. Ceu forsan Heraclitus cupit dicere, quanquam uerbis rem aptè non profert. Ipsum enim unum inquit, ipsum sibi ipsi dißidens,

coag-

coagmentari instar arcus & lyræ. Magna est absurditas, harmoniam dicere quòd dissentiat, aut ex dissonantibus esse. Fortasse hoc conatur dicere, quòd ex discrepantibus prius acuto & graui sonis, posterius concordantibus efficiatur per Musicam harmonia. Nequit enim ex dissentientibus adhuc graui & acuto sonis fieri harmonia. Quoniam harmonia concentus est, Sed concentus consensio quædam est. Consensionem & concordiam existere ex his, quæ adhuc discrepent, nemo dixerit uerè. At quod discrepat aut discordat, aptè nequaquam poterit coagmentari.

ἀλλ' ὥσπερ fol. 246. Quemadmodum Prodicus hic me subinde admonet de uocabulo grauis. Quando ego laudans te, aut alium quempiam, dico quòd Protagoras sit sapiens & grauis uir, quærit an non pudeat si bona appellem grauia? Nam graue, inquit, malum est: nemo enim subinde dicit graues opes, aut grauem pacem, aut grauem sanitatem, sed grauem morbum dicimus, & bellum graue, & paupertatem grauem, hac significatione qua malum dicitur guaue. Eodem. καὶ γάρ. Prodicum sæpe innumera quædam distinguentem uocabula audiui. Sed ego permitto tibi prout uisum fuerit, quouis uti, tantum indices cui significandæ rei id accommodes. Eodem δεῖ μεταλαμβάνειν. Permutationibus nominum est utendum, item definitionum, item nominis & definitionis. Hoc enim modo facilior erit terminorum expositio. Vt si nihil differt dicere, Id quod poßit percipi non esse genus opinabilis, Et, ipsum quod poßit percipi nō esse opinabile, idemq́; sit utriusq́; significatum, pro priore ponendum erit posterius, atq́; hi ponendi in Syllogismo erunt termini.

γνώμῃ fol. 248. Sententia omnes eadem utuntur. Sed eadem tamē non dicunt, quanquā idem sententiæ suæ conclusum proponunt. Inquiunt omne quod sit unū esse. At idem esse omne & unum. Sed in appellationibus non conueniunt. Quidam censet illud unum & omne esse aërem, alius aquam, alius terram, & pro argumēto quiuis commemorat testimonia & signa quædam, uæ tamen reuera sunt nulla. Quòd igitur omnium sit eadem opinio, & nihilominus tamen eadem non dicant, signum est hæc ab ipsis non uerè cognosci.

ὅτι ἡμῖν fol, 249. Quod nobis manifesta & euidentia sunt magis, cōfuse nota.

τὸ δὲ 253. Quòd autem dicit, futurum nunquam ut separentur, recte quidem dicit, sed non scienter. Affectiones enim sunt inseparabiles. Quare si mixti sunt colores & habitus, si separentur, erit, quid album aut sanũ, quod tamen nihil aliud sit praeterea, & quod de subiecto non dicatur. Itaq; absurda mens haec est, quae conatur impoßibilia, siquidem uult separare haec, quod facere tamen nequeat ratione qualitatis & magnitudinis. Nam in magnitudine non est minimum, secundum quale autem affectiones sunt imseparabiles.

πάσῃ γὰρ fol. 254. Cuiuis opinioni comitatur fides, fidei consectarium est persuaderi: persuadet autem ratio. Eod. κίνησις. Motus qui proueniat à sensu actu sentiente.

εἰ δὲ χρὴ fol. 255. Siquidem dicere oportet quid horum quoduis, ut quid intelligens, quid sentiens, quid nutricans, prius certe explanandum erit quid sit intelligere, quid sentire. Priores enim sunt energiae facultatibus definitionis causa. Quòd si sic, priora scilicet erunt his energijs opposita, id est, obiecta, ad quae referuntur, quae prius cognoscere oportebit, De his ergo primum erit determinandum, eandem ob causam, ut de nutrimento, sensili & intelligibili. Eod. ὀρθότης. Rectitudo quae uersatur circa utile respectu alicuius finis, cuius prudentia, uera est apprehensio.

ἐπιστήμης fol. 257. Verum est quòd scientiae sint simpliciter alicuius rei, non accidentis, ut albi, si salubre sit album, sed quia salubre: uerum eius cuius est quaelibet scientia sanum, sani, si quatenus homo, hominis.

καλὸς fol. 262. bonus & honestus est, cui honesta quoq; sint bona per naturam. Honestum enim est quod iustum, sed illud pro cuiusq; dignitate censetur, sed illis dignus censetur bonis honestus. Item honestum est quod decet, sed hunc solum decent diuitiae, nobilitas, potentia. Quare bono & honesto quae utilia, eadem honesta quoq; sunt, in plerisq; dissentanea sunt haec. Quippe simpliciter bona non itidem ipsis quoq; sunt bona. Sed bono & bona sunt & honesta. Multas enim & bonas res ijs gerit. Sed qui putat uirtutes poßidendas propter externa bona, per accidens gerit res honestas.

ἐπεὶ fol. 264. Quoniam homo subsistit ex eo quod praeest, eò quod obedit,

obedit, quoduis conueniet respectu sui principij uitam agere. Sed principium est duplex. Aliter enim agit Medicina, & aliter Sanitas. Illa quidem huius gratia esse dicitur. Ita res habet in Genere contemplatricis uitæ. Non enim præest Deus, sic ut præcipiendum ei sit aliquid, quandoquidē is nulla re indiget. Sed prudentia cuiusdam est gratia, eaq; præcipit gratia cuius aliquid sit faciendum. Quæcunq; igitur electio, aut possessio simpliciter bonorum præstabit præsertim cognitionem & contemplationem eius quod optimum est, ea nimirum optima erit, isq; finis honestissimus censendus.

προόπον fol. 265. Quodam sanè modo manifestum quod ad regiam artem pertineat Legislatoria. Præstantissimum autem est, leges nō habere maximam uim & potestatem, sed uirum regium prudentia præditum. Scis quomodo? Socra. Qua ratione id dicis? Hosp. Quoniam lex haud queat, quod optimum pariter & æquissimum sit, simul complectens, omnibus præcipere, Dissimilitudines enim hominum & actionum, & quod nullæ res humanæ unquam eodem statu manere possunt, nihil in re ulla simplex, quod duret omni tempore, sinunt esse unam artem aliquam quamcumq;, num concedemus hæc? So. quidni. Hosp. Legem porro uidemus ad idem contendentem semper, ut hominem contumacem & imperitum, nihil permittentem cuiquam iniussu suo facere, nec uero interrogare quenquam, ne si commodius quidem aliquid extiterit præter eam quam ipsa descripsit rationem. So. Vera sunt. Exequitur enim erga quoslibet lex quicquid ipsa iusserit acerrimè. Hospes. Ergo fieri nequit, ut quod semper sui simile est, id bene applicetur his, quæ nunquam simplicia existunt. Eodem. δικαιοσύνη. Iustitia conseruatrix legum.

τὸ δὲ fol. 269. Ipsum continuum est & determinatum, quando unum quid ex pluribus quæ insunt, constitutum fuerit.

μόριον fol. 270. Pars non modo alterius est, sed omnino alterius, illius uero (id est totius) non est. Eod. τὰ μὲν γὰρ. Et hæc quidem ratione generationis contingit absq; alijs esse, ut totum sine partibus. Sed hæc ratione corruptionis, ut partem sine toto.

ἐκ τῆς fol. 275. Ex generatione, & aliud post generationem. Eod. οὐ γὰρ Nō enim fit ex generatione, quod nascitur, sed est post generationē.

ἦ δὲν, fo.278. Quid igitur continet animam, siquidem diuidua in partes est? Eod. τὸ δὲ, Id difficile sanè, num eodem illo quælibet faciamus, an tribus existentibus, aliud alio peragamus. Discimus enim alio, irascimur alioquopiam eorum quæ in nobis insunt. Concupiscimus deniq; tertio quodam uoluptates eas, quas percipimus refectione nutrimenti, & procreatione sobolis, quæq; his sunt similes. An uero tota anima singula ista agimus, si quando libuerit? Hæc perdifficile est ratione aliqua certa definire.

ἐπεὶ, fo.279. Quandoquidem ut natura subsistentium rerum, non eædem sunt partes totius constitutionis, & SINE quibus totum esse nequit. Manifestum quòd neq; ciuitatis partes sunt statuendæ, quibus carere non possunt ciuitates, neq; etiam ullius alterius communitatis, ex qua unum aliquid conflatur. Unum enim quiddam & commune oportet esse atq; idem communicantibus siue ex æquo, siue inæqualiter eo participent. Ut siue uictus id fuerit, siue agrorum multitudo, siue aliud quiddam tale. Sed quando hoc quidem alicuius fuerit gratia, illud autem cuius gratia aliud sit, his nimirum commune quid nihil erit, præterquam quatenus unum efficere quid, alterum id accipere dicitur, qualis est communio cuiuis instrumento, & efficienti opifici, respectu operis. Verum ciuitas, communio quædam est similium, instituta propter uitam, quoad contingit eam esse optimam.

ἐν κεφαλαίῳ, fo.283. Summam ut complectar, inquam, ô Clinia, ita affectus uideris, ut omnia quæ prius dixisti bona esse, non sic de his sermonem instituisse, quòd ipsa per sese suapte natura sint bona: sed ut puto ita res habet. Quando his præfuerit inscitia, maiora esse mala, quàm sint his contraria, quoad potentiora sunt, quando famulantur potenti Malo. Sed quando prudentia & sapientia præfuerit, maiora esse bona. Ipsa uero per sese neutrum horum esse, ac nullo nomine digna. Eodem, τὸ δὲ καλῶς, Bene constitutas esse Leges, atq; his obedire. Eodem, εὐγένεια, Nobilitas. Opulentia uetus & uirtus, ἄρ' οὖν. Nonne Legislator, & quiuis non magni etiam pretij hunc metum magno honore afficiet? & pudorem appellans, contrariam ei confidentiam, nempe Impudentiam, nominabit pestilentissimum malum publice & priuatim esse statuet.

τῶν αἰδῶ fo.286. Pudorem stultitiam appellantes, tanquam extorrem contumeliose eijciunt foras. Temperantiam nominantes timiditatem, probris affectam profligant. Mediocritatem & frugalitatem, ut agrestem rusticitatem & sordidam esse persuadentes, in exilium pellunt, freti multis et inutilibus cupiditatibus. Admodum. His orbantes uirtutibus, atq; ornamenta hæc detrahentes, detenti nunc in ipsorum potestate, & quasi initiati ab ipsis magnis illis misterijs animam, quod reliquum est, faciunt, & iniuriam, & licentiam, & crapulam luxumq;, & impudentiam, splendidas illas, magno comitatu deducunt, coronatas celebrantes laudibus, ac specioso appellantes nomine. Iniuriam nominantes ingenuitatem, licentiam, libertatem, luxum, magnificentiam, impudentiam, strenuitatem.

Σω, fo. 288. Ita res habet, ô Crito magis speciem quandam quàm ueritatem. Non enim facile est ipsis persuadere, quod & homines & quæuis alia in medio sint duorum quorundam, & quodammodo utrisque participantia, quæcunq; nimirum ex bono & malo constituta, hoc quidem meliora, illo uerò deteriora fiunt. Sed quæ ex duobus bonis non ad idem relatis, conflantur, utrisq; deteriora esse, respectu cuius utrunq; separatim utilius fuerit, ex quibus est compositum. Ac quæ ex duobus malis, quæ tamen ad idem non diriguntur, sunt composita, & media existunt, utroq; eorum compositum melius est comparatione separati mali, si consideretur quam-uim habeat. Itaq; si philosophia bonum est, & politica item actio, & utraq; aliud quiddam curet, qui utraq; participant, in medio nimirũ sunt, & nihil præstant. Utrisq; enim sunt deteriores. Sin uero, una sit bona, & altera mala, his meliores scilicet erunt, illis uero deteriores. At si ambæ sint malæ, ita sanè præstarent aliquid, aliàs nero nequaquam. Concessuros tamen illos non existimo, quòd uel ambo hæc sint mala, neq; etiam quòd unum istorum malum sit, alterum uero bonum. Sed reuera hi (id est Sophistæ) utrisq; sunt inferiores ad ea præstanda, in quibus pretium aliquod operæ faciunt Politica, & item Philosophia. Et tertij reuera cùm sit, uolunt tamen omnium primi uideri.

Συ. fo.289. Quapropter in medio amborum, Deorum scilicet & hominum consistentem, implere, ut uniuersum hoc ipsum sibi possit esse deuinctum.

εὐπραξία fo. 290. Successus, cum uirtute, & uita suauißima cum securitate.

ἀνάγκη, fo. 291. Necesse est plura bona uno, & paucioribus (adnumerato uno, uel paucioribus) maius bonum esse. Exuperat enim, illud autem tanquam pars superatur.

οὐ γάρ, fo. 292. Non enim est compositio uel mixtio ex his, quorũ est compositio uel mixtio: eodem modo aliorũ nihil, ut pauimentum, collocatione est, non collocatio ex pauimento, sed hoc potius ex illa. Sed quid oportet esse, si quid sit præter illa, siquidem materia sunt? Certè neq; Elementum erit, neq; ex elementis, sed essentia ipsa, quam detracta materia explanant finiendo. Eod. φύσις, Natura nullius est rei, sed mixtio duntaxat et mixtorum alteratio. Eod. αἴτιον, Causa, ut res sit, substantia autem illud est, ipsam certè substantiam rite haud finierint.

ταῦτα fo. 293. Hæc non sunt præter illa, quæ ad numerum duntaxat sunt aliquid, ut domus, aut uas aliquod. Eod. ἀδύνατον, fieri nequit, ut ex substantiis, q̃ insunt actu, substantia constituatur. Nam Duo, quoad sunt actu hoc modo, actu nõ est duo, sed quatenus potentia sunt duo, ex ipsis unum fit, id est, binarius. Quemadmodum duplicitas constituitur ex duob. dimidiis, sed potentia existentib. Actus in reliquis omnibus separat. Quare si substantia est unũ, non erit uidelicet constituta ex substantiis, quæ in ipsa insunt: & hoc sane modo, quem commemorat Democritus recte. Fieri enim posse negat, ut ex duobus fiat unum, aut ex uno fiant duo. Etenim is substantias rerum esse censet insecabilia corpuscula.

καθ' ἅς, fo. 297. secundũ quas autem uirtutes dicitur simpliciter quispiam bonus, non continget. Quoniam uere & absolute bonum esse non contingit sine prudentia, neq; prudentem absq; uirtute moris, simul enim cum prudentia, quæ una est, omnes existent. Eod. χρήσαιτο, Poterit etiam uir honestus, & paupertate, & morbo, & reliquis casibus honeste se gerere, sed Beatum in rebus est contrariis.

καὶ διαφέρει, fo. 298. Et interest forsan plurimum. Nam honestus uir tanq; regula est & mensura, qui in rebus omnib. perspicit ueritatem.

συνηρτημέναι fo. 299. connexæ affectibus uirtutes. Eod. δράσαντας, Agentes aliquid periclitari.

τὸ

τὰ μὲν, fo. 300. Causæ motrices sunt prius existentes, sed quæ sunt ut forma, simul sunt (cum effectu) Eod. ἐλπὶς, Confidentia, est spes cum opinione, non procul abesse, quæ salutem ferant.

τὸ ζῶ, fo. 302. Ipsum uiuere. Et, ipsum quod dicitur, æs esse triangulum, compositionem esse æris & trianguli, & ipsum album unum, esse compositionem plani & albedinis dicunt.

ἐπεὶ, fo. 303. Quandoquidem & Empedocles, Os dicit esse constitutum ratione, id ipsum uerò est, qua intelligitur quid res sit, & essentia rei. Eodem modo necesse est Carnis, & quorumuis aliorum esse definitionem, aut nullius. Nam propter illud unum & caro, & os dicitur esse, ita quæuis alia res, & non propter materiam suam, quam ipse dicit esse ignem, & terram, & aquam, & aërem.

Ξεν fo. 304. Hosp. Veruntamen nihil uetat, quo minus partibus diuisum & distributum πάθος VNIVS, habeat id, participans eo simul omnibus partibus, & hac ratione omne et totum ens, unum esse. Theæ Quid ni? Hosp. Perpessum ista, nonne fieri nequit, ut ipsum per se sit VNVM ipsum. Theæ. Quomodo? Hosp. Expers nimirum omnino partium oportet esse, quod uerè ac propria ratione VNVM dicitur. Theæ. Ita sane, oportet. Hosp. Quod autem unum est ex multis partibus, nonne hoc consonat Toti? Theæte. Intelligo. Hosp. Totum uero utrum πάθος habens unius, hac ratione & unum erit & totum, uel omnino non dicemus Totum esse ipsum Ens? Theæ. Optionem dedisti difficilem. Hosp. Verè narras. Nam si paciens Entis, unum aliquo modo non dicetur, utiq; idem quod ipsum esse uidebitur, & omnia non erunt unum, sed plura uno. Theæ. Ita uero. Hosp. Præterea quando ipsum ens, non erit Totum, propterea quod totum perpeßione entis intelligatur, ac Totum ipsum sit aliquid, ipsum Ens scilicet sui ipsius indigentia laborabit. Theæ. Omnino quidem. Hospes. Qua ratione semetipso priuatum ENS erit NON ENS. Theæ. Ita profectò. Hosp. Et præterea omnia, plura erunt uno, siquidem ENS & TOTVM diuersam sortita sunt naturam utrumq; separatim. Theæ. Assentior. Hosp. Quare si Totum sit NON ENS omnino, & hac ipsa scilicet

ENTI ascribuntur, præter id quod non est ENS, ne nasci quidem aliquod poterit quod sit. Theæ. quomodo? Hospi. Quod natum est semper fiebat totum. Quare nec essentiam, neq; generationem ut Existentem nominare oportebit eum, qui unum ipsum uel totũ ipsum in his quæ SVNT, non ponit. Thæ. prorsus hæc ita se habere uidentur.

τὸ δυνατὸν fol. 305. *Quod potest esse & non esse qnælibet res, id nimirum materia est in quaq; re.*

καὶ ἐπιστήμη fol. 306. *Et scientia uidetur contrariorum eadem esse, habitus autem contrarius non est contrariorum.*

ἀλλὰ καὶ fol. 307. *Sed & hæc dicenti cuipiam conceßisset ex neceßitate, ipsemet autem non diserte dixit.*

τί οὖν. fol. 308. *Quid ergo, si quis me & item te interroget, ô Protagora & Socrates, dicite mihi.*

ὅτι ἓν fol. 310. *Vnum & idem non secundum accideus ipsum est & definitio ipsius.*

ὅτι τῶν fol. 311. *Quoniam primorum, & eorum quæ per se dicuntur, quoduis ipsum & esse ipsius idem sunt & unum.*

ὅτι ἀδιαίρετον. *Quodq; enim respectu suĩpsius diuisionem respuit.* Eod. ὃ μὴ. *Quod non de subiecto aliquo dicitur, ut ambulare, diuersum quiddam est ambulans, & album item. Substantia autem, & hoc aliquid significantia, non aliud quid præterea sunt, quâm id quod sunt. Quæ igitnr non de aliquo dicuntur, per se, quæ autem de subiecto aliquo dicuntur, accidentia appello.*

ὁμοίως fol. 313. *Similiter ad definitionem pertinens illud etiam nomino, ut quaudo quæritur, utrum sint idem scientia & sensus an diuersum. Etenim plurimum de rebus quæritur causa definitionis, utrum sint idem uel discrepans.*

τὸ αὔταρκες fol. 314. *Quod ipsum sufficiat sibi, ponimus quod solitarium expetendam efficit uitam, ac nullius indigentem.* Eodem. τὸ ὅλον *Totum & perfectum, uel omnino sunt idem, uel proxime se attingunt natura.*

τελειοῖ fol. eod. *Perficit energiin uoluptas, non quæ insit tanquam*

habitus

habitus quidam, sed ut aduentitius quidam finis, cuiusmodi, est uigente ætate, pulchritudo.

ὅσα γὰρ fol. 315. Quæcunque simpliciter eadem, eorum & ortus & obitus idem sunt. Eod. οὐ γὰρ. Non enim satis est ad definitionem astruendam ostendere idem esse. Sed ad destruendum satis est ostendere quòd idem non sit.

οὐ ταυτὸ fol. 317. Non idem ignem & elementum esse.

ὅτι ἀρετὴ fol. 320. Quia uirtus connexa est affectibus, Sed scientia perficit mentem.

Πολλάκις fol. 322. Sæpe diathesis qua ægrotant, remißior fit, Symptomata uero augentur, ut in partibus inflammatis, quemadmodum Hippocrates dixit. Cùm pus generatur, dolores & febres accidunt magis, quam perfectè generato.

Πᾶν fol. 323. Omne uel idem, uel diuersum est. quod ESSE dicitur.

ἴσως fol. 329. Forsan quæcunque numero quodam necesse est constitui, & hac ratione esse uel non esse dicuntur, id patiatur, quod tu dixisti. Vt ipse Denarius, uel quicunque alius numerus, cum detraxeris uel apposueris quid, alius effectus est, quàm qualis dicebatur. An eadē ueritas et rectitudo nō est uniuersæ imaginis, sed contraria quædam, ita ut non oporteat penitus omnia exprimere effigiem respectu exemplaris cui similis dicitur?

τὸ ἔνδοξον fol. 331. Probabile apparebit in comparatione, & contrarium respectu contrarij. Eod. λητέον. Sumendum ex contrarijs, qualis maximè appareat esse contraria finitio.

τὰ γένη. fol. 333. Genere diuersa plus differunt: quàm specie discrepantia.

οὐ δεῖ πάντων fol. 335. Non oportet omnium finitionem requirere, sed in quibusdam considerare ἀνάλογον.

διὸ δεῖ fol. 337. quare oportet à singulis transire ad uniuersum Genus. Nam Homonymiæ latent magis in his quæ diuidua sunt differentijs, quam his quæ diuidi amplius non possunt.

ὦ Σώκρατες fol. 339. O Socrates puto & te, & quemuis alium, quicunque ponit per se cuiusque existentem quandam essentiam esse, confi-

teri primum nullam earum esse in nobis aliquid. Nam alioqui qui posset ipsa per se aliquid esse? Annuisse Socratem & rectè dictum ab ipso concessisse. Tum Parmenidē dicere. Ergo quotquot Ideæ fuerint, quæ mutuum habent inter se respectum, illæ ad semetipsas relatæ essentiam obtinebunt, & non respectu eorum quæ similitudines earum repræsentant, aut quocunq; quispiam modo ista nominet, quibus nos participantes, singula esse dicimur. Quæ ergo nostra sunt, homonyma sunt illis, & quod sunt, ad se relata, esse dici debent, & non relata ad Ideas, sed suo modo & non idearum, quæ etiam sic nominari solent.

ὅτι ἀδιαίρετον fol. 340. Quòd quiduis respectu suiipsius indiuiduum est.

οὐ γὰρ ἔσαι fol. 343. Non enim erit ullius definitio, quod non sit species Generis cuiusdam.

FINIS Græcarum sententiarum & uerborum interpretationis.

INDEX MEMORABILIUM RERUM, & VERBORUM.

INDEX.

Defini-

nunquam

K.

καλῶ


Sanita-


21

INDEX.

Sang=

Finis Indicis.




005644275